BT40 21.1427

Edward J. Conroy
Rome Nov. 1874

INSTITUTIONES LITURGICAE

AUCTORE


ALOISIO MARINGOLA

PRESBYTERO NEAPOLITANO

AD USUM SEMINARII NEAPOLITANI

Volumen I.





NEAPOLI
EX TYPIS AD SIGNUM ANCHORAE
Largo S. Marcellino n.° 2.

—

MDCCCLXIV



JESU CHRISTO

AETERNO DEO

AETERNIQUE PATRIS

CONSUBSTANTIALI FILIO

SUMMO ET AETERNO SACERDOTI

DEI ET HOMINUM MEDIATORI

ECCLESIAE FUNDATORI

QUI SOLUS EST

REMUNERATOR LABORUM

HAS LITURGICAS INSTITUTIONES

ALOISIUS MARIA MARINGOLA

OFFERT ET CONSECRAT

PRAEFATIO


Duabus potissimum de causis, optimae spei juvenes, Sacrae Liturgiae doctrinam vobis esse arbitror summo studio exquirendam, prima, ut quae ad Dei cultum sacraque pertinent, qua par est cura et sedulitate, perficere, altera ut sanctissima Religionis dogmata per ipsam abunde expressa ac testata, et facili negotio explicare, et ab acerrimis calumniantium telis fortiter defendere valeatis. Quocirca nemini ex vobis mirum esse poterit, si tot Summi Pontifices, inprimisque Benedictus XIV, nostrisque temporibus Leo XII, ad hujusmodi excolenda studia eruditissimorum quorumque animos excitarint. Intelligebant enim Pontifices sapientissimi, non mediocres sane fructus e perspecta Sacrae Liturgiae cognitione in reliquas Theologicae Scientiae partes redundare. At vero cum nostra, tum superiore aetate quamplurimi singulari et

doctrina, et eruditione praestantes viri ad Sacram Liturgiam animum adverterint, eamque innumeris ferme, varia methodo varioque linguarum genere elucubratis editisque libris illustraverint; qui tamen ad hujusce facultatis Institutiones ad Iuvenum utilitatem concinnandas operam dederint suam, pauci enumerantur. Verum etsi huic operi imparem me plane sentiam, audendum tamen existimavi, nec labori ac diligentiae parcendum, ut integrum et quibus possem numeris praeditum opus proferrem, quo aliis saltem e nostro Clero ingenio praestantibus ad perfectius quiddam elucubrandum hoc exemplo igniculos adderem. Sed ut ad rem proprius accedamus, scias me, benevole lector, Sanctorum Patrum, Conciliorum, Scriptorumque Ecclesiasticorum lectione, ea quae ad propositum mihi scopum facere poterant, colligere curasse, ut nihil a me pertractatum putes quod non sit eorum auctoritate comprobatum. Ut vero juvenum commodo melius consultum irem, fontes eisdem patefeci, quos proinde et ipsi facilius adire possent, cum uberiori haustu sitim suam explere cuperent. Quod ad rationem modumque dicendi attinet, simplici quidem oratione usi sumus, ut ecclesiastici juvenes ad eam lectionem facilius alliciantur. Has autem nostras qualescumque Institutiones tredecim in Libros distribuere placuit. Quorum primo agemus de Ordinationibus et de Degradationibus. Secundo de Consecrationibus. Tertio de Benedictionibus, ubi explicantur Benedictiones Ecclesiae, Coemeterii, Abbatis, Abbatissae, Sacerdotalium Indumentorum, novae Crucis, Campanarum, Imaginum, Tabernaculi ubi asservatur Eucharistia, Armorum, Ensis, Vexilli bellici,

Aquae benedictae, domorum in Sabbato Sancto, domus novae, Thalami, novae Navis, Panis, Fructuum et Ovorum. Quarto de Processionibus. Quinto de Exequiis et Sepulturis. Sexto de Jejuniis et Exorcismis. Septimo de Ordine ad Synodum, de Ordine ad visitandas Parochias, de Ordine excommunicandi et absolvendi, de Ordine ad reconciliandum Apostatam, Schismaticum et Haereticum, de Ordine Suspensionis, Reconciliationis et Depositionis. Octavo de Sacramentis, ubi agemus etiam de Baptismo adultorum, de forma absolutionis et de absolutione ab Excommunicatione in foro exteriori, de ordine administrandi sacram Communionem, de Communione Paschali et infirmorum, de modo juvandi morientes et de commendatione animae. Nono de Divino Officio. Decimo de Festis eorumque mysteriis. Undecimo de Vestibus et Vasis Sacris. Duodecimo de Liturgiis. Decimotertio de Sacrosancto Missae Sacrificio. Quod si, lector benevole, in hac elucubratione invenies me de Officio, de Festis, De Sacramentis et de Missa verba fecisse, quae alio in opere cui titulus: Antiquitatum Christianarum Institutiones a me pertractata sunt, ne existimes eamdem veluti crambem me recoxisse. Non enim te latet Scientias praesertim sacras arctissimo quodam vinculo inter sese colligari, quo fit ut easdem diversa ratione ac methodo sese evolvendas offerant. Nam de iis rebus quas supra commemoravi, in hoc opere sic agere mihi certum fuit, ut novum sane aliquid ac longe diversum et methodo et rerum ordine, prout ratio ipsa postulabat, deprehenderes. Quod quidem ea etiam mente fecimus, ut sacrarum rerum studia non uno nomine commendanda arbitra-

reris. En igitur, juvenes, habetis opus, sin minus arte et industria probandum, auctoris certe animo et consilio minime contemnendum, quippe cum non alia de causa illud in medium protulerit, quam vestris ut commodis pro virili parte consuleret. Quod reliquum est peto a vobis, ut si quid posthac utilitatis inde hausisse intellexeritis, Deo, cui omnia referimus accepta, laudem pro merito tribuatis, eique cujus gloriae quantum in me est inservire studeo, vestris me precibus commendetis.

PROLEGOMENA IN SACRAM LITURGIAM



CAPUT I.

DE VOCE LITURGIA ET DE MULTIPLICI EIUSDEM SIGNIFICATIONE.

I. De vocabuli istius etymologia (1) concordant eruditi. Tradunt nempe illud conflari duabus vocibus graecis, λειτον publicum et εργον ministerium. Unanimiter etiam tenent per hujusmodi vocem designari primitus solitam fuisse quamlibet functionem publicam. Et hoc revera sensu usurpata reperitur apud Platonem, Aristotelem, Demosthenem, Xenophontem, Isocratem, aliosque profanos auctores, ut cuique graeca Lexica volventi facile perspicuum esse potest. Eodem etiam sensu reperitur adhibita in quodam Marci Antonini et Lucii Veri rescripto, uti videre est in Pandectis Lib. X tit. 6 *de jure immunitatis*. Multoties insuper graeci imperatores in condendis legibus suis voce Liturgia usi sunt ad exprimenda onera publica.

In sacris vero paginis determinata magis atque restricta occurrit praedicta significatio. Ibi enim non jam ad exprimendum quodlibet sive religiosum sive profanum ministerium publicum usurpatur Liturgiae vox, sed specialiter, aut saltem frequentius, ad indicandas

(1) Kraser, *De Ecclesiae Occidentalis Liturgiis proemium*; Zaccaria, *Onomasticon Rituale*; Grancolas, *Anciennes Liturgies* p. 2.

functiones sacras. Sanctus Lucas Liturgiam vocat functiones sacras Zachariae, Sancti Joannis Baptistae Patris: *Et factum est, cum impleti essent dies Liturgiae ipsius*. Quem sensum insuper reperimus in sequentibus textibus: λειτουργουντων δε αυτων τῳ Κυριῳ, *ministrantibus autem ipsis Domino*, uti *in Act. Apostolorum* Cap. XIII v. 2. Et Divus Paulus ad Romanos. Cap. XV v. 16 inquit: *ut sim minister Christi in gentibus:* in graeco est λειτουργον. Nihilominus eadem vox a Sancto Paulo usurpatur etiam ad exprimendam curam pauperum, uti in Epistola secunda ad Corinthios Cap. IX v. 12; et pariter eo nomine vocat officium charitatis quo fideles suis necessitatibus subveniendo opportuna suppeditabant, uti in Epistola ad Philippenses Cap. 11 v. 30.

II. Est autem Liturgia peculiari significatione usurpata: Ratio colendi Deum per externos legitimos Ritus, tum ad illius honorem testandum, tum ad ipsius in homines beneficia derivanda. Strictiori etiam sensu accepta eos tantum Ritus respicit, quibus Sacrificium peragitur, et quidquid ad munus sacrificandi pertinet: quale est apud Catholicae Ecclesiae filios incruentum Missae Sacrificium. Aliis vocibus tum a Graecis, tum a Latinis sacrum hujusmodi munus designatur. Hinc translatum Liturgiae nomen ad ipsum ordinem Sacrificii, cum dicimus Liturgiam Jacobi, Basilii, Chrysostomi. Observat praeterea vir eruditus Vincentius Riccardus in *Commentario ad Proclum de Traditione Missae*, quod cum Patres Graeci vocem Liturgiae pro Sacrificio usurpant, semper epitheton *sacrae*, vel *mysticae* adjungunt. De *sacrae* epitheto Liturgiae superaddito vanum est testimonia proferre, cum id fere omnes passim usurpent Patres; *mysticae* vero plerique habent.

Fuit sua Judaico populo Liturgia, cum Sacrificia cruenta aut pacifica Deo offerret, ac de ejus gentis Sacerdotibus idcirco Apostolus in Epistola ad Hebraeos Cap. X v. 1 ajebat: *Et omnis quidem Sacerdos praesto est quotidie ministrans, et easdem saepe offerens hostias*. In Graeco est Λειτουργων pro *Ministrans*. Eorum autem Sacrificia, Apostolo ipso testante in Epistola ad Colossenses Cap. III v. 17, umbra futurorum fuerunt: qua de re multa habet Sanctus Augu-

stinus. Per adventum autem Filii Dei cessantibus cruentis Sacrificiis veteris Legis, uti jam praedictum a Prophetis fuerat, successere perfectiora Sacramenta, ac novi Ritus, antiqui populi caeremoniis abrogatis; hoc est, nova Ecclesiae catholicae Liturgia successit, sive disciplina in Sacris, cujus duplex genus statuendum est. Alterum ex Ritibus aut ab ipso Salvatore, ejusve Apostolis nascente Ecclesia praescriptis, de quibus certos nos faciunt Divini Libri, aut Apostolica Traditio, per primitivae Ecclesiae Patres usque ad nos derivata. Alterum Ritus illos complectitur, quos identidem Ecclesia universa, aut peculiares Ecclesiae invexerunt in Sacra, prout Pastoribus visum fuit magis congruum majestati Mysteriorum, sive efficacius ad alendam augendamque populi devotionem.

CAPUT II.

VOCES CAEREMONIA ET RUBRICA EXPLICANTUR.

I. Circa hujus nominis *Caeremonia* (1) etymologiam, variae sunt auctorum opiniones. Quidam putarunt dictas Caeremonias a *Caritate*, quasi *carimonias*, quae ad caritatem et Religionem spectant. Alii a *caelo*, quod sunt signa externa rerum caelestium ac divinarum; quasi *caelimonias*, sicut *caeruleum* dicimus pro *caeluleo*. Alii, ut Gellius Lib. IV Cap. 9, Macrobius Lib. II. *Saturnalium* Cap. 3 a *carendo*, quasi *carimonia*: Sed haec etymologia est violenta. Nam Caerimoniae multo magis in habendo, quam in carendo consistere videntur. Siquidem Caerimonia est habere thus in Sacrificio, habere cereos et cetera hujusmodi, quibus Caeremoniis in Ecclesia uti solemus. Non ergo a carendo dictae sunt. Strabo, Valerius Maximus, Livius apud Vossium in Etymologico, Caeremoniam dici putant a *Caere* Thusciae oppido, ubi, quo tempore Galli Romam tenebant, asservatum putant aeternum ignem, commoratasque Vestales: unde Livius *Caerem* Lib. VII appellavit *Receptaculum Romanorum Sacrorum*. Ange-

(1) Maldonatus, *De Caeremoniis* Caput. I. et seq.

lus vero Contus apud Turrinum in *Directorio Sacrificantium* Cap. 1 a *Cerere* Caeremoniarum nomen ducit, quasi Cereris munia, sive dona; quia antiquitus primae oblationes, quae profecto sunt Caeremoniae, Cereri ex primitiis frugum fiebant. Isidorus Lib. VI *Etymologiarum* Cap. ultimo: *Caeremoniae apud Latinos dicuntur sacra omnia, quae apud Graecos Orgia vocantur*. Nonnulli a verbo Hebraico *cherem*, quod significat devovere, consecrare Deo, et a communi usu separare. Alii denique a verbo graeco χαιρειν, quod salutis sint causa vel ad salutem spectent. Super ejusdem nominis etymon alii quoque auctores conscripserunt; praesertim vero omni laude commendandus Cardinalis Bona, *Libro de Divina Psalmodia cap. 19*. §. 3.; Franciscus Magius, in suo opere de *Divinis officiis et Choro* opusc. 2 disquisit. 1. Sed et videri possunt Pitiscus, in Lexicon *Antiquitatum Romanarum;* nec non Macrius in suo *Hierolexico* V. Caeremonia. Hebraei videntur nullum habere proprium Caerimoniarum vocabulum, vocant enim non aliter quam *Houchin,* scilicet *Decreta* et *Gaboda*, quasi dicas *sanctitatem* et *cultum divinum*. Item Graeci non habuerunt distinctum nomen, sed vocarunt προσταγματα, idest *praecepta*, λατρειαν, idest *cultum*. Sunt tamen Caeremoniae actus externi Religionis, quibus quasi signis excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem.

II. Variae assignantur ab eruditis Caeremoniarum utilitates. Prima utilitas est, quod Caeremoniae nobis declarant sensum Ecclesiae quem saepe, nisi beneficio Caeremoniarum, non intelligeremus.

Secunda utilitas est, quod Caeremoniae sint characteres, quibus christiani a ceteris dignoscuntur.

Tertia utilitas est, quod Caeremoniae non tantum movent exercentem et spectantem, sed etiam Deum ipsum. Quod autem Deum moveant, Deus studio et data opera voluit explicare *Exod*. Cap. XVII, quum Moyse manus erigente victores Israelitas efficiebat. Quid enim referebat ut Moyses manus extolleret? et tamen id Deus ab eo exegit, ut Israelitae vincerent Amalec.

Quarta utilitas est, quod Caeremoniae movent nos ad pietatem.

III. Quid veniat nomine *Ritus*, prout distinguitur a Caeremonia, non conveniunt doctores. Ceterum egregie Dominicus Macri observat in suo *Hierolexico*, illud intercedere discrimen inter *Ritum* et *Caeremoniam*, quod habetur in aquam et lotionem; etenim Caeremonia, juxta mentem Concilii Tridentini, est *ipsa actio: Ritus* est *modus praescriptus*, quo fit ipsa actio. Promiscue tamen usurpari hae voces consueverunt.

Rubrica terra est rubra, qua fabri lignarii solent asseres ad eos recte secandos signare, qua etiam terra librorum titulos inscribere solebant antiqui. Vox nota Plinio et aliis hac significatione, hincque ad varias res translata. *Rubricae*, tituli seu inscriptiones, librorum et indices, legumque capita passim dicuntur Jurisconsultis, quod rubrica, seu terra sinopica, vel minio solerent exarari. Rubrica quoque aliquando dicta est Lex ipsa integra per Synecdochen, quod initium Legis Rubrica vulgo notaretur.

Rubrica pro Regula accipitur in vita S. Deicoli Abbatis Lutrensis: apud alios pro Commentario, memoriali libro, seu scheda, in qua quid notatu dignum refertur. Peculiarem et bene longam de variis vocis Rubricae significationibus adnotationem edidit Pignorius ad Historiam Albertini Mussati in plures Rubricas, velut in totidem capitula, distributam. Ex ea Pignorii adnotatione unum hic addam, neque *Rubricae* vocem adeo familiarem historicorum aliquibus extitisse, ut non tam ipsi librorum suorum titulos ea nominatos vellent, sed in aliorum quoque scriptorum epigraphis laudandis vocem non aliam usurparent. Plura profert laudatus Pignorius. Addi possunt Martinius in Lexico; Cangius, *in Notis ad Alexiadem* pag. 253; et Mabillonius, Lib. 1. *de Re diplomatica cap. 10.*

CAPUT III.

MYSTICA ET SYMBOLICA CAEREMONIARUM SIGNIFICATIO CONTRA CLAUDIUM DE VERT DEFENDITUR.

I. Claudius De Vert contendit unamquamque Caeremoniam habere caussam physicam et naturalem institutionis suae, rationem vero moralem, mysticam ac

symbolicam posterius accessisse: propterea opus suum hoc insignivit titulo: *Explicatio simplex, literalis et historica Caeremoniarum Ecclesiae.* Adversus Vertium Joannes Josephus Episcopus Suessionensis Opusculum scripsit: *de vero Ecclesiae sensu circa sacrarum Caeremoniarum usum*, in quo sibi demonstrandum proposuit, Ecclesiam Jesu Christi omni tempore id intendisse in suarum institutione Caeremoniarum, ut et religioso inservirent cultui, et symbolorum rationem involverent: quod si inter eas aliquae reperiantur, quae necessitati solum ac decentiae originem suam debeant; alias tamen eodem, immo majore reperiri numero, quae non aliam institutionis suae habent caussam, quam sensum mysticum, allegoricum et symbolicum.

II. Revera in sacris Ritibus mysticam significationem esse attendendam, constat ex quo Deus inspirat quomodo colendus sit non solum ob sui gloriam, verum etiam ob nostram maximam utilitatem: ideoque non sine occultae rei significatione inspiravit Abeli ut ei offerret primogenita gregis horumque adipes; ut Quaestione tertia ad Deogratias, epistola 49, docet Sanctus Augustinus, quod repetit de omnibus aliis oblationibus, scribens adversus Faustum Libro VI Cap. V. In Sacrificio etiam Abraham, de quo Gen. Caput XV. liquet Deum praescripsisse victimarum conditionem, easque immolandi ritum, jubens ut sumeret *vaccam triennem, capram trimam, turturem atque columbam*, et universa haec per medium divideret partesque statueret altrinsecus; quod divini foederis esse symbolum constat ex Jeremiae Capite XXXIV v. 18. Quod etiam fecit Jacob erigens lapidem, et oleum fundens, non fuit duntaxat monumentum visionis, sed propheticum signum, pietatisque ac spiritalis pinguedinis argumentum, teste Augustino de *Civitate Dei* Lib. XVI Cap. 32. Praeterea in Lege scripta Caeremoniarum omnium Deum fuisse auctorem, et sub illis latitasse futurarum rerum figuras, demonstrat Liber Levitici, et in 1. ad Corinthios Cap. XVI affirmat eximium Vas electionis. In Lege quoque Evangelica in ritibus singulis latere mysteria, comprobant quae de expurgatione fermenti scripsit Apostolus eadem Epistola Cap. V et de participatione ejusdem panis, cap. X.

III. Omnibus prorsus saeculis, omni tempore reperiuntur quae De Vert displicent, idest, allusiones mysticae, repraesentationes figuratae, actiones symbolicae. Sic discimus ex S. Justino in *Apologia* decima, amplexum mutuum tempore Sacrificii dari solitum ad exprimendam pacem et caritatem, quae fidelium cordibus inesse debet. Clemens Alexandrinus, Lib. VI *Stromatum*, asserit Presbyteros et Diaconos ideo Episcopis sacra facientibus assistere, ut adstantes Numinis throno Angelos effigurent. Monet nos S. Cyprianus, Epistola 67, quod in oblatione mystica aqua vino misceri consueverit ad exprimendam unionem Jesu Christi cum gentibus. Docet S. Athanasius eadem fide sacro altari osculum infigi, qua mulier evangelica Jesu Christi vestimenta tetigit. Reperimus in S. Cyrillo Hierosolymitano, Catech. III, quod si Diaconus celebraturo Pontifici aquam ad lavandas manus porrigat, id non fieri ut sordes manuum detergantur, quae jam ante accessum ad altare mundatae fuerant, verum ut ei puritas cordis ob oculos collocetur, quam ad sacra mysteria accedentem afferre oportet. In S. Hieronymo contra Vigilantium legimus, quod Evangelii tempore toto in Oriente meridiano sole incensae fuerint cereae faces in signum obsequii mysticum et laetitiae testimonium. S. Augustinus in Psalmum 106 testatur quod mystica subsit ratio, cur quandoque *Alleluja* solemni pompa praecinatur, quandoque vero penitus omittatur. In S. Ambrosio invenies, quod sub aris Martyrum corpora recondita fuerint, ut ita significaretur eos caritatis victimas in unione Jesu Christi omnium victimarum primae et excellentissimae, immolatos cecidisse. Sanctus Thomas III Parte, quaestione 83 articulo 2 ita loquitur: «Dicendum, quod ablutio manuum fit in celebratione Missae propter reverentiam hujus Sacramenti: et hoc dupliciter: primo quidem, quia aliqua pretiosa tractare non consuevimus, nisi manibus ablutis, unde indecens videtur, quod ad tantum Sacramentum aliquis accedat manibus etiam corporaliter inquinatus. Secundo, propter significationem, quia extremitatum ablutio significat emundationem etiam a minimis peccatis.» Reperimus demum synodos, quae Pastoribus enixe praecipiunt, ut ediscendo sensui mystico Ecclesiae rituum sedulo incumbant.

CAPUT IV.

STATIM AB ECCLESIAE EXORDIIS FORMA LITURGIAE UBIQUE DETERMINATA FUIT ATQUE PRAESCRIPTA.

I. Sanctus Paulus Apostolus (1) postquam circa divinae Eucharistiae celebrationem quaedam statuerat I. ad Corinthios Caput XI v. 34, sic addit: *Caetera cum venero disponam;* quem locum sic commentario illustrat Sanctus Hieronymus: *Caetera de ipsius Mysterii Sacramento*. Sanctus Augustinus de eodem textu fusius disserit his verbis: *Caetera* (*Epistola ad Januarium Opp. tom. II. pag.* 127) *cum venero ordinabo. Unde intelligi datur, quia multum erat ut in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia*. Idem Augustinus Apostolicae institutioni tribuit ea quae universa tenet Ecclesia, et non fuerunt ullo synodorum decreto sancita. *Sunt multa*, inquit, (*De Baptismo* Lib. V cap. 23) *quae universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis praecepta bene creduntur*. Ritus decantandi psalmos et alios hymnos satis innuitur his Sancti Pauli verbis: *Loquentes* (*Epistola ad Ephesios* Caput VIII v. 19) *vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus*. Quam commonitionem iterat idem Apostolus in sua ad Colossenses Epistola Caput III v. 16. Jam secundo saeculo ita regulatam divini Officii seu horarum Canonicarum rationem nobis exhibent monumenta, ut multas leges liturgicas ab Ecclesiae exordiis statutas fuisse minime dubium esse possit. Sic Plinius junior in sua ad Imperatorem Trajanum relatione: *Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem*. Ergo jam tunc statuti dies, statutae horae ad conveniendum, statuta alternatim psallendi disciplina. Haec aliaque multa priorum saeculorum monumenta qui perpenderit, fa-

(1) Bona, *Rerum Liturgicarum cum notis* Roberi Sala, *Praefat;* Bovix, *De Jure Liturgico, Pars tertia, Caput 1 et seq.*

cile perspiciet Liturgiam ab initio non in incertum fluctuasse, sed summa cura primum ab ipsis Apostolis, quoad praecipuos ritus praescriptam fuisse atque determinatam; tum variis legum accessionibus, synodorum decretis, Ecclesiarum consuetudinibus auctam atque ornatam ad sequiora manasse tempora. Non est igitur mirum sanctam Tridentinam synodum eidem institutioni apostolicae ritus liturgicos tribuisse; *Caeremonias* (Sess. 22 cap. 5), *item adhibuit Ecclesia, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex apostolica disciplina et traditione.*

II. In primis praeterea firmiter, ac constanter tenendum, quidquid in Liturgiis Ecclesiarum usu receptis praecipuum est ac essentiale, totum id ex apostolica institutione manasse. Hinc ejusdem antiquissimae traditionis esse comprobatur Hymnus glorificationis, seu *Gloria Patri etc.* qui non Flavianum monachum habet auctorem, ut nonnulli perperam tradidere, sed ab Apostolis derivatum fuisse demonstravit Cardinalis Bona *de Divina Psalmodia* Cap. 16 §. 6 et iterum ostendit *Rerum Lturgicarum* Lib. II Cap. 3, ubi Sala in notis veterum Ecclesiae Patrum testimonia profert. Salutatio *Dominus Vobiscum* praeterquam quod e Veteri Testamento in Ecclesiam derivata est; Booz enim, ut in Libro Ruth Cap. II legimus, salutans messores suos ait: *Dominus Vobiscum*, et Propheta missus a Deo ad Asam Regem Judae, cum victor e praelio reverteretur, dixit illi, et iis qui cum ipso erant 2 Paralip. Cap. XV *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo;* in Novo Testamento haec eadem salutatio vim et efficaciam accepisse videtur ex verbis Christi Domini Matth. Cap. XXVIII *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*: ac proinde illam ab Apostolis traditam, et in Ecclesiam introductam agnoscit Concilium Bracarense I can. 21. Collectas, seu orationes breves, quibus petendorum summa paucis verbis continetur, nulli dubium esse potest, uti observat Cardinalis Bona ab Apostolis, eorumque immediatis successoribus in sacris conventibus usurpatas.

Preces porro, quae in Sacrificio Missae fundebantur Apostolus indicat I Timoth. II v. 1 et seq. ubi ait:

Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, Orationes, Postulationes, Gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam, et tranquillam vitam agamus in omni pietate, et castitate. Haec certe ad Missae Sacrificium referri diserte tradit S. Augustinus Epistola LIX ad Paulinum, seu potius ad Victorinum quaest. 5. Apostolici item instituti est contestatio, seu populi responsio *Amen*, de qua voce et usu loquitur Apostolus I ad Corinthios Cap. XIV et post ipsum antiqui Patres, Justinus Martyr, *apologia secunda,* et Hieronymus, *Praefatione* Lib. II *in Epist ad Galatas* atque Augustinus, Lib. II contra Parmenianum Cap. 7.

III. De lectione Epistolae, quae *Apostolus* antiquitus dicebatur, fidem facit idem Gentium Doctor ad Colossenses, Capite quarto: *Cum lecta,* inquit, *fuerit apud vos Epistola haec, facite ut in Laodicensium Ecclesia legatur, et eam quae Laodicensium est, vos legatis:* item in fine Epistolae I ad Thessalonicenses. *Adjuro vos per Dominum, ut legatur Epistola haec omnibus sanctis fratribus.* Quod autem in Missa lecta fuerit, testatur Justinus *Apologia secunda*, ubi describens Sacrum Christianorum, ait: *Commentaria Apostolorum, aut Scripta Prophetarum quoad tempus fert, leguntur:* alibique apud Tertullianum in Apologetico Cap. 39 S. Cyprianum Epistola 33 et 34 haec confirmentur. De Evangelio nulli dubitare fas est, cum idem lectum fuisse in Ecclesiis pariter testetur Apostolus 2 ad Corinthios, Cap. III dum fratrem commemorat comitem suae peregrinationis, *cujus laus est,* inquit, *in Evangelio per omnes Ecclesias:* et Eusebius Lib. II *Historiae Ecclesiasticae* Cap. 15 diserte affirmat Marci Evangelium ab apostolo Petro sua auctoritate comprobatum fuisse, et ut in Ecclesiis legeretur, indixisse. Cujus rei antiquissimi et apostolici usus testes locupletissimi sunt Justinus, Origenes, S. Hilarius aliique veteres Patres. Quid autem in Sacrificio offerendum sit, Ecclesiam ab Apostolis didicisse perspicuis verbis testantur Justinus, Irenaeus, et Cyprianus. Justinus Martyr *Apologia secunda* pag. 97 meminit semel ac iterum de panis, vini et aquae oblatione. *Deinde,* inquit, *ei qui fratribus praeest,*

idest Episcopo, offertur panis et poculum aquae et vini. S. Cyprianus in Libro *de opere, et eleemosynis* Cap. V aperte loquitur de oblationibus ad altare.

IV. Praefationum usum jam in ipsis Ecclesiae primordiis, earumque institutionem vel Apostolis, aut apostolicis viris tribuendam, tamquam certum ostendunt Cardinalis Bona, Pagius, aliique doctissimi viri. Integra nostraeque simillima Praefatio legitur in Jacobi Liturgia, ejusque mentio apud vetustissimos secundi et tertii saeculi Patres habetur. Cyprianus Libro *de Oratione Dominica, Ideo et Sacerdos,* inquit, *ante orationem, Praefatione praemissa, parat fratrum mentes, dicendo: Sursum Corda.* Ipsum quoque Canonem, qui insignis est Missae pars, ex apostolica traditione Ecclesiam suscepisse, conceptis verbis testatur Vigilius Papa, epistola ad Profuturum Episcopum Bracarensem. Pro Defunctis autem orandum esse, pariter ex apostolica traditione diserte docet Chrysostomus Homilia 69 ad Populum Antiochensem. *Non temere,* inquit, *ab Apostolis haec sancita fuerunt ut in tremendis Mysteriis Defunctorum agatur Commemoratio.* De Orationis Dominicae recitatione post Hostiae Calicisque consecrationem illustris locus est S. Hieronymi Lib. I *adversus Pelagianos* Cap. 18 ubi de Christo ait: *Sic docuit Apostolos suos, ut quotidie in Corporis illius sacrificio audeant dicere: Pater noster qui es in coelis.* Apostolorum etiam mos fuit et in Ecclesia semper observatus, ut sacra Hostia in Sacrificio divideretur: atque id, cum per *panis fractionem* tum in Evangelio Lucae, tum in Epistola Pauli ad Corinthios v. 10 tamquam a Domino institutum tradatur, mirum non est, quod ab Ecclesia fuerit inviolabiliter custoditum. De osculo pacis ante Communionem tamquam ab Apostolis instituto expresse affirmant veteres Patres Justinus, *Apologia secunda;* Tertullianus, *de Oratione* capite decimoquarto. Orationum porro clausulam illam *Per Dominum etc. Per omnia saecula saeculorum*, quae frequentissime in omnibus Liturgiis reperitur, ab Apostolis derivari tradit S. Irenaeus, Libro quinto adversus haereses, capite 6; elevationem vero manuum oculorumque et inclinationem corporis fuisse caeremonias in primo Ecclesiae saeculo ob-

servatas exemplo, et auctoritate Christi Domini, et Apostolorum.

V. Quamquam Novatores a Catholicis scriptoribus depressi ac debellati fuerint, caput tamen exerere audent, temere jactitante nihil *de Mysteriis, nihil de Caeremoniis*, *nihil de forma Eucharistiae* a veterrimis illis Christianae Religionis Apologistis, nihil demum a Patribus trium priorum saeculorum tradi. Attamen quod ad Apologistas Christianae Religionis attinet, nimirum ad Athenagoram, Tatianum, Iustinum, Minucium Felicem, Tertullianum, Originem, Lactantium, ac Arnobium, hos dedita opera in aureis libellis quos paganis exhibebant de Mysteriis Sacramentorum, et praesertim Eucharistiae siluisse, palam est. Siluit quidem de Mysterio Eucharistiae Athenagoras, quod in sua Apologia non omnia Catholicae Religionis dogmata explicanda susceperat, sed ethnicorum criminationes refellere. Siluit etiam Arnobius, quia Mysteria Religionis christianae, quum Libros adversus gentes elucubravit, ignorabat, nam tum Arnobius Catechumenus erat; Catechumenis autem Mysteria Eucharistica ignota fuisse apertum est. Lactantius demum siluit iisdem de causis, ne scilicet mysteria proderentur. Apertior vero omnibus est S. Justinus, qui sacrae Liturgiae et Sacrificii celebrandi rationem summatim refert. Ceterum hisce Apologistis et priscis Ecclesiae Patribus infixe animo haesit, maximis certe de causis, ne Mysteria Sacramentorum patefacerent, sed caute atque circumspecte de Mysteriis et de formis ac ritibus eorumdem Sacramentorum sermonem instituerent: quin etiam saepe consulto de iis obscure et aenigmatice loquuntur, cujus rei exempla passim obvia sunt apud Augustinum, Epiphanium aliosque Patres ob illam porro, quam *Arcani* (1) *Disciplinam* nominant; ne scilicet ritus et caeremoniae Sacramentorum evulgarentur, idque multis veterum testimoniis confirmat Melchior Canus, in Libris de *Locis Theologicis*; et Joannes Filesacus, in *Libris Selectorum*.

(1) Vide opus nostrum cui titulus: *Antiquitatum Christianarum Institutiones* T. 1. Lib. Primus Cap. LXXIV.

Quid est autem, quod Novatores objiciunt, caeremonias ideo novas esse, quia eae quibus utimur, in Libris Liturgicis antiquioribus minime reperiantur? Si de Libris Sacramentorum, scilicet Gelasiano et Gregoriano loquuntur, pauca in iis quidem monita legent, quae de Caeremoniis constituuntur, at nonnulla invenient quae eos rubore perfundant. An ignorant in his Sacramentorum Libris preces Liturgicas tantum, et solemnia verba pro Sacramentis conficiendis haberi? An ignorant aliunde, nempe ex aliis Ritualibus Libris, puta ex Ordinis Romani vetustissimis libellis, qui non semel luce donati sunt, rescripta de ritibus et caeremoniis in sacris mysteriis peragendis peti? An ignorant hujusmodi caeremoniis plenos esse libros Alcuini, Amalarii, Flori Lugdunensis, Rabani Mauri, Walafridi Strabonis, Micrologi, et aliorum?

CAPUT V.

SUPREMUM JUS LITURGICUM AD ROMANUM PONTIFICEM PERTINET.

I. A primis nempe Ecclesiae (1) saeculis Summus Pontifex supremum jus legislativum circa Liturgiam exercuit; quod ut probemus, aliqua tantum facta, saeculorum seriem decurrendo, memorabimus. Saeculo II Victor Papa Asianos decreto a se promulgato de die celebrandi Pascha obtemperare detrectantes jam anathematizandi consilium inierat; quod tamen hortatu et suasione S. Irenaei abjecit, teste Eusebio Lib. V Cap. 24. Sanctus Siricius Papa, in prima sua ad Himerium Tarraconensem Episcopum epistola, decernit Baptisma, extra casum necessitatis, nullo alio quam Paschatis et Pentecostes tempore conferri; contrariam vero consuetudinem in Hispania introductam, sub poena excommunicationis corrigendam jubet. Neque minus suae sedis jus Innocentius I asseruit., vel quum epistola VI legem tulit de ultima poenitentia, vel quum epistola XXV pacis osculum dandum post confecta mysteria,

(1) Zaccaria, *Bibliotheca Ritualis Dissertatio 1.* Caput IV.

et non debere baptizatos nisi ab Episcopo consignari, et rite omni sabbato jejunari Decentio Eugubino Episcopo rescripsit. Sanctus Coelestinus epistola ad Provinciae Viennensis et Narbonensis Episcopos, cum in ea scilicet Galliarum regione usurpatus mos a Sacerdotibus fuerat, ut in sacra re peragenda palliis quibusdam et cingulis uterentur, eam consuetudinem reprobat et tollendam esse jubet. Sanctus Leo Magnus in sua nona ad Dioscorum Alexandriae Antistitem epistola, praescribit iterari Sacrificium Eucharisticum in iis ecclesiis quae, prae confluentium fidelium multitudine, toti continendo populo impares sunt: In Siciliae vero Episcopos, quod die sancto Epiphaniae Baptisma ministrarent, severa rephrensione animadvertit. Sancti Gregorii Magni variae circa Liturgiam ordinationes habentur. In sua ad Sanctum Leandrum Hispalensem Episcopum approbat unicam in Hispania fieri baptismalem immersionem. Praecipue vero attentione dignum est Sancti Gregorii Magni rescriptum, quo praecipuis Ecclesiae Ravennatensis Diaconibus usum mappulae permittit, caeteris vero Clericis interdicit, non obstante contraria illius Ecclesiae consuetudine. Idem Gregorius Magnus Oregio, Agapensi in Galliis Episcopo, facultatem fecit Dalmaticam gestandi; quo privilegio ipsius etiam Archidiaconum donavit.

II. Ad sequiora vero tempora si deveniamus, sedem Apostolicam magis ac magis huic de re Liturgica Legislationi incumbentem reperimus. Sanctus nempe Gregorius VII in Hispania Romanam Liturgiam, sublata Mozarabica, usurpari praecipit. Alexander III Beatificationis et Canonizationis causas sedi Apostolicae in posterum reservatas decernit. Clemens IV Dominicanorum Liturgiam ita determinat, ut jam in nulla re possit sine Romani Pontificis auctoritate immutari. Sanctus Pius V universali lege reformato a se Missali et Breviario ritus Latini Ecclesias (paucis exceptis) subjicit. Similem postea legem Successores ejus quoad Pontificale, Caeremoniale, Rituale et Martyrologium edicunt atque simul suas Orientalibus Ecclesiis Liturgias, jam a nullo, praeter sedis Apostolicae veniam, immutandas imponunt. Et tandem insti-

tuta est Sacra Rituum Congregatio cum potestate ordinaria in totum orbem ad solvenda dubia, et tollendos abusus, atque ad sancienda omnia quae sibi ad rem Liturgicam opportuna viderentur. Hinc porro illud sequitur, ejus primas supremasque in re Liturgica esse partes debere, cui Fidei depositum cumprimis a Salvatore concreditum fuerit. Cuinam autem fidei depositum a Christo praecipue commendatum dicatur, nisi Petro, super quem, veluti firmissimam petram, ille Ecclesiam suam a se aedificandam promisit, et qui confirmare fratres suos a Domino jussus fuit? Unitas quoque disciplinae quoad fieri potest, saltem in iis, quae ad ipsum spectant publici cultus, ac Sacramentorum substantiam, praesertim quum ea ad unitatem fidei maxime conferat, a quonam curanda sit, nisi ab eo, qui centrum Unitatis a Christo constitutus fuerit? Hic autem alius non est, nisi Petri successor, Romanus Pontifex.

CAPUT VI.

DE LIBRIS LITURGICIS.

I. Ordiemur ab eo, quem summa (1) reverentia Jesu Christi Sacerdotes et fideles habuerunt, nempe ab Evangeliorum Codice. Eadem fuit sacris libris Liturgicis reverentia, quae vasis ad mysteria divina peragenda dedicatis. Tanta insuper fuit veneratio christianorum erga Evangelium, ut illud aureis litteris conscribendum, ac praetiosissimis tegumentis exornandum quam maxime curarent. Narrat Anastasius, Justinum Imperatorem, Sancto Hormisdae Romano Pontifici, Romam misisse multa aurea et argentea dona; Evangelia cum tabulis aureis, et cum gemmis pretiosis pensantia libras XV. Carolus Magnus cum in Imperatorem a Leone III inauguratus esset, inter cetera sacra dona quae Basilicae Lateranensi obtulit, fuit Evangelium etiam ex auro mundissimo cum gemmis ornatum, uti constat ex Ana-

(1) Georgi, *De Liturgia Romani Pontificis* Tomus II. *Dissertatio* II. Caput Primum; Zaccaria, *Bibliotheca Ritualis Dissertatio IV.*

stasio in vita Leonis III. In sacris cimeliis monasterii Centulensis, curante Angilberto Centulensi Abbate, asservabatur Evangelium auro scriptum cum tabulis argenteis, auro, et lapidibus pretiosis mirifice paratum. In Chronico Fontanellensi mentio est de Codice pulcherrimo quatuor Evangelia continente.

II. Solemne etiam fuit apud majores nostros, ut codices, qui apud eos magni fierent, aureis characteribus exararentur. At vero Evangelia litteris grandioribus, ut plurimum, conscribebantur ut saltem unum, aut duo Evangelia in unum volumen compingi possent, ne moles voluminis nimium excresceret. Itaque cum audimus, Evangelium litteris aureis, priscis saeculis Ecclesiae exscriptum, non semper hac voce quatuor Evangelia veniunt, sed unius tantum, aut duorum Evangelistarum. Quapropter cum distinguere volunt quatuor Evangelia in unum volumen digesta, Evangelium plenarium hoc volumen appellant.

In monasterio S. Maximini Trevirensis Martenius reperit vetustissimum Evangeliorum magnum textum litteris aureis scriptum ac visu pulcherrimum. Commemoratur praeterea a Martenio alius codex Evangeliorum litteris aureis exaratus in membranis pulcherrimis, qui in Epternacensi Monasterio asservatur. Ut autem decentius in Sacrario hi codices custodirentur, operimentis, seu capsulis quibusdam contegebantur, quae capsae et camisiae appellatae sunt.

Isti autem Evangeliorum codices, quorum lectio in sacrosancta Missae sacrificio fiebat, a medii aevi scriptoribus non uno nomine sunt appellati: quandoque enim *Evangelium* tantum, quandoque *Evangeliarium*, ut apud Honorium Augustodunensem, aliquando *Evangelistarium*. Graeci etiam recentiores quatuor Evangeliorum codicem *Evangelistarion* vocant; qua de re late disceptant Leo Allatius, in *Dissertatione de Libris Ecclesiasticis Graecorum*; et Cangius, in *Glossario Graeco*. Praeterea Evangeliorum codicem, conflatis in unam duabus vocibus, Textevangelium appellarunt; quae vox in veteribus monumentis deprehenditur, ut plurimum vero simplici voce Textus est appellatus; cujus vocis testimonia plura a Cangio afferuntur.

III. Priscis Ecclesiae saeculis solemne fuit, (1) ut non modo ad initium Missae sacratissimus Evangelii codex magna cum pompa ad altare deferretur, sed perpetuo una cum Christi Cruce ibi maneret. Id quidem praeter alia, Remense Concilium ab Ivone Carnotensi Episcopo relatum, observandum esse statuit. Quemadmodum olim apud Hebraeos Arca foederis in qua erant tabulae legis, ita apud veteres christianos Evangelii codex, quo Christi lex atque doctrina continetur, summa cum pompa in processionibus deferebatur. Id quidem patet ex variis Ecclesiasticae Historiae monumentis. Apud Graecos eumdem morem invaluisse, ut Evangelium magna religionis pompa deferretur, ex eo patet quod inter officia magnae Ecclesiae Constantinopolitanae numeretur Praefectus Evangelio, qui nimirum illud ferret in supplicationibus, ut est apud Curopalatem, qui etiam monet id fieri ab Archidiacono in solemni supplicatione festi Palmarum. Ne vero haereticorum interpolationibus paterent, quotidie absoluta Liturgia sigillo obsignabantur. In ipsis Conciliis generalibus Evangeliorum codex publice magnifico apparatu omnium prospectu supra thronum positus est. Quod quidem in eadem aula, in qua publica judicia feruntur, faciendum statuit Justinianus, ut videre licet in figura, quam Pancirolus exhibuit in *Historia Imper. Orient. et Occident.*

Insuper veteres christiani contra nocturnas antiqui hostis insidias et illusiones divina Evangelia lectulis in quibus decumbebant appendere consueverunt. Accedit ad veteris observantiae commendationem, quod multi ad collum Evangelium suspenderent, praesertim pueri ac mulieres; hinc medio aevo usus ille obtinuit, ut is qui donationem alicui faceret Ecclesiae, codicem Evangeliorum humero gestans Ecclesiam illam circuiret. Eo quoque devenit fidelium religiosa pietas, ut sacrum Jesu Christi Evangelium etiam in sepulchro, medios inter cineres, tamquam pignus immortalitatis secum habere cuperent. S. Barnabas cum S. Paulo Apostolo ad Gentes profecturus, Evangelium S. Matthaei, propria

(1) Catalano, *De Codice Sancti Evangelii Caput III et seqq.*

manu descriptum, quaquaversum circumtulit, ac tandem pro eo martyr in Cypro occumbens, cum eodem, quasi cum testimonio suae in Deum charitatis nunquam intermoriturae, sepeliri voluit; quod deinde sub Zenone Imperatore ad pectus ejus appositum, ipso revelante, ut refert Baronius, inventum est. Priscis Ecclesiae saeculis, omnes fere viri, ac mulieres Evangelium pro comite fidoque praesidio secum gestabant. Huc spectant quae passim Romae, in Coemeteriis praesertim, et alibi occurrunt picturae veteres virginum, ac virorum librum ornatum gemmis gestantium, idest divinum Evangelii codicem. Nec ille minus pius religiosusque videri debet ritus, quo olim prisci fideles Evangelium aegri et in lecto jacentis capiti admovebant. S. Augustinus sacro Evangelii codici tantam virtutem tribuit, ut non animi tantum, sed et corporis morbos ab eo depelli posse autumet, si cum fide adhibeatur.

IV. Evangeliorum codici, jure inter Libros Liturgicos, Librum Sacramentorum, quem appellant, subnectimus. Est igitur Liber Sacramentorum earum precum collectio, quae a celebrante in conficiendo sacrosancto Jesu Christi Corpore et Sanguine recitantur. Igitur ex ipsa sacratissimae Eucharistiae confectione, quae ob excellentiam Sacramentum est appellata, codices illi quibus ea perficiebatur, *Sacramentorum Libri* et *Sacramentaria* sunt vocati. Gelasius et Gregorius Magnus auctores horum librorum sunt, multa vero eorum quae in codice Gelasiano leguntur, ab aliis Pontificibus limata fuisse et praesertim a S. Leone Magno, apud omnes in comperto est. Tanta fuit apud majores nostros in librum Sacramentorum observantia, ut eum extremo loco post Libros Novi Testamenti, accensere aliquando non dubitarint. Non est autem praetereundum, libros quoque Sacramentorum, prout in caeteris libris sacris mysteriis destinatis fieri consueverat, integumentis magni pretii exornatos fuisse. Testatur enim Flodoardus Hincmarum Rhemensem, postquam S. Remigii translationem fecit, inter caetera dona, librum Sacramentorum sub eburneis tabulis argento exornasse.

De *Sacramentarii Gregoriani* editionibus nunc aliquid

proferamus. Primus omnium, ut viri eruditi animadverterunt, Jacobus Pamelius in sua *Liturgicorum* collectione, antiquorum codicum ope, librum Sacramentorum S. Gregorii typis Coloniensibus vulgavit. Secuta est alia editio inter opera S. Gregorii, typis Romanis; cura et studio Angeli Rocchae, qui *Sacramentarium Gregorianum* juxta exemplar codicis Vaticani edidit, ac separatim scholiis illustravit, At Parisiis Hugo Menardus aliam *Sacramentarii Gregoriani* editionem curavit egregiisque animadversionibus ornavit.

V. Missalis nomine, cujusmodi hodie et nonnullis abhinc saeculis in Missae sacrificio peragendo utimur, antiquissimis temporibus liber Sacramentorum sive Gelasianus, sive Gregorianus intelligebatur, quod quidem docet Cangius in suo *Glossario*, verbo *Missale*. Libro *Missali* saepe olim *Lectionarium* conjungebatur, quod utroque ad Missam celebrandam Presbyteri indigerent. Quod autem spectat ad Missalem librum, nostris fere similem, illud, ut ex saeculi IX monumentis liquet, *Missale Plenarium* appellabatur, quod singula ad Missae celebrationem singulis diebus per annum dicenda contineret; idque factum est pro Missis privatim dicendis. Idcirco in antiquissima Synodali admonitione, Leoni IV adscripta, statutum est, ut *Missale Plenarium, Lectionarium et Antiphonarium* unusquisque habeat; quae verba postea in Pontificalis Romani editione ab Augustino Patritio recognita, sunt immutata, et eorum loco haec posita: *Missalia, Gradualia, Lectionaria, et Antiphonaria vestra sint completa et perfecta.* Offerebantur autem priscis saeculis Missalia, ceu sancta donaria, prout et caeteri sacrorum librorum codices. Hujusmodi donorum exempla damus. Wifredus Comes tradidit Ecclesiae S. Mariae Rivipullensis, praeter caetera munera, Missalem et Lectionarium. Ivo Carnotensis Episcopus, ut est in Martyrologio Carnotensi, suae Ecclesiae ornamenta reliquit: Librum Missarum et Epistolarum et textum Evangeliorum, et unum Lectionarium matutinalem dedit, et omnes argento paravit.

VI. Missali Libro *Lectionarium* ut plurimum conjunctum fuit, quod hoc etiam libro in Missae celebra-

tione opus esset. Duo olim ac etiam tres, praesertim in Missa, ad sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum conficiendum, omnino necessarii libri erant, nempe *Liber Sacramentorum*, *Lectionarius*, *et Antiphonarius*. Proprie vero *Lectionarius* est liber continens Epistolas et Lectiones ad Missam legendas. Appellatus est etiam *Apostolus*, quod plerumque e B. Pauli Epistolis Lectio in Missa dicenda decerpta esset. Placuit etiam barbaro vocabulo librum Epistolarum, *Epistolarium* vocare. Ita enim passim appellatur a Leone Ostiensi, quem refert Cangius in *Glossario*. Dandus est quoque suus locus inter libros Liturgicos *Antiphonario* Sanctae Romanae Ecclesiae, quo libro, uti notum est, veniunt Antiphonae ad Introitum, ut plurimum ex Psalmis Davidicis excerptae, versiculi duo ex iisdem Psalmis; demum inferiori aetate accessere *Prosae*, et *Sequentiae* certis diebus decantandae. Liber hujusmodi antiphonas continens vocatur *Antiphonarius* a Johanne Diacono in vita S. Gregorii et a caeteris Scriptoribus Liturgicis, nempe ab Alcuino, Amalario, Agobardo, Walafrido Strabone, Micrologo et Bernone Abbate, qui fere omnes, per eumdem S. Gregorium S. R. E. *Antiphonarium* dispositum fuisse agnoscunt, ut accurate docuit Jacobus Pamelius in Prolegomenis in secundum tomum *Liturgicorum*. Tria vero in Ecclesia Romana nomina hic liber obtinuit, scilicet *Antiphonarii*, *Cantatorii* et *Gradualis*, ut discimus ex Amalarii prologo de ordine *Antiphonarii*. Haec autem tria nomina comparent in vetustioribus Romanis Ordinibus. Duplex autem *Antiphonarii* genus erat, aliud ad Missam, aliud ad cursum, seu horas canonicas pertinens. Quod autem spectat ad *Antiphonariorum* ornatum, eorumque pro ministerio altaris Christifidelium pietate oblationes, quae sequuntur vetusta testimonia satis declarabunt: Wido Abbas Fontanellensis inter sacra ornamenta quae Ecclesiae ejusdem coenobii contulit, dedit Antiphonarium Turonense unum. Inter libros quos Harduinus Presbyter sua manu conscripserat et Fontanellensi coenobio moriens reliquit, recensetur Antiphonarium Romanae Ecclesiae volumen unum.

Post Pamelium qui in suis Liturgicis *Antiphonarium*

Gregorianum edidit, successit alia Antiphonarii Gregoriani editio inter opera S. Gregorii, Romae, curata; deinde eadem Parisiis per Petrum Gussanvillaeum repetita. Huc accedit saepe a nobis magna semper cum laude memorandus Josephus Maria Cardinalis Thomasius, qui conquisitis undique veteribus codicibus, quorum ope Liturgicos libros luce donaret, *Antiphonarium Gregorianum* Romae edidit. Denique alia *Gregoriani Antiphonarii* editio prodiit, cura et studio Dionysii Sammarthani, monachi Benedictini Congregationis S. Mauri.

VII. Antiphonis posterior aetas tropos addidit saeculo circiter XI, ut cum Card. Bona censet doctissimus Dominicus Georgius (*de Tropis Diss. 111*). Est autem tropus, versiculus qui praecipuis festivitatibus canebatur immediate ante Introitum, quasi quoddam praeambulum: ut verbi gratia in festo Nativitatis ante Introitum illum *Puer natus est*, praecedebat tropus iste: *Ecce adest, de quo prophetae cecinerunt, dicentes: Puer natus est.* Monachis eos debemus; ab his enim ad alias Ecclesias derivati sunt. Troporum auctorem Notkerum Babulum fuisse adfirmat, in ejus vita, Ekkehardus junior ineuntis XIII. saeculi scriptor; sed a Mabillonio *Annal. Bened. lib. XIX* validis argumentis denegatur. Adeo autem Troporum usus increbuit, ut libri conficerentur *Troponarii*, *Troparii* ac *Troperii* dicti, quorum, praeter Durandum et Belethum, meminit descriptio thesauri S. Pauli Londinensis. Confer *Monasticon Anglicanum. Tom. III. pag. 321.*

VIII. *Comes*, est liber lectionum quae recitabantur in Missa. De nomine tantum non conveniunt auctores. Volunt enim sic vocari, vel quia Comiti cuidam primo inscriptus fuerat, vel quia Clerici eum semper secum, quasi comitem et familiarem, habere debuerint. *Computum, Computus, et Compotus*, (1) est liber docens ordinandi tempora et festa, ac universim officia seu Kalendarium pro quovis anno. *Sacerdotalis liber* ita appellatus, in quo ritus ad Sacerdotem pertinentes continentur; recentiori Rituali copiosior. Eodem praeterea vocabulo denotant Praemostratenses versiculum quod

(1) Gallicciolі, *Isagoge Liturgica Cap. VIII.*

initio Laudum recitant. *Agenda*, numero plurali vel etiam singulari, amplectebatur totum officium mortuorum ab eo tempore, quo infirmus incipit animam agere, adusque cadaveris tumulationem. Praesertim vero continebat Missam pro Defunctis, et Vigilias sive Matutinum et Vesperas.

Collectaneum, *Collectarium*, *et Collectaneus* Liber, is est qui continet collectas sive orationes ad quaevis officia dicenda. Hujusmodi libellum habes apud Thomasium sub nomine *Orationalis*. *Capitulare* videtur interdum pro Antiphonario sumi. Vulgo sic appellatur liber qui assignat Evangelia in singulis Missis legenda, initium notando et finem: quare *Breviarium Evangeliorum* audiebat. Fronto sub nomine Kalendarii unum hujusmodi librum illustravit et edidit, plurimos vero Thomasius. *Lucernarium* in ritu Ambrosiano vocatur *Responsorium*, quod canitur ad Vesperas. *Orationale* idem erat ac *Collectaneum*. Exstant in quibusdam Ecclesiis hujusmodi Orationalia, in quibus sunt *Collectae* pro omnibus Sanctis. *Tabula Officialis* erat tabella in qua exprimebantur nomina eorum, qui aliquod officium vel munus iu Choro exercere debebant. Erat et *Diurnalis* Liber, qui mores Ecclesiae Romanae circa ea quae quotidiano usu contingebant, praesertim circa electiones et ordinationes Episcoporum, complectebatur.

IX. Ad *Homiliaria* ut progrediar; *Homiliarium*, et ut vocatur in antiquo *Brevi recordationis de Thesauro Ecclesiae S. Zenonis* (edito a Zaccaria *Bibliotheca Pistoriensis* p. 151) *Bibliotheca Omeliaris* liber est homilias in Evangelia complectens. Paulus Diaconus Caroli M. jussu *Homiliarium* quoddam confecit. *Passionarium*, quod et *Passionale Passionalis* liber est res a Sanctis, praesertim Martyribus, gestas continens. *Martyrologium* libellum designat, in quo Sanctorum nomina, eorumque acta brevi sermone indicantur. Plura habemus Martyrologia. *Hieronymianum*, quod ajunt, S. Hieronymo tributum; *Adonianum* a Rosweido primum, a doctissimo Dominico Georgio deinde vulgatum, *Usuardinum*, Bedae, Flori, Rhabani, Notkeri, Wandelberti aliaque, quae clarissimus comes Fridericus Althanus diligenter percensuit in *Indice Marty-*

rologico, quem Dissertationi de *Calendariis in genere, et speciatim de Calendario Ecclesiastico* p. 236 et seq. subjunxit. Nobis unum Romanum commemorandum. Ac Romanum quoddam Martyrologium ab antiquissimis retro temporibus exstitisse tam est certum, quam quod certissimum. Saepius prodierat Martyrologium secundum morem Romanae Ecclesiae. Notandum est Martyrologium Romanum a Benedicto XIV fuisse correctum , et cum forma ab ipso determinata praescriptum ; ita ut jam non liceat antiquioribus Romanis Martyrologiis in Choro uti; sed debeant adhiberi exemplaria correcta Benedicti XIV editioni conformia. In novis imprimendis Martyrologiis inseri tantum debent Sancti ab ultima editione canonizati, non autem ii Sancti qui Beati solummodo declarati sunt. Id ita expresse sancitum est a sacra Rituum Congregatione , decreto generali. In omnes fere linguas translatum fuit Romanum Martyrologium. Ex recognitione Benedicti XIV Martyrologii italica interpetratio Romae MDCCL typis Johannis Mariae Salvioni edita fuit in 4. Antiqui moris, quo plures ad recitandum officium libri adhibebantur, vestigia supersunt in voluminibus sive manu exaratis, sive impressis, quae ad usum chori pertinent. Codices hujusmodi manuscripti picturis et auro ornari consueverant. Celeberrimi sunt qui Senis et Ferrariae tum in principe Templo , tum apud Carthusianos adservantur.

X. *Rituale* , quod *Euchologium* Graeci appellant , liber quidem est in quo ritus ac caeremoniae praescribuntur ad Sacramenta rite administranda , ac caeteras functiones ecclesiasticas rite a Sacerdotibus peragendas. Antiquus est in Ecclesia hic mos ac primis Christi saeculis usitatus , ut uno volumine ritus ipsi , sive ab Episcopis, sive ab aliis Sacerdotibus inferioribus adhibendi, comprehenderentur. Primus inter editos Romanae Ecclesiae libros Rituales occurrit , qui Romae MDXXXVII prodiit et sequente anno recusus Venetiis fuit in 4, inscriptus *Sacerdotale*, seu *liber Sacerdotalis* , Leonis X auctoritate approbatus. Auctor operis fuit Albertus Castellanus Ordinis Praedicatorum. Multo illud labore Castellanus elucubravit, dicavitque

Leoni X. P. M. Ex Castellano potissimum profecit Franciscus Samarinus Beneficiatus Lateranensis in simili opere, quod vulgavit praenotatum: *Sacerdotale, sive Sacerdotum Thesaurus ad consuetudinem S. R. E. aliarumque Ecclesiarum collectus*. Idem opus paullo post emendavit auxitque Angelus Rocca. Est et aliud celebre Rituale, quod auctorem habuit Cardinalem Sanctorium, S. Severinae nuncupatum, teste Ciacconio in ejus vita T. III p. 1044. De hoc autem Rituali Cardinalis Sanctorii perhonorifica fit mentio in Brevi summi Pontificis Paulli V incipiente *Apostolicae sedis*. Sed tandem anno MDCXIV, Paulli V jussu et auctoritate, emendatum exiit Romae ex typographia Camerae Apostolicae. Novis tandem curis Benedictus XIV emendatius et auctius Romae exiit MDCCLII, excudente Generoso Salamoni. Illud etiam commentariis explanatum in lucem emiserunt duo docti viri, Venetiis Hieronymus Baruffaldius, Romae Josephus Catalanus. Nec desunt Italici hujus Ritualis Commentarii. Lucae anno MDCCXLII impressa habemus a Dominico Marescandolo duo volumina inscripta: *Rituale Romano distribuito in due tomi illustrato con commentarii ad uso de' Parrochi e Confessori*.

XI. Pro Ecclesiarum diversitate varii in usu fuere Rituales Libri, neque eodem inscripti titulo, etsi post Pauli V Rituale pleraeque Occidentales Ecclesiae suos ad illud ritus accommodarunt. Multis nominibus Ritualia designata sunt. Primum est *Agendae:* Missae quidem hoc nomine interdum praenotantur; nam et pro Missa *Agendae* nomen usurpatum saepius reperimus, sed et ad Ritualia significanda translatum hoc nomen fuit. Exemplo sint: *Agenda Parochialium Ecclesiarum Argentinensis Dioecesis: Agenda Sanctae Coloniensis Ecclesiae: Agenda*, seu *Rituale Osnabrugense*, auctoritate et jussu D. Francisci Guillelmi Episcopi editum Coloniae Agrippinae. Alterum, quo Praesules ad Ritualia denotanda usi sunt, nomen est *Institutio*. Quo spectat *Institutio Parochorum recognita et edita* jussu D. Petri de Villars Archiepiscopi Viennensis. *Institutio eorum quibus incumbit ministrare Sacramenta*, auctoritate D. Jacobi Sturault Episcopi Eduensis edita.

Singulare quoddam nomen est, quo Sicardus saeculo XII Cremonensium Episcopus novem *de Officiis* libros a se compositos inscripsit *Mitralis*. Aliud non ita obvium nomen suppeditat *Oeconomia Domus Domini seu Liber de Sacramentorum administratione, vulgo Baptizarium, ad consuetudinem Ecclesiae Tolosanae*. Usitatiora sunt *Pastoralis*, *Sacerdotalis*, et *Sacramentalis* nomina.

Aliquot Ritualis partes seorsum cum manu exaratae, tum typis impressae inveniuntur. De his igitur nunc agendum. Prima est *Baptisterium, Baptizarium, Baptismale*, seu ordo ad Baptizandum. Hoc nomine saepe integrum Rituale, quod ab ordine Baptizandi initium sumeret, designatum fuisse res est explorata. Ita pariter *Poenitentiale* et *Processionale* dici et olim consueverunt Libri, in quibus ritus ac preces orationesque ad rite Poenitentiae Sacramentum administrandum et Ecclesiasticas Processiones obeundas, juxta praescriptum cujusque Ecclesiae, statuuntur, uti videre est apud Ducange in suo mediae et infimae Latinitatis Glossario, et apud varios rerum ritualium Scriptores. Alter in hujus articuli censu numerandus liber est *Benedictionalis*, in quo benedictiones, quas ab Episcopis et Sacerdotibus fiunt, continentur: cujusmodi, inquit Ducange, est *Benedictionale Gregorii Magni* quod ex Codice Caesareo descripsit Petrus Lambecius Lib. 11 *Comment. Bibliothecae Caesareae*. Sunt et alii ejusdem generis Libri. *Liber ad oleandum*, nempe ad extremam unctionem administrandam in Tarvisinae Ecclesiae indiculis memoratur. Exstant etiam Libri *Exequiales*. Ex Processionalibus Libris decerptae sunt Litaniae. Varias porro veterum Litaniarum formulas evulgarunt, praeter Morinum et Martenium, Hugo Menardus, Mabillonius, Baluzius, Cangius, Sollerius, Trombellius, et de Rubeis.

XII. Inter Libros Sanctae Romanae Ecclesiae Caeremoniales statim occurrit *Ordo Romanus* a Georgio Cassandro primum Coloniae editus, deinde a Melchiore Hittorpio ibidem recusus. Nullum antiquiorem librum habemus de ritibus Ecclesiae Romanae, quam hic *Ordo Romanus*. Ejus antiquitatem plerique referunt ad sae-

culum octavum. Verum Ordinem illum saeculo octavo antiquiorem esse, atque ad tempora vel Gelasii Pontificis, vel saltem Gregorii M. revocandum, existimat Mabillonius in *Ordinem Romanum Commentarius* T. II *Musaei Italici*. Non unum., sed plures olim fuisse Ordinis Romani libellos ex Amalario intelligimus. Diversi erant hi libelli, non modo pro diversis argumentis, ut libellus de Missa Pontificali secundum ritum Ecclesiae Romanae, libellus de Ordinibus sacris, etc. sed etiam pro uno eodemque argumento; id quod ex Amalario manifestum est, ubi diversos libellos citat pro uno eodemque Officio Hebdomadae Paschalis. Hinc est, quod Mabillonius veterem sententiam sequutus, totidem libellos Ordinis Romani distinxit, quot ejusdem diversique de ritibus Romani argumenti adducit scriptiones. Atque haec est aliorum scriptorum opinio., quorum loca supervacaneum est recensere. Mabillonius in suo secundo volumine *Musaei Italici* tres omnino vetustissimos de Missa Pontificali libellos primo loco exhibet, quibus alii duo succedunt de Missa Episcopali secundum ritum Ecclesiae Romanae. Post hos sequuntur libelli de Ordine Baptismi, ac de Ordinationibus sacris; deinde auctores a saeculo XII, Benedictus Canonicus S. Petri sub Innocentio II, Cencius de Sabellis Cardinalis sub Caelestino III: ad haec Caeremoniale jussu Gregorii X editum, Ordinarium Jacobi Cajetani Cardinalis, ac demum libri caeremoniarum Petri Amelii Episcopi Senogalliensis. Variis ipsis libellis, quos Romanos Ordines Mabillonius appellat, suntque numero XV, varias admonitiones praefixit idem auctor ad informandum studiosum lectorem.

XIII. Venio ad Caeremoniale Sanctae Romanae Ecclesiae, quod Augustinus Patricius ex antiquis Romanis Ordinibus et probatis Romanae Ecclesiae usibus concinnavit, et Innocentio Papae VIII dedicavit. Fuit Patricius Apostolicus Caeremoniarius, quatuorque annos servivit Pio II Pontifici, a quo Piccolominei cognomen habuit. Liber hic tamen vulgatus non fuit a Patricio, qui mortem oppetiit MCCCCXCXVI. Edidit Cristopharus Marcellus Corcyrensis Episcopus Romae MDXVI, et quidem cum Pontificio privilegio Leonis X. Hoc opus

amplissimis commentariis a Josepho Catalano, Oratorii S. Hieronymi Charitatis presbytero, illustratum, Romae MDCCL ex typographia Antonii de Rubeis emissum est hoc titulo : *Sacrarum Caeremoniarum , sive Rituum Ecclesiasticorum Sanctae Romanae Ecclesiae Libri tres ab Augustino Patricio ordinati, et a Marcello Corcyrensi Archiepiscopo primum editi , nunc vero tandem in duos tomos* (in fol.) *et distributi, ac innumeris pene mendis purgati, et commentariis aucti*. Praecipuum vero locum heic sibi postulat *Caeremonialis* Episcoporum commemoratio. Licet priscis saeculis Libri Caeremoniales atque Liturgici in Ecclesia extiterint ad sacra rite peragenda ; Clemens tamen VIII primus omnium dici potest, qui opera doctissimorum virorum Caeremoniale Episcoporum pro universa Ecclesia ordinavit , anno Christi MDC. Correctum deinde fuit ab Innocentio Papa X, novissime vero a Benedicto XIII, uti constat ex ejus Bulla edita anno MDCCXXVII. Hujus a Benedicto XIII restituti Caeremonialis editionem Romae curavit Carolus Giannino et Hieronymus Mainardo. Sed multo praestantior editio item Romae anno MDCCXLIV ad easdem Benedicti XIII correctiones exacta prodiit studio Josephi Catalano, duobus tomis in folio, amplissimis scilicet commentariis illustrata. Sed tandem Benedictus XIV novas ad hujus Caeremonialis absolutionem curas adjecit: ab eoque perfectum Generosus Salamoni anno MDCCLII excudit.

XIV. Primam Romani Pontificalis editionem Augustinus Patricius et Joannes Burckardus sub Innocentio VIII curarunt. Inscribitur: *Liber Pontificalis editus diligentia Augustini Patricii de Piccolominibus , Episcopi Pientini , et Johannis Burckardi*. Post Patricium sub Leone X Albertus Castellanus Ordinis Praedicatorum ad Pontificale perpoliendum augendumque curas admovit, illudque emendatum cura Castellani Junctae ediderunt Venetiis MDXX fol. Quae editio iterata fuit Lugduni MDXLII, Venetiis MDXLIII, MDLXI ab iisdem Junctis. Clemens VIII et Urbanus VIII iterum, ut illud emendaretur curarunt. Hinc Pontificale Romanum Clementis VIII primum, nunc denuo Urbani VIII auctoritate recognitum, Romae typis Vaticanis MDCXLV.

Joseph Catalano cum prolixis commentariis edidit Romae MDCCXXXVIII. Item Benedictus XIV Pontificale emisit, excudente Generoso Salamoni. Insignem habent Graeci Librum Pontificalem. En titulum: Isaaci Haberti αρχιερατικον, *archieraticon; Liber Pontificalis Ecclesiae Graecae nunc primum ex regiis manuscriptis Euchologiis, aliisque probatissimis monumentis collectus latina interpretatione, notis, ac observationibus antiquitatis Ecclesiasticae plenissimis illustratus*, Parisiis MDCXLIII fol. Hoc opus in magna est apud eruditos viros existimatione, iique qui adcuratiorem quamdam rituum Graecorum notitiam comparare sibi velint, carere illo vix possunt.

CAPUT VII.

LITURGICI GRAECORUM LIBRI PERCENSENTUR.

I. Graecorum Ecclesiastici Libri plures nec unius generis sunt. Egregium de illis commentarium, Parisiis anno 1644 a doctissimo Leone Allatio habuimus, quem Hamburgi Joannes Albertus Fabricius ad calcem quinti Bibliothecae Grecae voluminis recudi jussit. Breviorem deinde de ea re, in multis tamen accuratiorem Gulielmus Cave sub Historiae suae litterariae finem edidit dissertationem: quam Robertus Sala in *Appendice Tomi secundi Rerum Liturgicarum* Cardinalis Bonae, typis iterum exprimi curavit. Primum Αναγνωσις seu Αναγνωσματα, *Anagnosis*, appellant, quem Latini *Lectiones* et *Lectionarium* nuncuparunt. Nempe quum in Ecclesia Graeca ex antiqua consuetudine non Novum solummodo, sed etiam Vetus Testamentum, dum divina in Templo peraguntur officia, recitetur, partes eas seu segmina ex Testamenti Veteris Libris, anni diebus variis pro Festorum solemnitate adsignata, in unum redegerunt volumen, ut facilius commodiusque prae manibus haberentur. Prostat hic liber MSS. passim in Monasteriis Graecorum, et potissimum in Bibliotheca Vaticana. Αποστολος, *Apostolos*, seu ut in Euchologio Goariano p. 238 vocatur, Αποστολικον Βιβλιον, *Apostolicon Biblion*; cujus potior majorque pars ex Epistolis Apostoli

Pauli concinnata est. Αγιασμος, *Agiasmos*, ne de vulgaribus hujus vocis significationibus agamus, notat hoc loco solemnem aquae benedictionem, juxta quam apud Graecos peragi solet; cujus quidem duplicem habemus ordinem in Euchologio. Διακονικον, *Diaconicum*, quae vox non unam apud scriptores ecclesiasticos significationem obtinet: sumitur quandoque pro ea Ecclesiae parte, in qua vasa sacra, et vestes reponebantur, quorum curam habebant Diaconi; quandoque pro *Collecta*, seu ea precum publicarum parte, quam Diaconi pronuntiabant. Hoc vero loco Librum denotat Ecclesiasticum, quo omnia, inquit Leo Allatius, quae ad Diaconi munus obeundum requiruntur, in agenda re divina et singulis officiis, uno veluti fasce continentur.

II. Αντολογιον, *Antologion*, quod latine dicas *Florilegium*, opus est in duodecim menses divisum, quo continentur officia quae per totum annum in Domini nostri Jesu Christi, Beatissimae Virginis, et reliquorum celebrium Sanctorum sollemnitatibus solent decantari. Ευχολογιον, *Euchologium*, sive Rituale Graecorum continet Ritus et Ordines divinae Liturgiae, variorum Officiorum Ecclesiasticorum, tum matutinorum, tum vespertinorum, formulas Sacramentorum, Baptismatis, etc. cum benedictionibus et orationibus, adhaec integras Basilii, Chrysostomi, et *Praesanctificatorum* Liturgias. Exemplar hujus libri omnium antiquissimum videtur illud in Bibliotheca Barberina asservatum, in charta pergamena, quadratis litteris, ante nongentos et plures annos accuratissime descriptum. Editum est a Graecis Venetiis non semel, nempe anno 1344, 1550, 1570, 1571, 1600, 1629, 1642. Hujus postremae editionis curam in se suscepit Theophylactus Hieromonachus, qui illam se recognovisse, a mendis, quae in priores irrepserant, repurgasse, nonnullisque orationibus auxisse gloriatur. Verum omnium diligentiam longe superavit P. Jacobus Goar Ordinis Praedicatorum, qui conquisitis undique codicibus tum editis, tum manuscriptis, omnes hujus Euchologii formulas et διαταξεις recensuit et digessit, variantes lectiones collegit, non paucas orationes, et integra officia ex manuscriptis Euchologiis addidit, versionem latinam adornavit, notis eruditis, figuris aeneis,

et Onomastico illustravit. Prodiit insigne hoc opus graece et latine Parisiis 1645 fol.

III. Λειτουργικον, sive Λειτουργιαι, *Liturgicon*, sive *Liturgiae*. Liber in quo Liturgiarum celebrandarum series describitur, et tres Liturgiae Basilii, Chrysostomi, et *Praesanctificatorum* continentur : quae quidem tres Liturgiae in Graecorum Euchologio semper continentur. In celebrandis his tribus Liturgiis Graeci hunc servant ordinem. Basilii Liturgia, ut ex proemio liquet; decies per totum annum canitur; nempe Vigilia Nativitatis Dominicae, Festo S. Basilii, vigilia Luminum, in S. Quadragesimae Dominicis, Dominica Palmarum, excepta sancta et magna Feria V et magno Sabbato. Praesanctificatorum, exceptis praedictis, omnes sacrae Quadragesimae dies occupat. Quod reliquum est totius anni, Chrysostomi Liturgia sibi vindicat. Liturgia Προηγιασμενων, *Praesanctificatorum*, quando recitatur, Corpus Jesu Christi non conficitur, sed confectum antea, divinis laudibus decantatis, absumitur. Τριωδιον, *Triodium*, Liber est, in quo officium, a Septuagesima usque ad Sabbatum Sanctum recitari solitum, continetur. Libri hujus plures et varii fuerunt auctores, cui postea multa addiderunt Nicephorus Callistus, et Philotheus Patriarcha, Latinorum quidem hostes acerrimi. Ipsi enim, ut conqueritur Allatius Diss. 11 p. 114, multa quae a veritate aberrant, intruserunt. Παραδεισος, *Paradisus*, Liber ecclesiasticus est, vitas quorumdam Sanctorum complexus, quas ex Simeonis Metaphrastae scriptis excerpsit Agapius Monachus Cretensis, et in linguam vulgarem seu graeco-barbaram transtulit. Πανηγυρικον, *Panegiricus*, Liber audit, qui variorum auctorum orationes encomiasticas, in varias Jesu Christi aliorumque Sanctorum solemnitates complectitur. Ex quo in diebus festis Sanctorum, concurrente populo ad celebrandam eorum memoriam, orationes laudativae, festo propriae, publice leguntur. Ex auctoribus qui hoc opus constituunt, agmen ducunt Athanasius Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, et Nissenus, Epiphanius, Chrysostomus, ut alios omittam: manuscriptus passim apud Graecos reperitur, in variis tamen Ecclesiis varius; adeo ut qui-

busdam in locis in immensam excreverit molem, et duodecim volumina complectatur, aeque satis ingentia, pro mensium numero disposita, teste Leone Allatio.

IV. Τετραωδιον, *Tetraodion*, Canon est quatuor odis constans, qui in Sabbatis, praesertim Quadragesimae, cani solet. Τυπικον, *Typicum.* Ordo, dictus est recitandi divini officii, liber haud parvae molis, in quo, ut Leonis Allatii verbis utar, Diss. 1 p. 4, a primo die anni, singulis diebus, quid inter Missarum solemnia, quid ad Vesperas, quid ad Horas, quid ad Matutinum, quid denique ad reliqua Divina Officia, sive dies illi feriales sunt, sive festi, recitandum, quid psallendum aut legendum sit, quibus diebus jejunandum, quibus et quomodo solvendum jejunium, verbis clarissimis et facillima methodo praescribitur, variisque est distinctum pro materiae varietate capitibus. Λαυσαικον, *Lausaicon*, Liber est continens Lectiones ex Palladii Historia Lausiaca de vitis Patrum collectas, quae statis diebus in Ecclesia perlegebantur. Πεντηκοσταριον, *Pentecostarium*, Liber est, quo Officium ab ipso die Paschatis usque ad octavum Pentecostes continetur. Addamus his Υμνολογιον, *Hymnologium*, continet hymnos in omnia festa totius anni cum antiquis notis musicis in duodecim menses digestos. Caveus alium Graecorum librum indicat: is es Καληνδαριον, *Kalendarium* sive *Ephemeris Ecclesiastica* in usum totius anni, juxta XII menses, ab initio Septembris usque ad finem Augusti, a Graecis digesta, qua Festa Ecclesiae, stata jejuniorum tempora, idque genus alia notari solent.

V. Sed jam ad *Menaea* calamum converto. Immensum est opus in duodecim menses, sive volumina divisum. In hoc opere Sancti omnes, quorum memoria eo mense colitur, singulorum officium, una cum rubricis miniatis litteris expressis, tropariis, canonibus lectionibus, aliisque recitandis subnectitur, vitae et res gestae compendio descriptae plerumque exhibentur, quandoqne et imagines praefiguntur. A Menaeis diversum plane opus est Μηνολογιον, *Menologium*. Nempe in eo, instar Martyrologii Latinorum, acta vel passiones Sanctorum qualibet cujusvis mensis die summatim exponuntur; brevis saltem eorum commemoratio

habetur. Variant apud Graecos Menologia, pro loco et tempore aucta et immutata. Exstat *Menologium* a Cardinale Sirleto latine versum, a Canisio editum (*Antiquae Lectiones.* T. V.) Verum omnium antiquissimum et augustissimum est *Menologium* illud Basilii Imperatoris studio et jussu descriptum. *Menologii Basiliani* sex postremi menses, Martius, Aprilis, etc. graece exstant manuscripti in Monasterio *Cryptae Ferratae*. Sex quoque ejusdem Menologii menses ab initio Septembris ad Februarii finem a Petro Arcudio latine redditos primum exhibuit Ferdinandus Ughellius *Italiae Sacrae* T. VI. Deinde integrum graece et latine Urbini prodiit anno MDCCXXVII tribus voluminibus fol. cura Eminentissimi Cardinalis Annibalis Albani. *Συναξαρια*, *Sinaxaria*, sunt vitae Sanctorum in compendium redactae et succincta expositio sollemnitatis de qua agitur, ex Menaeis et prolixioribus Graecorum libris ecclesiasticis, in angustiores terminos contracta. Ευαγγελιον, *Evangelium*, Codex est in quo descripta sunt Evangelia, non quidem continuata historiae Evangelicae serie, sed in certa themata divisa, quae proprias lectiones constituant, ad usum singulorum dierum et festivitatum exceptis enim solemnitatibus, quae peculiare sibi poscunt Evangelium, in reliquis anni diebus ita dispertiuntur, ut unius prius Evangelistae textum in themata dividant et diebus applicent, donec finiat; postmodum alterius continuent, donec omnia ad exitum perduxerint, et diebus Dominicis a Scriptore Evangelii nomen imponant. Πσαλτηριον, *Psalterium*, Liber est continens omnes Psalmos Davidicos eo ordine quo in sacris Bibliis habentur, sed in certas classes, plures vel pauciores Psalmos, pro eorum longitudine distinctos. Has sectiones Graeci *καθισματα*, sive *sessiones* vocant. Τριτα, *Trita*, dicitur Officium Ecclesiasticum pro defuncto, tertio ab ejus obitu die celebratum. Τριαδικα, *Triadica*, Hymni sunt, sive *Troparia*, in honorem SS. Trinitatis, in Liturgiis decantari solita. Προψαλματα, *Propsalmata*, Psalmus est 103 *Proemialis* dictus, non quod toti Psalterio praefigatur, sed quod ab eo divina officia inchoentur.

CAPUT VIII.

ECCLESIA QUACUMQUE AETATE LINGUIS USA DUMTAXAT EST IN SACRIS PERFICIENDIS HEBRAICA, VEL SYRO-CHALDAICA, GRAECA ET LATINA.

I. Joannes Echius Lib. II de *Sacrificio Missae* Cap. 2 nullo adhibito teste ausus est definire, Missam non nisi hebraice actam tam ab Apostolis, quam ab eorum successoribus usque ad tempora Adriani Imperatoris : et tunc demum coepisse Ecclesiam lingua graeca in Sacris uti. Sed hujus sententiae nullum extat apud veteres fulcimentum. Joseph Vicecomes *de Missae Apparatu* quamvis admittat Jesum Christum, Sacrificii Eucharistici Institutorem, Missaeque Auctorem, hebraico sermone usum fuisse in tanti Sacrificii institutione; non ideo concedit Apostolos, etiamsi Hierosolymis sacrum peregerint, hebraico, sed solum graeco idiomate in Missae celebratione usos fuisse. Eusebius Renaudotius in Dissertatione *de Liturgiarum Orientalium origine et auctoritate*, Cap. 1 ubi disserit de linguis quibus Liturgiae ab initio, et ad haec usque tempora celebrari solitae sunt, non detrectat asserere hac lingua hebraica Missam antiquitus celebratam fuisse. Sed non idem adstruit de pura lingua hebraica, quam illiterati non intelligebant. Etenim post captivitatem Babylonicam familiaris linguae hebraicae usus numquam amplius fuit purus inter Judaeos, sed primo Chaldaico-Babylonico idiomate sunt locuti, ita ut avorum suorum hebraicam linguam vix intelligerent, et praesertim illi qui Babylone degebant : postquam vero in terram suam a captivitate Babylonica absoluti regressi sunt, linguae chaldaicae usum etiam magis corruperunt, et mediam quamdam invexerunt linguam partim ex hebraica, partim ex chaldaica, aliisque dialectis et idiotismis, juxta diversitatem exterorum quibuscum conversabantur. Haec autem lingua, quae erat tunc populo Hebraico vernacula, e regione quam ipsimet Hebraei incolebant, Syriaca et Judaica appellata est. Hujus autem Syriacae, vel Syro-Chaldaicae linguae ma-

xima haec exurgit praerogativa, quod Jesu Christi Domini ore sancto fuerit prolata; ipsi namque ejusque discipulis fuit vernacula; atque etiam Legem suam Evangelicam vitaeque aeternae promissa, quibus omnis nostra spes nititur, in ea primum lingua mundo promulgavit, et in eadem celebrasse sacra non est dubitandum, ut etiam censet Claudius Frassen in suo opere inscripto: *Disquisitiones Biblicae* Lib. I Cap. 7 aliique non pauci. Quae quidem lingua a Cardinali Bona Lib. I Cap. I n. 4 Chaldaica nuncupatur: vocat vero ibi linguam Chaldaicam illam, quam alii Syriacam, vel Syro-Chaldaicam appellant, quae scilicet ex lingua Hebraica et Chaldaica orta est et qua Hebraei, uti diximus, Babylone degentes captivi loquebantur, et quae a regione in quam post captivitatem regressi sunt, Syriaca ab aliquibus dicta fuit, ab aliis vero Syro-Chaldaica, et denique a nonnullis etiam Hebraica, quia populo hebraico vernacula erat.

II. Cardinalis Bona asserit Apostolos eorumque successores eo idiomate in singulis regionibus usos fuisse, quod tunc illis commune, et vernaculum erat: et ita Hierosolymis chaldaica; Antiochiae, Alexandriae, et in aliis Graecorum civitatibus, graeca; Romae vero et in toto Occidente, latina lingua celebrasse censet. Alias etiam linguas in sacris Liturgiis adhibitas fuisse, nonnullis exemplis et argumentis comprobat Martene *De Antiquis Ecclesiae Ritibus Lib. I Cap. III art. 2.* Igitur hoc tantum possumus adfirmare, hodiernum Ecclesiasticae disciplinae usum obtinuisse, ut Missa nonnisi tribus linguis Hebraica, Graeca et Latina celebrari praecipiatur, cum multis ac justis rationibus maternam ac vernaculam aliorum populorum linguam suis legibus Ecclesia proscripserit, et nonnisi aliquo speciali privilegio ab hac lege aliquam nationem dispensaverit. Sic Saeculo nono Sclavis ad fidem Catholicam conversis Joannes VIII permisit, ut divina officia et sacram Liturgiam lingua Sclavonica peragere possent. Laudandus tamen est praedictus disciplinae Ecclesiasticae usus, praescribens regulariter Liturgias non esse celebrandas, nisi tribus praefatis linguis. Confert enim multum ad unitatem in Ecclesia servandam Sacrum Mysterium

fieri aliqua lingua non vulgari. Ex diversitate siquidem linguarum in divinis Officiis admissa, grave periculum subesset dissensionum, et aliquando urgeret necessitas mutandi verba Sacrificii ; cum illa quae uno tempore sunt vulgaria, talia esse alio tempore desinant. Et re quidem vera vetus Gallorum lingua penitus abolita est. Sic etiam Hispani proprium amiserunt sermonem, cum potestati Romanorum subditi fuerunt. Eodem fato Graeca et Chaldaica extinctis , Turcica , Arabica et aliae vulgares in plerisque Regnis Orientalibus successerunt. At vero Ecclesia adversus hujusmodi mutationes inconcussa manens , semper et ubique vetus idioma in divinis officiis retinuit, id exigente sacrarum rerum dignitate et majestate , ut nihil in iis immutetur, nihilque erroneum in eas irrepat: quod facile contingeret, si eas ab antiquo sermone, quo ab Apostolis et Apostolicis viris traditae sunt, in alium recentiorem, vel a primaevo diversum transferre liceret. Tolleretur etiam necessaria ad Fidei unitatem Ecclesiarum communicatio, quae hoc vinculo nectitur : nec posset Sacerdos italus in Gallia, aut in Germania, nec Germanus , aut Gallus in Italia sacris operari. Requirit autem Sacrificii Majestas , ut mox diximus , nonnisi his nobilissimis linguis peragi. Latina enim non est usitata nisi apud eruditos in Occidente; et in Oriente graeca. Lingua siquidem, cujus solet esse usus in divinis Officiis apud Ecclesiam Orientalem, non est popularis, sed erudita et tantum doctis cognita. Hanc igitur Ecclesiae consuetudinem omnes venerari debemus , neque audacter improbare, ex eo quod populus non percipiat verba, quae in Missa proferuntur ; quia primarius divinorum Officiorum finis, non est instructio populi, sed cultus et laus Dei. Horum omnium praecessit exemplum in Veteri Testamento ; nam cum Populus Hebraeus post captivitatem Babylonicam chaldaice loqueretur , Psalmos tamen et Scripturas semper hebraice cantavit et legit: quem morem in Synagogis etiam nostri temporis Hebraei observant. Noluit igitur Deus mutari idioma Scripturae , licet mutata fuerit populi lingua.

LIBER PRIMUS

DE ORDINATIONIBUS ET DEGRADATIONIBUS.

CAPUT I.

DE ORDINIBUS CONFERENDIS.

I. Etsi Ordinis nomen latissimae (1) sit significationis apud Scriptores, recte tamen per antonomasiam significat sacram et perantiquam Ecclesiae ceremoniam qua Episcopi aut impositione manuum, aut signo alio sensibili ad sacra ministeria aliquos deligunt et initiant: et Ordo iste est Sacramentum. Opportune *Ordinis* nomen huic Sacramento impositum est; nam in ecclesiastico ministerio multi sunt gradus, diversae functiones, et cuncta certa ratione procedunt. Vocatur etiam *Ordo Sacer*, vel *Ordinatio Sacra*. Graecis sacra ordinatio dicitur χειροτονια et χειροθεσια, manuum impositio. Plura de χειροτονιας vocabulo dant Ducaeus, *Notae in Chrysostomum*, *homilia prima ad populum Antiochenum*; Arcudius, Lib. VI *Concordia* Cap. I; Morinus *de Sacris Ordinationibus part. III Exerc. I Cap. 2*. Definiri autem aptissime potest hunc in modum: *Sacramentum novae Legis a Christo Domino institutum, quo potestas spiritualis traditur, et gratia confertur Ordinatis ad obeunda ministeria ecclesiastica.* Esse Ordinem, seu sacrum illum ritum, quo in-

(1) Martene, *de Antiquis Ecclesiae Ritibus* Lib. I Cap. VIII et seqq; Catalano, *Pontificale Romanum commentariis illustratum*, Pars prima Titulus II; Hallier, *De sacris electionibus* Liber primus Caput VIII et seqq; Morinus, *De sacris ordinationibus Part. III Exerc. I* Cap. III et seqq.

augurantur Ecclesiae Ministri, proprium novae Legis Sacramentum, ex Sacris Litteris, apostolica traditione, et unanimi Patrum consensu, ut Fidei dogma statuit Concilium Florentinum, et novissime Tridentinum Sessione XXIII De *Ordine*.

II. Ii qui pro sacris ministeriis obeundis initiantur, dicuntur Clerici, quo nomine designantur omnes qui divino cultui officia Religionis impendunt. Illius vocabuli etymon exponit in *Epistola* 34 ad Nepotianum S. Hieronymus scribens: Κληρος *graece*, *Sors latine appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, idest, pars Clericorum est.* Age videamus, quae in Ordinandis examinari mandat nostrum Pontificale Romanum. Episcopus, Sacerdotibus divinae Legis peritis ac in Ecclesiasticis functionibus exercitatis sibi adscitis, Ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget, et examinet. Genus in primis jubet investigandum nostrum Pontificale: an ex Catholicis scilicet, vel haereticis parentibus, an ex justis nuptiis nati sint. Circa personam Ordinandi quaerendum est, an corpore vitiata sit, vel insigniter deformis; Canonicis etenim iteratis sanctionibus providentissime cautum est, ne hujusmodi homines ordinarentur. Non est praetermittenda ab Examinatoribus diligens consideratio motus, gestus, incessus, aspectus, locutionis, totius habitus corporis, qui si levitatem sapiat, ad Ordines non facile admittendi sunt candidati. Quod spectat aetatem Ordinandorum, docet S. Leo Magnus, illud Apostoli monitum in Epistola prima ad Timotheum capite V *Nemini cito manus imposueris* respicere, atque in primis legitimam promovendi aetatem. Sic enim inquit, in *Epistola* LXXXVI *Quid est cito manus imponere, nisi ante aetatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinae Sacerdotalem honorem tribuere non probatis?* Praeter probitatem vitae, debent etiam esse praediti scientia ad Ordines promovendi: quae quidem non per testes et famam, sed ex actuali examine probari debet; quod adeo verum est, ut nec Regulares ipsi excusentur, quominus de doctrina exa-

minari possint, ut habetur ex Concilio Tridentino Sessione XXIII *De Reformatione*, Cap. XII. Qui enim populis illiteratos praeficiunt, docet S. Leo Magnus *Epistola* LXXXVII, nocere eis potius, quam prodesse. *Non est hoc consulere populis, sed nocere, nec praestare regimen, sed augere discrimen.* Et Gregorius Papa III in praefatione ad sua judicia inquit: *Si indocti ad Sacerdotium provehuntur, considerandum est, quid de gregibus agatur, quando lupi pastores fiant.* Recte itaque docent saniores Theologi ac Canonici Jurisconsulti, non posse Summum Pontificem in hujusmodi irregularitate dispensare, quia est contra jus divinum, ut habetur Oseae Cap. IV *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam.* Homines illiteratos ita olim Patres ac Summi Pontifices Sacris Ordinibus ineptos judicarunt, ut iis, si per Ordinatorum negligentiam irrepsissent, Ordinum functionibus interdixerint, donec convenientem Ordini scientiam adepti fuissent.

III. Non solum Ecclesiae interest, ut omnes ad quoscumque Ordines promovendi prius examinentur, sed maxime refert a quibus examinentur. Episcoporum praesertim munus esse, ut ordinandos examinent, testantur innumera hujus rei apud Pontifices Summos, Concilia, ac Patres testimonia. Ut autem majori, ut par est, cum solemnitate examen peragatur, sed satius est ut Episcopus, adscitis probis et selectis viris, ordinandos examinet. *Si quando*, inquit Gregorius Magnus *Epistola* 48 ad Adeotatum Episcopum, *de his recipiendis* (nempe ad sacros Ordines) *tractari necesse est, graves expertosque viros consiliis vestris adhibete participes, et cum eis communi de hoc deliberatione pensate.* Concilium Coloniense Cap. 2 examinatores requirit *pios*, *doctos et de Ecclesiae profectu sollicitos.* Concilium Nannetense Can. II *prudentes viros, gnaros Legis divinae, et exercitatos in ecclesiasticis functionibus.* Arbitrio Episcopi examinatorum electio omnino relinquitur. Sane debent qui ad examen istud peragendum vocentur, Presbyterali praesertim Ordine, vel saltem Diaconali insigniti esse, ut recte docet eruditissimus Hallerius *de Sacris Electionibus* p. 115.

IV. Quamvis juxta veterem disciplinam varia essent

tempora assignata tam pro majoribus, quam minoribus Ordinibus, nunc autem post Tridentinum aetas requisita ad primam Tonsuram, illa est, quae communiter ad usum rationis deputatur, quia haec sufficiens ad ea judicatur, quae Sessione XXIII Cap. IV pro initiandis prima Tonsura requiruntur. Pro minoribus Ordinibus nulla est aetas a Concilio praescripta, sed Episcopi arbitrio relinquitur. Morinus in doctissimo opere *De Sacra Ordinatione* Part. III Exercitatione XV de Tonsura Clericali Cap. III docet, pueros oblatos Ecclesiae, fuisse statim inter Clericos receptos, et Tonsura et Clericatu donatos. In cujus rei probationem plurium testimonia adfert. Constat viguisse per plura saecula, ut probat Clarissimus P. Blanchinius in notis ad Anastasium Bibliothecarium de vitis Romanorum Pontificum Tom. IV Sectione CXXXIV, in Ecclesia ritum, ut oblati a parentibus infantes in Clerum acciperentur, et ad Tonsuram et Lectoratum admitterentur: eaque de causa, ut inquit Cardinalis Bona Lib. I *Rerum Liturgicarum* Cap. XXV Num. XVIII *oriebatur, ut rerum Ecclesiasticarum peritissimi essent in quibus fuerant ab ipsa infantia enutriti.* Verum haec disciplina sublata penitus fuit, labente saeculo XII, per Caelestinum III. Nullus ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbiteratus ante vigesimum quintum aetatis suae annum promoveri potest, secundum Concilii Tridentini sanctionem, Sessione XXIII, Cap. XII *De Reformatione.* Hunc autem annorum numerum attigisse sufficit, explevisse minime necesse est, ut probat Ecclesiae usus. Dispensatio super aetate Ordinandorum ad Episcopum non pertinet, sed Summo Pontifici reservata est.

V. Quinque conditiones continentur in nostro Pontificali pro collatione Tonsurae. Prima est, ut Confirmationis Sacramento munitus sit. Ratio est, quia per Confirmationem perfectus quis fit Christianus, ut habetur in Canone I De *Consecratione* Distinctione V. Quae perfectio, ut docent plerique auctores, necessaria est iis, qui ad Ordinem, et Statum Ecclesiasticum promoveri debent. Conditio altera est, ut qui suscepturus est

Clericalem Tonsuram edoctus sit Fidei rudimenta. Quis enim non turpe censeat, ea Clericos nescire, quae a Christianis omnibus nefas est ignorari? Tertia suscipientis Clericalem Tonsuram conditio est, ut legere et scribere sciat. Cum vero Tridentini Patres minime exprimant, qua lingua Tonsurandus legere et scribere debeat, docent non pauci auctores, intellexisse ipsos Patres linguam vernaculam seu vulgarem, ita ut valeat Tonsura quis insigniri, si lingua sua materna legere et scribere sciat. Ita tenent Sellius, *in Selectis Canonicis Cap. V* Num VI; Azorius, *Institutionum Moralium Pars. II Lib. VI* Cap. VI; Campanile, in *Diversorio Juris Canonici Rubrica V Cap. II Num. II.* Quarta conditio est, ut non saecularis judicii fugiendi fraude Tonsuram quis petat, sed ut Deo fidelem cultum praestet. Quinta demum conditio est, ut ejus cultus atque obsequii Deo praestandi aliqua conjectura in eo eluceat, qui suscepturus est primam Tonsuram.

VI. Est et vetustissima Ecclesiae consuetudo, ut Ordinandorum nomina publice proponi solerent. Merito etiam, ut innumeros Patres et Concilia omittam, Synodus IV Carthaginensis Can. XXII statuit: *Ut Episcopus sine consilio Clericorum suorum Clericos non ordinet*, adhaec *civium testimonium quaerat*. Certe in Sacramentario Sancti Gregorii, ubi multa extant ejus rei argumenta, in eo loco qui inscribitur: *Ordo qualiter in Romana Ecclesia Diaconi, et Presbyteri ordinandi sunt*, ita legimus dicere consuevisse Pontificem, antequam ipsos ordinaret: *Si quis autem habet aliquid contra hos viros, pro Deo et propter Deum cum fiducia exeat et dicat. Verumtamen memor sit conditionis suae.* Quae disciplina et hodie servatur, ut ex Pontificali constat. Sed dicendum hanc populi consultationem inter ipsa Ordinationis solemnia ex praescripto Pontificalis fieri solitam ab Episcopo, factam esse tandem mere caeremonialem, in ejusque locum successisse hodiernam per Parochum, ex Episcopi jussu, nominum ordinandorum publicationem. Parochus, cui inquirendi per Episcopum potestas facta fuerit, diligenter suo muneri vacare debet, et ut loquitur Basilius in Epistola 181, *accurate et cum omni rigore*. Caeterum ad

eorum qui ordinandi sunt probationem, conquirere tantum oportet bonorum testimonia. Synodus Tridentina, et Rothomagensis a *fide dignis* Mediolanensis V a *viris spectata probitate*, Aquensis item a *fide dignis, gravioribusque viris*, praecipiunt inquirendum. Illud quoque omitti nullatenus debet, denunciationes ordinandorum fieri debere in singulis majoribus Ordinibus. Quamquam vero ex Concilii Tridentini lege soli promovendi ad sacros Ordines in Ecclesia publicantur; in nostro Neapolitano Regno etiam minoribus Ordinibus initiandi denunciantur tribus diebus Dominicis vel Festivis inter Missarum solemnia.

VII. Expendendae sunt nobis illae conditiones quae in Minores Ordines suscipientibus requiruntur. Primo praecipitur in nostro Pontificali, ut *Minores Ordines iis qui saltem latinam linguam intelligant pro temporum interstitia, nisi aliud Episcopo magis videatur, conferantur.* Ad examen pro Minoribus Ordinibus recipiendis minime accedere potest, qui latinam linguam non antea didicerit. Jubet secundo, Minores Ordines sejunctim conferendos, singulosque per certa temporum intervalla, nisi aliud visum fuerit Episcopo ob Ecclesiae necessitatem. Morinus *Exercitatione XI Cap. II et seqq. De Sacris Ordinationibus* diserte ostendit, neminem olim Ordine aliquo Minore insignitum, ad ulteriorem etiam Minorem Ordinem ascendisse, nisi interstitiis servatis, et in illius Ordinis exercitio laudabiliter versatus esset, et quoddam quasi tyrocinium percurrisset, quo se in majoribus functionibus obeundis idoneum probasset. Hodie etiam Ecclesiae mentem esse, ut Ordines Minores per intervalla temporum conferantur, utque in illorum exercitiis Clerici probentur, priusquam ad ulteriores provehantur Ordines, diserte docet Concilium Tridentinum. Ab Ordinibus Minoribus ad majores ascensus nemini, nisi post annum permittitur, nisi necessitas, aut Ecclesiae utilitas judicio Episcopi aliud exposcat. Necessitatem Ecclesiae eam vocant Doctores, cum deficiunt illius Ministri. Nuncupant vero Ecclesiae utilitatem, quando pauci sunt Ministri Ecclesiastici idonei; tunc enim utile est aliquos ordinare ad Ecclesiae ministerium, et majorem etiam ornatum ac splendorem.

VIII. Est autem pervetusta Ecclesiae regula, imo praeceptum Divi Pauli Apostoli *in Epistola I* ad Timotheum Cap. V, ut is qui ordinandus est, bonum habeat testimonium ab his qui foris sunt. Omissis variis Conciliorum Decretis ac Sanctorum Patrum sententiis exemplisque conspicuis, quibus diutissima in inferioribus Ordinibus probatio exigitur antequam quis ad superiores ascendat, ita praecepit Innocentius I Pontifex Maximus in Epistola quarta ad Felicem Nucerianum Episcopum Cap. V *Tempora a majoribus constituta serventur. Nec cito quilibet Lector, cito Acolythus, cito Diaconus, cito Sacerdos fiat, ut ad Sacerdotium posthac, emensis stipendiorum meritis, veniant, nec praeripiant quod vita probata meretur accipere.* Praeter bonum ab iis qui foris sunt testimonium, probatio in inferioribus ministeriis ac peritia litterarum requiritur: pro Subdiaconatu vero et Diaconatu, ut Ordinandus institutus sit iis quae ad officium peragendum necessaria sunt. Cum enim, ut scite inquit Natalis Alexander de *Sacramento Ordinis, Regula XXII*, in omnibus Sacramentis ministrent Diaconi vicesque gerant Sacerdotis in administrando Baptismo, eidemque propius assistant dum Sacrum facit, majori quam Subdiaconi Sacramentorum scientia imbuti esse debent. Concionandi seu catechizandi omnino imperiti ad hunc Ordinem admitti non debent. Praeterea ministerii cujusque Ordinis exacta et accurata cognitio requiritur; debet enim ordinandus quae sunt gradus accepti discere, antequam alterius curam suscipiat. Praeter complura quae enarravimus, haec potissimum in ordinatione Presbyterorum exiguntur, ut nimirum tales sint qui valeant ceteros docere, Sacramenta ministrare, ac praeclarum bonorum operum exemplum praebere; quae omnia paulo uberius explicat Catechismus Concilii Tridentini. Adduci possent hanc in rem innumeri Patres, ut Hieronymus, in *Epistola ad Nepotianum de vita Sacerdotum;* Gregorius Nazianzenus, in *Apologetico*; Joannes Chrysostomus, *in sex aureis Libris de Sacerdotio;* et alii complures, qui fuse eleganterque de Officiis Sacerdotum scripsere.

IX. Age nunc videamus, qui sint qui ex Pontificalis

Rubrica ordinari nequeunt. Primo rationis usu carens ab Altaris ministerio semper excluditur. Quapropter, si vel epiplesiae morbo, vel diabolica vexatione qua agitantur Energumeni, rationis subsidio quis privetur, sacris Altaribus ministrare nequit, et suscipiendorum Ordinum prorsus incapax redditur. Secundo ab Ordinationibus excluduntur homicidae qui facto, vel praecepto, consilio, adhortatione, auxilio, ut liquido constat ex innumeris pene Canonibus ac Pontificum Maximorum Bullis, fuse allatis a Theologis et Canonistis, ubi agunt de ipsa irregularitate. Tertio, qui illegitimos natales sortitus est, ex Sacrorum Canonum lege irregularitati subjacet; ita ut nec Ecclesiae Ordinibus initiari, nec ullum Ecclesiasticum Beneficium consequi possit. Quapropter dispensatione ipsi opus est ad Ordines aeque ac ad Beneficia obtinenda. Sed, si de Minoribus Ordinibus agatur, Episcopus potest propria auctoritate cum illegitimo dispensare. Ut autem illegitimus Ordines Majores obtineat, solius Romani Pontificis dispensatione fieri potest. Haec plane est disciplina quae nunc temporis obtinet; sed alia aliis temporibus obtinuisse dignoscitur. Certe in priscis Conciliorum Canonibus, aut Pontificum Decretis non legitur, illegitimos ab ordinibus fuisse exclusos, modo ceterae dotes in Sacerdote requisitae non deessent. Haud ita facile est statuere tempus, quo primum inducta et recepta fuerit disciplina repellendi ab ordinibus illegitimos ob solam natalium maculam. Quarto. Bigamus qui post unam, aliam duxerit uxorem, inhabilis ad Ecclesiasticos Ordines declaratur. Quinto. Notabilis et evidens corporis laesio, cum sacris officiat functionibus, impedimento etiam est, quominus laesus ad Sacerdotium ascendere possit. De aliis irregularitatibus consule Theologos et Canonistas.

X. Ex disciplinae veteris more, quicumque Ecclesiasticis officiis et ordinibus destinabatur, educationem suscipere debebat in Convictu ac veluti Seminario Episcopi, qui hac ratione de illius indole, moribus, vocatione et progressu certior fiebat. S. Augustinus *Ser. 335 al. 49 de diversis num. 6 Opp.* T. V part. 2 ac col. 1383 de se ipso ita testatur: *Certe ego sum qui statueram,*

sicut nostis, nullum ordinare Clericum, nisi qui mecum vellet manere, ut, si vellet discedere a proposito, recte illi tollerem Clericatum, quia desereret sanctae societatis promissum coeptumque consortium. De universa ratione a S. Augustino servata, quoad educationem eorum quibus Ecclesiae munera committenda erant, late agit Abbas Benvenuti in historia vitae ejusdem Sancti, quam ex illius operibus desumpsit, Lib. IV, Cap. 2 num. 7. Ex ejusdem pariter disciplinae praescripto hoc inconcusse servatum novimus, ut quicumque Ecclesiasticum aliquem Ordinem susciperet, certae alicujus Ecclesiae servitio manciparetur, cui in adepto Ordine ministrare deberet. Neque vero hujusmodi Clerico licebat Ecclesiam illam deserere, cui in sua ordinatione addictus fuisset: sed, si forte id sine Episcopi venia fecisset, aut Ordinem ipsum in alia Ecclesia praeterquam de licentia ejusdem Episcopi, exercuisset, suspensionis poenam incurrebat. Qua de re perspicua est sanctio Concilii Arelatensis, anno 314 celebrati, Canone 2 cum quo concordat ejusdem Concilii Canon. 21. Postmodum in Concilio Generali Nicaeno Canone 15 statutum fuit, ne Episcopi, Presbyteri aut Diaconi ab iis Ecclesiis, pro quibus ordinati essent, ad alias demigrarent; quem canonem Gratianus refert causa 7 quaest. 1 Can. *Non oportet Episcopum.* Idemque distinct. 70 Can. *Neminem absolute*, percelebrem refert Concilii Chalcedonensis Canonem sextum, quo vetitae sunt Ordinationes Clericorum, qui alicujus peculiaris Ecclesiae ministeriis non addicantur. Quod autem pertinet ad singulos Clericos certae alicujus Ecclesiae ministerio adscribendos, non modo Chalcedonensis Concilii disciplina de medio sublata non est, quin immo nova confirmatione instaurata et vigore donata fuit per Concilii Tridentini Decretum, quod legitur Sess. XXIII Cap. 16 *De Reformatione. Cum nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis, Sancta Synodus, vestigiis sexti Canonis Concilii Chalcedonensis inhaerendo, statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiae, aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec in-*

certis vagetur sedibus; quod si locum, inconsulto Episcopo, deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur. Clerici ad saeculum XII tantum ad titulum seu certam Ecclesiam ordinabantur. Saeculo XIII primum emersit patrimonii titulus. Beneficium est legitimus et ordinarius titulus ad sacros Ordines, patrimonium vero est extraordinarius et suppletorius, uti declaravit S. Congregatio Tridentini interpres. Est et titulus Monasterii, ad quem ordinantur hodie regulares, qui solemnem professionem jam ediderunt.

XI. Apostoli nulla habita ratione ad unum potius, quam ad alium anni mensem, sed pro locorum ac temporum necessitate ministros in variis regionibus constituerunt. Prioribus tribus persecutionum saeculis et amplius Episcopi, Presbyteri, Diaconi aliique Clerici, quovis mense, die atque hora ordinabantur, quod pluribus adstruit Antonius Pagius. Romanos Pontifices a Petro ad Simplicium usque Ordinationes celebrasse mense Decembri ob proximam Dominicae Nativitatis solemnitatem, tradunt auctor Libri Pontificalis, Amalarius, Micrologus aliique. At illos qualibet hebdomadae die Ordines contulisse, nec prioribus saeculis mensi Decembris Ordinationes perpetuo in Romana Ecclesia adfixas fuisse, praeclare ostendunt Antonius Pagius, *Critica Baroniana ad annum 67 n. 4;* Franciscus Pagius, *Breviarium Romanorum Pontificum* in Simplicio; aliique. Primum a Gelasio quatuor jejunia sacris Ordinationibus praestituta, coniicit Sandinus in opere cui titulus: *Vitae Romanorum Pontificum*, in Gelasio primo p. 163. Martenius Lib. I *de Antiquis Ecclesiae Ritibus*, art. 4, num. 5 suspicatur, etiam aevo Sancti Leonis, Ordinationes in quatuor temporum jejuniis peractas fuisse. Idipsum Decretum providentissime renovarunt sequioris aevi Pontifices Maximi, Gregorius II, *in Epistola IV ad Clerum* Thuringiae; Zacharias, in Concilio Romano anni DCCXLIII Can. XI; Urbanus II, in Synodo Claramontana, et alii plures, inter quos Alexander III. Ordinationes, quas S. Gelasius fieri sanxit in Sabbato mediae quadragesimae, idest in Sabbato ante Dominicam quam vocant *Laetare*, variis ex causis transtulit in Sabbatum sequens ante Dominicam

Passionis; uti docet Lupus in calce Scholii ad Decretum III Sancti Leonis IX ubi exponit aliquot quaestiones; aitque, eam fuisse causam praecipuam translationis, quod tertia Quadragesimae hebdomada ex antiquissimo Ecclesiae more Baptizandorum scrutiniis occuparetur, ideoque Ordinandorum scrutinia visa sint in sequentem hebdomadam transferenda. Quamvis autem Gelasii placitum solos Presbiteros Diaconosque respiciat, progressu tamen temporis etiam Subdiaconi non potuerunt extra assignata Sabbata ordinari, uti constat ex antiquis Sacramentorum Libris, Pontificum Maximorum Bullis, et Conciliorum Canonibus. Tandem Saeculo XII Sabbatum Sanctum recensitis temporibus Ordinationum accessit. Dies pro collatione Sacrorum Ordinum fuit Sabbatum, hora vero vespera, ut ex Leone et Gelasio constat: id tamen ita omnino intelligendum est, ut vespera quidem Sabbati Ordinatio inciperet, Dominico autem die mane perficeretur. Inde eo sensim ventum est, ut nec Dominica die mane, nec vespera praecedenti, sed Sabbato summo mane Ordinationes celebrarentur, ne jejunii continuatio ordinantes et ordinatos defatigaret. Videndum superest, cur Sacrae Ordinationes alligatae sint quatuor anni temporibus, Sabbatorum diebus. Varias ejus rei mysticas rationes more suo concinnavit Amalarius Fortunatus Lib. II *De Ecclesiasticis Officiis*, Cap. I; et potissimum Gulielmus Durandus in Rationali *Divinorum Officiorum*, Lib. II Cap. I numero XXXIV et seqq. Verum his omissis, placet aliorum sententia, qui docent, voluisse majores nostros, ut non solum jejunia, sed et preces ac supplicationes Ordinationem praecederent, ut Dei Sanctorumque ope implorata, tum Episcopus in eorum delectu, quibus collaturus est Ordines, Spiritus Sancti lumine illustretur; tum illi quibus conferuntur, in vitae sanctitate, doctrina religiosisque virtutibus in commune Catholicae Ecclesiae bonum proficiant. Hujus supplicationis ritus ante Ordinationem saepissime occurrit apud historicos ecclesiasticos, ejusdemque non semel meminit vetus Ordo Romanus Tit. *Qualiter in Romana Ecclesia Ordines fiunt.* Ea quae hactenus dicta sunt a nobis locum primo non habent in iis, qui initiandi sunt pri-

ma Tonsura, quae ex omnium scriptorum sententia, et ex recepta Ecclesiae praxi, quovis anni tempore, qualibet die, ac hora et loco conferri potest. Neque habent praeterea locum in illis, qui Minores Ordines suscepturi sunt; cum certum sit, eos dari singulis diebus Dominicis et Festis Duplicibus. Glossa in Cap. *Sane*, extra, de *Temporibus Ordinationum* pro collatione Minorum Ordinum, non quoscumque dies festos, sed solemnes credit intelligendos, quos Clerus et populus de praecepto celebrant, vacantque ab operibus servilibus. Non videtur tamen addubitandum ex nostri Romani Pontificalis Rubrica, et ex communi Dioeceseon consuetudine, quin iis diebus, quibus Officium sub ritu duplici celebratur, licet dies festus non sit, et populus ab operibus servilibus non se abstineat, possit Episcopus aliquos Minoribus Ordinibus insignire. Atque id quidem docent plures Theologi et Canonistae.

XII. Varii hic explicandi sunt ritus, quos juxta veterem disciplinam initio Ordinationis solita est Ecclesia usurpare. Primus ritus est, ut ordinandi omnes in Ecclesia se praesentent, sive ad illam procedant. Quae praesentatio seu processio tantae erat olim solemnitatis, ut in Ecclesia Romana Ordinandi in comitatu Summi Pontificis cum Clero et populo Litanias canente ad Ecclesiam Divi Petri procederent, quemadmodum tradit vetus Ordo Romanus, Tit. *Qualiter in Romana Ecclesia Ordines fiunt*. Ritus alter est, ut Ordinandi coram Episcopo in Ecclesia cum habitu ac tonsura se praesentent. Tertius ritus est, ut qui ordinandi sunt ferant sacras secum vestes Ordini suo congruentes. Quartus ritus, quem nostrum Pontificale praescribit, est, ut quicumque Tonsura, vel quibuscumque Ordinibus initiantur, unico demto Episcopatu, cum vestibus suo Ordini convenientibus induti fuerint, cereum candelamve manu gestent, eamque ardentem Episcopo ordinatori offerant, juxta illud Christi Domini: *Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris*, ut habetur in Evangelio Sancti Lucae, Cap. X; sive, ut indicent, quod ab ipso Episcopo Ordinationem celebrante doctrinae lumen accipiant, et creditum sibi populum, divino justitiae lumine accen-

sum Pastorum principi suo tempore praesentabunt. Ratio insuper cur Episcopus in sua Ordinatione cereum non gestet, profecto ea esse videtur, quia scilicet ipse, uti ad Caesarienses scribit S. Gregorius Nazianzenus, sit lucerna Ecclesiae. Quintus ritus est, *ut Ordinandi cum a Notario Episcopi vocati fuerint, respondeant Adsum, et accedant ad locum Ordinationis secundum ordinem descriptionis.* Docent tum Patres, tum veteres Synodi, praesertim IV Carthaginensis, Archidiaconorum quidem esse munus Ordinandos vocandi ac praesentandi Episcopo ordinatori, uti videre est in Canone *Ostiarius*, Distinctione XXIV et in Cap. *Ut nostrum* extra, *De Officio Archidiaconi.*

XIII. Si priscam Ecclesiae aetatem inspiciamus, constat ex Libro Sacramentorum S. Gregorii in Titulo qui inscribitur: *Ordo ad sacros Ordines benedicendos,* Majores primum gradus ante Evangelium, Minores vero post communionem dari ab Episcopo consuevisse. Hodie contrarius quidem est usus, nam primo Minores, deinde vero Majores Ordines conferuntur. Qui ritus vetustus est etiam in Ecclesia, ut videre est in vetere Ordine Romano et in aliis Pontificalibus Libris, ut nimirum doceantur ad illos promoti eundum sibi esse de virtute in virtutem, quousque videatur Deus Deorum in Sion, ut recte observat Hallierius *De sacris Ordinationibus*, aliique complures, alludentes ad VII versiculum Psalmi octogesimi tertii. Statim ergo post Introitum, antequam lectiones ullae legantur, prima Tonsura Clerici inaugurantur, quibus nullum in Ecclesia Officium assignatur: tum post singulas collectas ac lectiones, Minores singuli Ordines conferuntur, ut pro singulis ipsis singulariter a toto populo collecto precandum esse innuatur, et ipsi quo in Ecclesia provectiores erunt, eo sibi amplius necessarium esse moneantur attendere lectioni et doctrinae, quemadmodum Timotheum suum monuit Apostolus, Epistola prima ad ipsum Timotheum, capite quarto versiculo 12. Subdiaconi antequam legatur Epistola, constituuntur, ejusque legendae potestatem suscipiunt, statimque atque ordinati sunt, ipsam Epistolam legunt, in eadem Sacrae Ordinationis Missa inservientes. Diaconi similiter, qui Evangelium in Mis-

sa canere solent, ideo finita Epistola, ante Evangelium consecrantur, ut secundum potestatem sibi traditam ab Episcopo, ad illud cantandum parati inveniantur. Demum Presbyteri quoque ante Evangelium, sicut et Episcopi inaugurantur, ut noverint se Evangelii praedicationi debere incumbere. Porro cum nemini liceat, praeterquam Summo Pontifici, quempiam extra tempora ad Sacros Ordines promovere, Cap. I et III *De Temporibus Ordinationum*, solus idcirco is potest dispensare, ut extra tempora valeat quis a suo Episcopo ordinari. Recte cautum est ex Pontificalis nostri Rubrica XIX, ut Episcopus antequam ad Ordinis collationem procedat, mandatum Apostolicum legatur, cujus vigore facultas illi conceditur extra tempora ordinandi.

XIV. Superest ut de loco ubi fierent Ordinationes Sacrae pauca subjiciamus. Primis Ecclesiae temporibus cum ferveret in dies persecutionis aestus qui fideles uno in loco congregari non permitteret, nullus erat Sacris Ordinationibus peragendis locus assignatus; sed quocumque poterant in loco, et baptizabant, et offerebant, et ordinabant. At ubi largiente divina gratia, deferbuit ille persecutionis aestus, reddita Ecclesiae pace, jam non nisi pubblico in loco coeperunt Ordinationes celebrari. Ita antiqui Canones Ecclesiastici clandestinas improbant Ordinationes. Ita Theophilus Alexandrinus Episcopus in *Commonitorio* Can. 6 praecipit ut *Consecrandos Episcopus ordinet in media Ecclesia*. Porro Graeci Majores Ordines, Episcopatum scilicet, Presbyteratum, et Diaconatum, in Sanctuario ante altare conferunt. Inferiores vero Ministros, Subdiaconos et Lectores, extra Sanctuarium in Diaconico, vel longe ab altari ad portam Templi speciosam ordinant, uti observat Joannes Morines. Idem diserte notant antiqua et recentia Graecorum Euchologia, uti videre est apud Jacobum Goar, Petrum Arcudium, et alios eruditos scriptores. Recte itaque praescribit Concilium Tridentinum Sessione XXIII *De Reformatione*, Cap. VIII ex qua desumpta est Rubrica nostri Pontificalis Romani, ut Ordinationes Sacrorum Ordinum in Ecclesia Cathedrali, vocatis praesentibusque ad id Ecclesiae Canonicis, publice celebrarentur: id quod etiam a compluri-

bus Synodis, et Sanctis Patribus inculcatur. Quamvis enim quatuor Minores Ordines extra Missarum solemnia, sed diebus Dominicis, et Festis conferri possint, Subdiaconatus tamen, sicuti et reliqui Majores Ordines nunquam, nisi in celebratione Missae ab Episcopo tradi valent. Nec desunt rationes, quibus consentaneum id esse persuadeamur. Primo enim in antiqua Lege, nonnisi cum sacrificiis Levitae aut Sacerdotes creabantur. Decet ergo maxime, ut Evangelicae Legis Sacerdotium ac Ministrorum Ordinatio Sacrificii solemnitati. Interseratur, quo et celebrior evadat, et fructuosior, insuper omnes Ordines ad Sacrificium Missae tamquam ad finem suum et scopum referuntur; omnium enim ipsum consummatio ac perfectio est.

CAPUT II.

DE RITIBUS IN COLLATIONE SACRORUM ORDINUM OBSERVATIS.

I. Inter sacros ritus in susceptione Ordinum ab Ecclesia praescriptos, et usitatos, pervetustus ille censeri debet, quo ii qui mox essent ordinandi, coram Episcopo genuflecterent, ab eoque sanctissimis precationibus sacrarentur. Ita vero necessariam Ordinandis duxerunt genuflexionem antiqui Patres, ut etiam Dominicis diebus, ac toto Paschali tempore, quo in genua procumbere nefas erat, prohibitumque ex Canone XX Nicaeno, suscepturos Ordines voluerint nonnisi genuflexione initiari. Est certe insuper et priscus ritus, ut nonnisi orationibus, multisque ad Deum fusis precibus Ordinatio celebretur, exemplo Apostolorum, qui passim *Orantes* memorantur, tum in Ordinatione Mathiae, tum septem Diaconorum, tum denique Pauli et Barnabae, uti in Actibus Apostolicis videre est, Cap. I VI et XIII. Oratio pro collatione Tonsurae, quae incipit: *Oremus fratres carissimi Dominum nostrum Jesum Christum pro his famulis suis etc.* exceptis primis versiculis, extat tum in antiquo Romano Ordine apud Hittorpium, Titulo qui inscribitur: *Oratio ad capillaturam incidendam,* ubi fusior legitur conferendae

Tonsurae ritus, tum etiam in pervetusto S. Gregorii *Sacramentario*, ubi agit *de Orationibus ad Clericum faciendum*. Quantum vero ad ritum attinet detonsionis capillorum quae Clericatum suscepturis rite ab Episcopo fieri solet, mos est haud dubie pervetustus Ecclesiae Romanae, ut Clericalis dignitas per Comae Tonsuram tribuatur. Tonsuram insuper ab omni minori Ordine omnino distingui, aperte docet Ordo antiquus Romanus, atque antiquissima sexcenta Latinarum Ecclesiarum Pontificalia. Cur Clericorum, dum ordinantur, capilli tondeantur, docet Isidorus Hispalensis Lib. II *de Divinis Officiis* Cap. IV *Est autem Clericis Tonsurae signum, quod in corpore figuratur, sed in animo agitur, scilicet ut hoc signo in Religione vitia resecentur, et criminibus carnis nostrae quasi crinibus exuamur atque inde innovatis sensibus, expoliantes nos, juxta Apostolum, veterem hominem cum actibus suis induentes novum, qui renovatur in agnitione Dei: quam renovationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, ubi ipsa mens noscitur habitare.* Sed egregie auctor Libri *de Contemptu mundi* apud Agustinum, causam istam explicat. *In ea* (Num. VIII) *parte pilos capitis incidimus, in quo novam sapientiam, idest, Christum inesse; cognovimus per hoc signantes malam terrenarum rerum sollicitudinem nostrae mentis oculos ad Deum contemplandum impedire.* Huc etiam refer antiquorum morem in adoptionibus, per capillorum tonsionem perfici solitis: id enim effectum Tonsurae Clericalis egregie repraesentat, ut per eam in familiam Dei transferamur, ad ejus haereditatem vocemur, et tamquam speciales filii adoptemur.

II. Dum Clericus attondetur, haec verba pronunciat: *Dominus pars haereditatis meae et Calicis mei, tu es qui restitues haereditatem meam mihi.* Docet eruditissimus Estius in Libri quarti Distinctionem XXIV § VI, omnibus quidem Christianis commune esse oportere, Dominum partem habere, sed excellentiori modo debere id iis competere, qui sacris officiis et ministeriis consecrati sunt, non quo facultates suas relinquere cogantur, sed quemadmodum ex Divinis Litteris et sacris Canonibus constitutum est, ut penitus se abstineant a

negotiis saecularibus, et moderatis opibus contenti, nihil amplius requirant, juxta illud Apostoli in *Epistola II* ad Timotheum Cap. II *Nemo militans Deo implicet se negotiis saecularibus.* Genuinus autem in Tonsurae susceptione ejus formulae sensus est, ut Clericus his verbis Deum unicum suorum votorum scopum proponat, omnesque suas cogitationes, ceteris postpositis, in unicum Deum relaturum sibi persuadeat. Haec est mens Isidori Hispalensis, Lib. II *de Officiis Ecclesiasticis* Cap. I *qui Clericos vocari refert, eo quod, in sortem haereditatis Domini dentur, vel pro eo quod ipse Dominus sors illorum est, sicut de eis scriptum est, loquente Domino: Ego 'haereditas eorum. Unde oportet*, inquit, *ut qui Deum haereditate possident, absque ullo impedimento saeculi, Deo servire studeant, et pauperes spiritu esse contendant, et congrue illud Psalmistae dicere possint: Dominus pars haereditatis meae.* Explicandus insuper est ritus, quo Episcopus ex praescripto Romani Pontificalis, accipiens in manu Superpelliceum, imponensque iis qui mox attonsi sunt, ita singulis dicit: *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Est quidem verborum formula desumpta ex S. Pauli Epistola ad Ephesios Cap. IV versiculo 24; cujus tamen nec Sacramentarium Gregorianum, nec Ordo Romanus, nec antiqui Libri Rituales ullatenus meminere. Eo propterea habitu hodie ab Episcopo candidati Clericatus induuntur, ut significetur ipsos, saecularis habitus servitute deposita et sacrae Religionis habitu assumpto, novos homines esse oportere. Vitae enim novitatem, munditiae candorem, ac perseverantiae finem designat, ut verbis utar Stephani Tornacensis in *Epistola* XXXIII. Huc spectat, quod scribit Honorius Augustodunensis Lib. I *de antiquo ritu Missarum* Cap. CCXXXIII albis vestibus, seu Superpelliceis vitae munditiem indicari, *quia justum est, ut Clerici in sanctitate, et justitia Deo serviant.*

III. Ostiariorum Ordinationis ritus ita describit Concilium Carthaginense IV Canone nono: *Ostiarius cum ordinatur, postquam ab Archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conversari; ad suggestio-*

nem Archidiaconi, tradat ei Episcopus claves Ecclesiae de Altario, dicens: Sic age quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quae his clavibus recluduntur. Alios Libros Pontificales idipsum testantes memorare supervacaneum est. Postquam Episcopus claves tradidit Ostiariis, Archidiaconus, sive alius Archidiaconi vice fungens, ducit eosdem ad ostium Ecclesiae, ipsumque ostium claudere et aperire jubet. Qui ritus etsi desideretur in laudato Concilio Carthaginensi IV Canone IX, habetur tamen in Sacramentario Sancti Gregorii. Codex Ratoldi apud Menardum, et Pontificale Corbejense apud Morinum, ac Svessionense Monasterii Compendiensis apud Martenium, praescribunt, ut Archidiaconus ostium Ecclesiae tradendo dicat: *Per hoc ostium traditur vobis ministerium, ut sitis janitores Templi Dei, habeatisque potestatem recipiendi bonos, et rejiciendi indignos.* Traditio funis et pulsatio Campanarum, cujus meminere Pontificale Cameracense, Arelatense, Moguntinum duplex, Romanum manuscriptum Autissiodorense, recentioris est instituti, annos vix 500 superans. In ordinatione Lectorum consentiunt omnes antiqui Libri Pontificales cum Concilio Carthaginensi IV, cujus Canon octavus sic habet: *Lector cum ordinatur, faciat de illo verbum Episcopus ad plebem, indicans ejus fidem ac vitam, atque ingenium. Post haec, spectante plebe, tradat ei Codicem, de quo lecturus est, dicens ad eum: Accipe, et esto Lector verbi Dei, habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium, partem cum eis qui verbum Dei ministraverunt.* Quibus verbis semel prolatis, si plures ordinentur, omnibus successive Codex tangendus praebetur, aut saltem videndus ostenditur, ut habet Pontificale Andegavense. De Exorcistis autem ita statuit Concilium Carthaginense IV Canone septimo: *Exorcista, cum ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, dicente Episcopo: Accipe, et commenda memoriae, et habeto potestatem imponendi manus super Energumenum, sive Baptizatum, sive Catechumenum.* Ad verbum describit Sacramentarium S. Gregorii, ac plerique Libri Pontificales a P. Morino editi: quamvis Ordo Romanus, ac non pauci alii Rituales Libri eam-

dem formam habeant numero plurali conceptam: *Accipite, commendate memoriae, et habetote potestatem imponendi manus super Energumenos, sive Baptizatos, sive Catechumenos.* Scite admonendum, scribit Martenius Lib. I *de antiquis Ecclesiae Ritibus* Cap. VIII articulo VIII num. XIV, Acolythorum Ordinem aliis longe illustriorem nobilioremque extitisse in Ecclesia praesertim Occidentali, utpote quorum ministerium circa incruentum Missae Sacrificium pene totum versatur: cum ipsorum officium sit *luminaria Ecclesiae accendere; itemque vinum, et aquam ad Eucharistiam ministrare.* Quapropter in sua Ordinatione in Concilio IV Carthaginensi Canone sexto statutum fuit, ut *Acolythus cum ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat: sed ab Archidiacono accipiat Ceroferarium cum Cereo, ut sciat, se ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipari: accipiat et urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Eucharistiam Sanguinis Christi.* Quo in canone illud notatu dignum est, nulla ab Episcopo proferri verba, cum haec instrumenta Candidatis Acolythatus porriguntur, sed sui dumtaxat eos officii ab ipso Episcopo esse admonitos. Porro quamvis omnes antiqui Rituales Libri, ut testatur Morinus *de Sacris Ordinationibus* Part. III *Exercitatione XIII* num. VIII, velint utramque materiam ab Archidiacono tradi, Ordo tamen vetus Romanus apud Hittorpium diserte praescribit, Archidiaconum quidem materiam illam porrigere, sed Episcopum formam pronuntiare. Quod Synodus Carthaginensis, Sacramentarium S. Gregorii, Ordo Romanus, priscique alii Rituales Libri *Ceroferarium* vocant, *Ceroferale* dicitur a Gregorio Turonensi in Libro *De Gloria Confessorum*, Cap. LXXIX.

IV. Sacri et majores, ex communi Theologorum sententia, ideo tres postremi Ordines, Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus appellantur, quod propius ad Altaris ministerium, et quod in eo offertur Sanctum Sanctorum accedant, idest circa Sacrum Domini Corpus in Eucharistia occupentur, atque aliquid agant, vel consecrando, vel dispensando, vel materiam subminnistrando. Quamquam enim omnes Ecclesiastici Or-

dines revera sacri sint, tres tamen isti peculiariter, ob eam causam et quasi per excellentiam, sacri dicuntur. Antiquitus quidem Diaconatus, ac Presbyteratus tantum eo nomine censebantur, quibus postmodum circa finem Saeculi XII Subdiaconatus etiam est additus. Antiquam Ecclesiae legem esse, *ut nemo absolute ordinetur*, idest nisi certae alicui Ecclesiae adscribatur, in qua sacra ministeria obeat, et ex cujus reditibus, vel obventionibus alatur, egregie ostendit eruditissimus Catalano Tomo primo Conciliorum in Commentario Canonis VI Chalcedonensis; cujus verba haec sunt: *Nullum absolute ordinari Presbyterum, aut Diaconum, nec quemlibet in gradu Ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesia, Civitatis, aut Pagi, aut Martyrio, aut Monasterio, qui ordinandus est, pronuntietur. Qui vero absolute ordinatur, decrevit Sancta Synodus irritam haberi hujuscemodi manus impositionem, et nunquam posse ministrare, ad ordinantis injuriam.* Eadem legere est in sequioris aevi Conciliis, scite observat eruditissimus P. Hugo Menardus in notis et observationibus ad Librum Sacramentarium S. Gregorii Papae. Orationes enim in Ordinatione Subdiaconi extant non modo in ipso S. Gregorii Libro, sed in plerisque aliis Ritualibus, ac praesertim in Ordine Romano, et in Codice Ratoldi. Quamvis Amictus vetus sit in Ecclesia vestimentum, quod primum capiti, ac deinde humeris injicitur, nulli tamen prisci Libri Pontificales et alii scriptores habent mentionem impositionis Amictus Subdiaconorum capiti ab Episcopo faciendae. Quamobrem putat Cl. Catalano eum ritum esse in Ecclesia recentem. Traditio manipuli in Ordinatione Subdiaconi in plerisque antiquioribus Pontificalibus Libris manuscriptis desideratur. Antiquus Ordo Romanus de hac re sic loquitur: *Ut Episcopus det eis mappulas, dicendo: In vestitione harum mappularum subnixe te, Domine, precamur, ut hi famuli tui sic operentur in temporali conversatione, quatenus exemplo piorum Patrum in futuro mereantur perenniter gaudere. Per Dominum. Mappula* dicebatur passim olim Manipulus. Meminit quidem Manipuli traditionis in Ordinatione Subdiaconorum Pontificale manuscriptum insignis Ecclesiae Mo-

guntinae annorum circiter CCCC. Quoad Librum Epistolarum nullam mentionem faciunt, non solum aliqui Libri Pontificales ante annos 500 scripti, sed etiam posteriores. Tam altum silentium est argumentum evidens Subdiaconos antiquitus Epistolam in Synaxi, sive publico Ecclesiae coetu ex officio non legisse. Id diserte testatus est ante annos octingentos Amalarius Libro primo *De Officiis*, *Capite II.*

V. Impositio manus Episcopi super caput Diaconi, tam in Sacramentario Sancti Gregorii, quam in Ordine antiquo Romano et in pluribus Pontificalibus etiam post annum Christi millesimum, facienda certe praescribitur initio Ordinationis ipsorum Diaconorum. *Diaconus*, inquit, S. Gregorius, *cum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.* Idem habet Ordo Romanus, qui tamen numero plurali loquitur. Manus impositionem tactu corporali ex ritu ab Apostolis introducto fieri ab Episcopo debere, *cum oratio super caput effunditur ordinandi Presbyteri, seu Diaconi*, docet nos inter alios priscos Pontifices, Gregorius IX in Capite *Presbyter*, *extra*, *de Sacramentis non iterandis.* Simeon Thessalonicensis in Libro *De Sacris Ordinationibus* Capite IV memoratum ritum enarrat in hunc modum: *Diaconus suscipit supra caput Episcopalem dexteram, quae demonstrat gratiae adumbrationem, et illius a Christo participationem, quandoquidem et ipse Apostolis manus imposuerit.* Inter Latinos Scriptores ea de re ita disserit Angelicus Doctor III Parte, Quaestione LXXXIV Articulo IV: *Impositio manuum in Sacramentis Ecclesiae fit ad significandum aliquem copiosum gratiae effectum, quo illi, quibus manus imponuntur, quodammodo per quamdam similitudinem constituantur ministri, in quibus copia gratiae esse debet. Et ideo manus impositio fit in Sacramento Ordinis, in quo confertur quaedam excellentia potestatis in Divinis Mysteriis.* Dari alicui potestatem per manus impositionem, compertum habemus ex Libro Numerorum Capite XXVII, ubi Deus Moysi ita praecepit: *Tolle Josue filium Nun, virum in quo est Spiritus, et pone manum tuam super eum, et*

dabis ei praecepta, cunctis videntibus, et partem gloriae tuae (potestatis nimirum qua pollebat Moyses in populum), *ut audiat eum omnis Synagoga filiorum Israel.* Post recitatas orationes praescriptas ad consummandum Diaconatus officium, dari unicuique Stolam, vel primis saeculis consuevisse, compertum habemus ex Sacramentario Sancti Gregorii, in quo quidem sub hac verborum formula traditur: *Per hoc signum vobis Diaconatus Officium humiliter imponimus, ut firmamentum mensae divinae tanquam sustentacula columnarum esse possitis, et praecones Regis caelestis irreprehensibiles existere mereamini.* Acceptam in sua ordinatione Stolam per annum integrum diu noctuque a Diaconis olim gestabatur. Constat insuper ex antiquo Romano Ordine apud Hittorpium ultimum ritum Ordinationis Diaconorum esse Dalmaticae traditionem; sic enim inquit: *Cum vero consecrati fuerint, induantur Dalmatica.* Idipsum quoque habet Pontificale manuscriptum S. Cornelii Compediensis ad usum Ecclesiae Svessionensis et Pontificale Moguntinum. Quoad ritum Episcopo tradendi Libri Evangeliorum, praescribit Ordo Romanus, ut Diaconis *det Evangelium*, dicens: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.* Haec Libri Evangeliorum porrectio non fuit in usu apud Ecclesias universas, nec apud Sanctum Isidorum, Amalarium, Alcuinum, et Rabanum invenitur. Varia olim fuit formula qua Episcopus uteretur, cum Evangelii Librum Diacono traderet. Pontificale Anglicanum Monasterii Gemmaticensis hanc exhibet: *Accipe istud volumen Evangelii, lege, et intellige, et aliis trade, et tu opere adimple.*

VI. Ordinationem Presbyterorum ab impositione manuum incipiunt omnes antiqui Libri Pontificales, cujus ritum ita describit Concilium Carthaginense IV, Canone tertio: *Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente et manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, qui praesentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.* Eadem habet Sacramentarium S. Gregorii, Ordo Gelasianus, vetus Ordo Romanus, Egberti Eboracensis Episcopi Pontificale, prisci omnes recentesque Libri Pontificales. Hanc

manus impositionem, quam cum Presbyteris adstantibus super ordinandorum caput facit Episcopus, forte spectant illa Apostoli verba in Epistola prima ad Timotheum, capite IV: *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Cur Diacono solus Episcopus manum imponat, Presbytero autem Episcopus una cum aliis Presbyteris, rationem indicat memoratum Concilium Carthaginense, Canone IV; quia nimirum Diaconus non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur, Presbyter autem ad Sacerdotium; et proinde a Compresbyteris velut in consortium paris dignitatis assumitur. Sane adnotandum hic illud puto, solam manus impositionem ab Episcopo factam, essentialem esse, cum ipse solus sit Ordinationis minister: adstantes autem alii Sacerdotes ideo simul manus imponunt, non ut Ordinem conferant, inquit Sanctus Bonaventura, sed ut eo ritu gratia communionis significetur, quae in Ordine Sacerdotali confertur, et per Sacerdotem administrari debet. Haec ergo manus impositio, quam alii Presbyteri faciunt, solemnitatis, non necessitatis est. Ut autem pateat, eam impositionem manuum non esse sacramentalem, praecipuum argumentum est, quod Presbyteri manus imponentes nulla verba proferant: hoc enim ostendit, ipsos, cum formam non exhibeant Ordinationis, nec materiam exhibere. Huic Latinorum ritui respondet apud Graecos salutatio, quam Presbyteri Presbyteris, Diaconi Diaconis, de novo consecratis exhibent.

VII. De ritu apponendae Stolae Presbyteris in eorum Ordinatione, habetur in antiquo Romano Ordine cum eadem verborum formula nostri Romani Pontificalis; item in vetustissimis Pontificalibus Egberti Eboracensis Archiepiscopi, et Anglicano Monasterii Gemmeticensis, in quibus, dum Episcopus dat Stolam Presbytero, ita inquit: *Stola justitiae circumdet Dominus cervicem tuam, et ab omni corruptione peccati purificet Dominus mentem tuam.* Statim Stola collo Presbyteri in modum crucis apposita, consequenter Casula tamquam vestis Sacerdotalis ipsi datur; cujus ritus perspicue meminit Ordo Romanus, sic inquiens: *Hic*

vestiat eum Casula, dicens: Stola innocentiae induat te Dominus. Meminit et Casulae traditionis in suo Sacramentario S. Gregorius. Supervacaneum foret de eo ritu alios Pontificales Libros referre, cum in Concilio Toletano IV, quod habitum est anno DCXXXVI, Can. XXVII, diserta mentio fiat de Orario, seu Stola, ac Planeta in Ordinatione Presbyteri adhibita. Post Casulae traditionem Presbyteris benedictio ab Episcopis impertitur. Hymnus *Veni Creator Spiritus* non videtur antiquitus in Ordinatione Presbyteri usurpatus, cum nullam illius ritus mentionem faciant Pontificales Libri ante annum millesimum exarati. Verum in Pontificali insignis Ecclesiae Noviomensis, quod ante annos quadringentos scriptum putatur, ubi de manuum Sacerdotis consecratione agitur, ipsum hymnum, *Veni Creator Spiritus, etc.* praemitti legimus, quemadmodum est in Pontificali Ecclesiae Moguntinae.

VIII. Quam sit antiquus in Ecclesia tum Latina, tum Graeca ritus ungendi sacro oleo manus Presbyteri, luculentissimum testimonium habemus in Sacramentario S. Gregorii, ubi etiam haec verborum formula exhibetur: *Consecrentur manus istae, quaesumus Domine, et sanctificentur per istam unctionem et nostram benedictionem, ut quaecumque benedixerint, benedicta sint, et quaecumque sanctificaverint, sanctificentur*. Sancto Gregorio concinit vetus Ordo Romanus, ex quo desumpta est Rubrica et verborum formula nostri Romani Pontificalis. Multae vero rationes sunt, propter quas Ecclesia hanc unctionem adhibuerit. Primo quidem, ut Veteris Testamenti Sacerdotum unctionem imitaretur, nostrosque Sacerdotes non esse illis inferiores, sed longe excellentiores, uti demonstrat S. Leo in *Sermone de Passione Domini*, ubi ita inquit: *Nunc etenim et ordo clarior Levitarum, et dignitas amplior seniorum, et sacratior est unctio Sacerdotum*. Secundo, ad misericordiam et pietatem, quam erga alios adhibere debeat, exprimendam; et ut non solum activae vitae incumbant, sed etiam, ut bonorum operum manum populis praemonstrent; uti fuse explicat S. Gregorius Magnus in Lib. Regum, Cap. IV: *Habeat Sacerdos in unctione sua oleum, habeat misericordiam abundantem,*

quae sibi virtutibus aliis praeferatur. Habeat oleum, ut dum ardorem Sancti Spiritus in se nutrit, lucere vehementer aliis per verbum possit. Habeat nihilominus oleum medicinae, et sapienter disponat, qualiter peccatorum foetores tergat, et aegras mentes saluti restituat. Tertio ex eodem Gregorio, ut soli Christo deserviendi causa Sacerdotes principes se constitutos esse sciant, ideoque se Christo factos esse, Christo confirmatos, et Christi loco constitutos intelligant. Quarto, ut docet Amalarius Fortunatus Lib. II *de Ecclesiasticis Officiis, Cap. XIII. Ut Sacerdotum manus mundae sint ad offerendam hostiam Deo, et largae ad caetera officia pietatis.* Post sacram Presbyterorum unctionem tradit Episcopus Ordinatis Calicem cum vino, et patenam cum oblata dicens: *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare, tam pro vivis, quam pro defunctis: In nomine Domini. Amen.* Exhibet hanc formulam vetus Ordo Romanus. Documentum hoc esse potestatis acceptae et pignus exercendae, docet Hugo a S. Victore Libro II *de Sacramentis*, Parte III Cap. XII. *Accipiunt*, inquit, *et Calicem cum vino, et patenam cum hostiis de manu Episcopi; quatenus his instrumentis potestatem se accepisse agnoscant placabiles Deo hostias offerendi.* Eodem modo loquitur Magister Sententiarum Lib. IV, Distinctione XXIV.

IX. Presbyteri et Episcopi recens ordinati simul cum Episcopo ordinante Missam celebrant, et consecrant, et sacrificatis participant: eo tamen discrimine, ut Presbyteri Sacrificio adstent genuflexi et ab altari dissiti. Episcopus autem, consecratione sua peracta, altari conjunctus adstat non secus ac consecrans, et unicam Hostiam ambo consecrant et de ea participant. Stantes insuper, non ut fit hodie genuflexos, communicasse Ordinatos, probant Isacius Habertus, in *notis ad Pontificale Graecorum pag. 220*; Henricus Valesius, *in notis ad Eusebium* Lib. VII Cap. IX; et Joannes Thiersius, in gallica Dissertatione *de Altaribus.* Ex praesenti demum Rubrica cautum est, ut Ordinati priusquam Communionem sumant, manum Episcopi Hostiam tenentem osculentur. Cujus ritus diserte meminit manuscriptum Pontificale Romanum Bibliothecae Colberti-

nae. Sciendum insuper ex Gulielmo Durando Lib. II *Rationalis, Capite X*, quod Ordinator Episcopus Ordinatum quidem in Sacerdotem communicans osculabatur, Diaconus contra vel Subdiaconus communicantes manum Episcopi ordinatoris osculabantur. Vetus et illa est haud dubie in Ecclesia consuetudo, ut dum Sacerdos Eucharistiam praeberet, minister dextera manu tenens vas cum vino vel aqua, sinistra vero mappulam, aliquanto post Sacerdotem pergens, purificationem ac mappulam ad os abstergendum communicantibus exhiberet. Episcopus praeterea lotis manibus stans in cornu Epistolae inchoat in cantu: *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos etc.* Desumptae sunt haec Episcopi verba ex sermone quem Unigenitus Dei ex hoc mundo migraturus ad Patrem, ad Discipulos suos habuit, uti videre est in Cap. XV Evangelii S. Joannis. Afferuntur ea quidem verba in manuscripto Pontificali Vaticanae Bibliothecae, et in aliis quibusdam Pontificalibus. Sane quanta sit Sacerdotum dignitas, abunde verba ipsa significant, dum Christus Dominus Apostolos suos, quos Sacerdotes ordinarat, non servos, sed amicos vocat. Constat etiam ex variis Pontificalibus Libris consuevisse Presbyteros ante suam Ordinationem Fidei Symbolum recitare, ob eam rationem, quod illud praedicare populo debent. Quamvis in antiquioribus Pontificalibus Libris ritus promittendi Episcopo obedientiam minime appareat, reperitur tamen in plerisque ab annis circiter DCC scriptis, non quidem in fine Missae, sed initio Ordinationis. Verum in quibusdam Ecclesiis non solum Presbyteros, verum et quosvis Clericos Episcopo obedientiam cum juramento promisisse, colligi potest ex Epistola Decretali ad Praepositum, et Capitulum Placentinum scripta, quae habetur in Cap. *Cum Clerici* XIX *De verborum significatione.* In utraque Ecclesia, Graeca pariter et Latina, osculum Sacerdoti recens ordinato datum ab Episcopis olim fuisse, liquido constat ex vetere Ordine Romano.

CAPUT III.

DE SCRUTINIO SEROTINO QUO ANTIQUI UTEBANTUR ANTEQUAM ELECTUS IN EPISCOPUM CONSECRARETUR.

I. Quamvis Ecclesiarum Cathedralium, sive Metropolitanarum, ac Patriarchalium provisiones ad Sedem Apostolicam hodie pleno jure pertinent, et ab eadem Ecclesiis Pastore viduatis vel de novo providetur, vel electiones ab illis, quibus ex privilegio licet, canonice celebratae confirmantur; sciendum tamen illud est primum, electo Episcopo a Clero, juxta pervetustum Ecclesiae morem pluribus saeculis usitatum, vel a Canonicis secundum sequioris aevi disciplinam, Electionis Decretum afferri consuevisse ad Metropolitanum, sive potius electum ipsum una cum nonnullis Ecclesiae Canonicis, qui Decretum afferebant, venisse, ut ab eodem post peractum de electione et vita Electi examinationem, consecrationis munus acciperet. Id sane constat ex variis scriptoribus et antiquis manuscriptis Libris Pontificalibus. Morem esse antiquum, ut electionis Decretum ad Metropolitanum, seu Consecratorem Episcopum deferendum scriberetur, docent passim antiqui auctores atque Acta Conciliorum. Antequam ipsum Decretum Metropolitano exhiberetur, pervetustum etiam morem fuisse, ut ab ipso Metropolitano nonnullae interrogationes Archidiacono Decretum illud exhibenti fierent, testantur antiqui Libri Pontificales. Interrogationes Consecratoris Episcopi ad Archidiaconum, juxta temporis et Ecclesiarum diversitatem variae erant.

II. Non temere facienda est Episcopi electio. Requiritur enim, ut sit castus, humilis, benignus, ceterisque virtutibus ornatus, ac scientia litterarum praeditus, juxta praescriptum Pontificalium; sed age enarremus virtutes, quas in eligendo Episcopo Apostolus, Sancti Patres, Sacrae Synodi, Libri Pontificales requirunt. Prima est integritas vitae, quam indicat Apostolus in Epistola prima ad Timotheum, Cap. III cum scripsit, oportere eum esse irreprehensibilem. Altera virtus est sanctitas morum, exemplo Jesu Christi, de

quo ita scribit Apostolus in Epistola ad Hebraeos, Cap. VII *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior caelis factus.* Requiritur autem sanctitas, tum ut Deum pro populo deprecans exaudiatur, exemplo Aaron Pontificis, de quo Cap. XVI Numerorum ita legimus: *Stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit.* Inter alias Episcopi virtutes recenset Apostolus continentiam, pudicitiam, castitatem.. *Etenim Sacerdotis animum*, inquit S. Joannes Chrysostomus Lib. VI de *Sacerdotio solaribus radiis puriorem esse oportet.* S. Hieronymus adversus Jovinianum scribens, altissima ab usque origine causam repetit Sacerdotum Christi castimoniae. De hospitalitate in Episcopo requisita mentionem facit Apostolus in Epistola prima ad Timotheum, Cap. III, et in Epistola ad Titum. Recte itaque S. Hieronymus in *Epistolam Pauli ad Titum* ait: *Ante omnia hospitalitas futuro Episcopo denunciatur. Si enim omnes illud de Evangelio audire desiderant: Hospes fui, et suscepisti me; quanto magis Episcopus cujus domus omnium commune debet esse hospitium.* Illa verba, *Ante omnia hospitalitas futuro Episcopo denuntiatur*, forte ad eum ritum alludunt, quod Electus in Episcopum consecrandus initio suae Ordinationis de hospitalitate servanda admonebatur. Oportet praeterea futurum Episcopum benignum esse, non iracundum, ut ait Apostolus in Epistola ad Titum. Agunt fuse de iis ac aliis virtutibus, quibus in Episcopos eligendi fulgere debent, S. Joannes Chrysostomus, et Sanctus Gregorius Nazianzenus omnesque Interpretes in Epistolas Pauli ad Titum, et ad Timotheum missas: in quibus cum illud etiam praescriptum sit, ut in Episcopum eligendus consecrandusque *potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere*, jam constat, scientia ipsum praeditum esse oportere. S. Joannes Chrysostomus Lib. IV *de Sacerdotio*, prolixe ostendit Ecclesiae Antistites non modo omnigena doctrina, sed etiam eloquentia insigni debere esse instructos ac perpolitos. Concilium vero Tridentinum Sessione XII Cap. II a futuris Episcopis exigit quidem, ut sint Doctores, vel licentiati in Theologia, aut Jure

Canonico, vel saltem publicum testimonium alicujus Academiae exhibeant.

III. Certior de Electi in Episcopum virtutibus factus Metropolitanus, interrogabat tandem Archidiaconum, an haberet Decretum electionis, eoque se illud habere respondente, rogabat statim ut legeretur. Forma hujus Decreti tametsi in multis antiquis Pontificalibus eadem sit ac ipsa in nostro Romano descripta; in vetere tamen Romano Ordine atque in aliis nonnullis aliter se habebat. Lecto Decreto, consuevisse Metropolitanum eam ad Archidiaconum admonitionem facere, *Videte ne aliquam promissionem vobis fecerit* etc.; docent quidem antiqui Libri Pontificales, inter quos vetus Ordo Romanus. Vetus est Ecclesiae disciplina, ut exhibitum sibi electionis Decretum una cum Electo ante consecrationem Metropolitanus diligenter examinaret; aliquando etiam id una cum suae Provinciae Episcopis ageret. Interrogationes, quae Sabbato ipso ex Pontificalium praescripto a Metropolitano ad Electum fiebant, spectabant quidem electionis, et electi Episcopi examen, nam interrogationes de Fide, die ipsa Ordinationis ante Missam faciendas esse, in cunctis Pontificalibus Libris praescribitur. Constat itaque, semper Ecclesiam fuisse valde sollicitam, ut ante Ordinationem Ministrorum serium atque exactum de moribus, scientia et fide Ordinandorum, potissimum in Episcopos, examen institueretur; adeoque ritus hic ex Patrum traditione descendere recte dicitur, uti observat Van-Espen, Parte I Juris Ecclesiastici universi, Tit. XV Cap. III Num. VI. Prima in Ordine antiquo Romano ad Electum interrogatio Metropolitani haec erat: *Quid te fatigasti Frater?* Ad quam ille sic respondebat: *Ad quod non sum dignus, isti confamuli mei me adduxerunt.*

IV. Cautum est ex plurimis priscis aeque ac recentioribus Libris Pontificalibus, quin et ex ipso antiquo Romano Ordine apud Hittorpium, ut consecrato Episcopo a Metropolitano Edictum daretur, continens regulas ex sacris Canonibus sumptas ad vitam Episcopalem recte instituendam. Vetus Ordo Romanus a Mabillonio editus post nonnullas interrogationes Archiepiscopi Consecratoris, ad quas respondere singulatim solebat Epi-

scopus consecrandus, ita ait dicere consuevisse Metropolitanum: *Dabitur tibi Edictum de scrinio, quomodo debeas conversari*. Conflatum erat hoc Edictum ex variis Sacrae Scripturae, Sanctorum Patrum, et Conciliorum sententiis. Eratque ritus antiquus, ut ordinandis Episcopis, vel Clericis, prius ab Ordinatoribus suis Decreta Conciliorum auribus eorum inculcarentur, uti constat ex Canone III Concilii tertii Carthaginensis, quod habitum est anno CCCXCVII. Scribit praeterea Mabillonius in opere *de Studiis Monasticis*, ordinato olim Episcopo una cum Evangelii Codice traditum fuisse Librum Pastoralem S. Gregorii, quia scilicet, quae in ipso scripta sunt Libro, omnia pene continentur, quae ad Episcopalem vitam recte instituendam attinent. Polliceri sane jubebantur Episcopi in Ordinatione sua Consecratori Archiepiscopo observationem Sacrorum Canonum, et praedicti Libri Pastorales S. Gregorii. Id enim testatur Hincmarus Archiepiscopus Remensis, in litteris ad Nepotem suum Episcopum Laudunensem. Quanto in pretio fuerit olim apud Gallos is Gregorii Liber, docet Concilium Cabilonense II Cap. I. Praeter Litteras Edictum continentes, regulam nempe ex sacris Canonibus ad Episcopalem vitam recte instituendam, aliae dari recens ordinato Episcopo a suo Consecratore solebant, de quibus mentionem faciunt Concilium Milevitanum II anni CDXVI Can. XIV et Codex Canonum Ecclesiae Africanae, Can. LXXXIX. Servatam hanc disciplinam in aliis Occidentis Ecclesiis, addiscere licet ex Concilio Suessionensi II. Quam ob causam hujusmodi litterae darentur, edicit Concilium Milevitanum II: *Ut nulla altercatio de posterioribus, vel anterioribus oriatur*. Erant quoque olim in usu Litterae Communicatoriae, quae paulo post Ordinationem a recens ordinatis Episcopis, vel ab eorum Consecratoribus ad alios Episcopos mittebantur, ut scirent ad quos scribere, et a quibus pacificas litteras accipere deberent. Sane illud liquet, scriptas non modo fuisse olim litteras Ordinationem novi Episcopi continentes ad alios Episcopos, ac praesertim ad Romanum Pontificem qui eum suo scripto confirmabat, sed alias e- etiam ab ipso etiam recens ordinato Episcopo, conti-

nentes Fidei suae professionem. Ritus enim pervetustus fuit, ut salvo Metropolitani jure, Episcopi secundum tempus ordinationis suae in Conciliis sederent, subscriberentque, uti fuse demonstrat eruditissimus Catalano, Tomo I Conciliorum in Prolegomenis.

CAPUT IV.

DE ORDINATIONE EPISCOPI.

I. Quamvis alii inferiores Ordines nonnisi certis anni temporibus ex praescripto Summorum Pontificum ac Sacrorum Canonum conferri debeant, Episcopos tamen jam vel olim Ecclesia Latina consecrare Dominicis cunctis diebus consuevit. Certe in tertia Carthaginensi Synodo, habita anno CCCXCVII, Canone XXXIX, ita locutum fuisse legimus Aurelium Carthaginensem Archiepiscopum: *In hac Ecclesia, ad quam dignata est vestra sanctitas convenire, crebro, ac pene per diem Dominicam Ordinandos habemus Episcopos*. Sed et vulgatus Alcuinus de *divinis Officiis*, in eo capite quod inscripsit: *Sabbatum* in XII *Lectionibus*, ejusdem disciplinae ordinandorum Episcoporum die Dominica hanc rationem assignat: *Episcopi consecratio, qui est Vicarius Apostolorum, imo et Christi, fit in Dominica, quia eodem die per donum Spiritus Sancti Dominus dignatus est illustrare corda Apostolorum*. Additi demum videntur dies festivi, quibus populi conventus commode fieri posset, quem ad Episcoporum consecrationem convenire congruum est. Etsi vero hodie regulariter Episcoporum Ordinationes mane diei Dominicae celebrentur, constat tamen, eas olim nocte Sabbati, aut Dominica summo mane, perseverante adhuc jejunio, celebratas fuisse, post secundum scilicet Matutinarum nocturnum, uti addiscimus ex antiquo Romano Ordine. Certe S. Cornelius Papa apud Eusebium Lib. VI *Historiae*, Cap. XLIII, enarrans irregularem Novati Ordinationem, eum *hora decima* consecratum fuisse asserit. Jam vero quanam Missae parte perageretur Episcoporum Ordinatio, non consentiunt Libri Pontificales. Fuit tamen antiquus mos, ut Episcopus sacra fa-

ceret in Sacrario, non in Altari; atque, uti hodie fit sacras vestes induerent tam Electus, quam Episcopus consecrator, ejusque assistentes, ac Ministri; tum e Sacrario ad Altare procederent, id quod ex variis Pontificalibus deduci potest. Mos est insuper Ecclesiae antiquus, ut senior assistentium, qui Electum Consecratori offerunt, ipsum Consecratorem alloquatur his verbis: *Reverendissime Pater, postulat Sancta Mater Ecclesia Catholica, ut hunc praesentem Presbyterum ad onus Episcopatus sublevetis*. Ex iis verbis, quibus, qui Electum praesentat Ordinatori, ait, *ut ad onus Episcopatus* eum sublevet, manifestissime apparet id quod docet S. Augustinus Lib. XIX *De Civitate Dei*, Cap. XIX, Episcopatum nomen esse operis, non honoris.

II. Prisci esse instituti, ut is qui in Episcopum consecrandus est, confessioni Fidei, et promissioni generali servandorum Canonum, expressam etiam adjungeret obedientiam Sedi Apostolicae. Quam verbo emiserant Fidei Confessionem, eamdem scripto reddere jubebantur et super Altare deferre. Bonifacius Moguntinus Episcopus suam super corpus S. Petri Principis Apostolorum detulit, eamque repraesentat Othlonus in ejus vita, capite XIV. Antiquissimum est Episcopi examen, non solum in descriptis a Pontificali Romano interrogationibus, desumptis pene ad verbum ex antiquo Ordine Romano, et priscis Pontificalibus Libris, sed et in multis aliis capitibus, uti ex Canone I Concilii Carthaginensis quarti constat. Non ergo secunda Nicaena Synodus, uti existimat Martene, examen istud primo praescripsit, sed quarta Carthaginensis. Istud porro examen, quod ipso Ordinationis die post Missae solemnis Introitum faciendum praescribunt Pontificales Libri quamplurimi, olim feria sexta ante Ordinationem, quae die Dominica celebrari solebat, peragebatur: saltem id colligimus ex examine Williberti, Cataulensis Episcopi, qui illa die fuit examinatus. In Pontificali Bisuntino, ad usum Turonensis Ecclesiae accomodato, electionis quidem examen feria sexta, interrogationes vero de Fide ipsa die Ordinationis ante Missam faciendae praescribuntur. De Litaniis in Ordinatione Episcoporum dicendis haec habet Ordo Romanus: *Incipiat Chorus*

Kyrie eleison cum Litania, et prosternat se Ordinator, Electi simul cum Electo, et ceteris Episcopis ante Altare super stramenta, usque dum dicat Schola, Agnus Dei. De eodem Litaniarum ritu loquitur Pontificale Moguntinum, et Pontificale Ecclesiae Lugdunensis. Recitatis Litaniis, Liber Evangeliorum ex veteri Ecclesiae instituto Capiti in Episcopum consecrandi imponitur, quod perspicue constat non modo ex veteribus omnibus Pontificalibus, et priscis scriptoribus tum Latinis, tum Graecis, sed ex Sacramentario S. Gregorii, ac praesertim ex Concilio Carthaginensi IV, Canone II, ubi ita legitur: *Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant, et teneant Evangeliorum Codicem super caput, et verticem ejus; et reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant.* Est autem summopere hic admonendum, triplicem varietatem apud antiquos scriptores reperiri circa hunc ritum imponendi Codicis Evangelii supra caput Episcopi consecrandi, uti recte observat Martene *de antiquis Ecclesiae Ritibus* Liber I Caput VII art. X. Prima varietas respicit ipsum Evangelium. Etenim pervetustus auotor Apostolicarum Constitutionum Libro VIII, Cap. IV, et Simeon Thessalonicensis de *sacris Ordinationibus*, Cap. VII, diserte docent apertum imponi. Latini vero omnes nihil definiunt, nam simpliciter dicunt, Evangelium imponendum. Altera varietas locum respicit, cui Evangelium imponitur. Latini variant; alii quidem et antiquissimi Pontificales dicunt, generaliter super caput ejus, alii scapulis imponendum esse, alii distinctius, super verticem ejus, et inter scapulas. *Duo Episcopi*, inquit vetus Ordo Romanus, *ponant et teneant Evangeliorum Codicem super cervicem ejus, et inter scapulas clausum.* Atque id quidem legere est in plurimis Libris Pontificalibus pervetustis. Graeci Rituales, et Simeon Thessalonicensis dicunt, imponi *super caput, et verticem* Ordinandi. Tertia tandem varietas Evangelium tenentes spectat. Auctor Constitutionum Apostolicarum, Capite quarto, hoc officium Diaconis videtur tribuere; Synodus IV Carthaginensis Canone secundo Sacramentarium S. Gregorii, Ordo Romanus, et Pontificales Libri pene omnes ipsum munus tribuunt Episcopis assi-

stentibus. Mystica enarrati ritus interpretatio multipliciter a Sanctis Patribus edocetur. S. Petrus Damiani in *Sermone primo de Dedicatione*, eam rationem tradit: *Ponitur et Evangelica pagina super caput illius recumbentis, ut verbo vitae sentiat excedere rationem, et oculi ejus deficiant in eloquium Dei.* Tandem ut ea omittam, quae scribit Durandus, in suo *Rationali* Lib. II Cap. XI; Simeon Thessalonicensis, e de *sacris Ordinationibus* Cap. VII; ea inquit actione significari, eum qui in Episcopum consecratur, *Christum habere pro capite, qui factus est Ecclesiae caput, et omnia quae Christi sunt, illum cognoscere, omnemque illius cognitionem, quantum licet habere, cum constituatur in ea quae principatum ejus spectant; omnem praeterea mentem, et rationem, et sensus secundum Christum affirmare, et accomodare, eumque cervicem levi Christi jugo submittere, nihilque agere praeter ipsius sententiam, quoniam Ecclesiam ipsius super caput et cervicem per Evangelium suscepit.* Insuper Consecrator et assistentes Episcopi ambabus manibus caput consecrandi tangunt, dicentes: *Accipe Spiritum Sanctum.* Ritum hunc, quantum ad manuum impositionem attinet, a Synagoga in Ecclesia traductum atque ab Apostolis observatum, et per eorum successores ad nos trasmissum fuisse, ostendit inter alios Giulielmus Beveregius ad Canonem primum Apostolorum; notatque Morinus de *Sacris Ordinationibus Exercitatione II* Cap. I tam Graecos, quam Latinos Libros Pontificales veteres et recentiores in consecratione Episcopi praescribere manuum impositionem; imo et Sanctos Patres, cum Episcopatus causam allegant, ad manuum impositionem confugere, semperque asserere, per manuum impositionem aliquem Episcopatus gratiam consecutum, vel ordinatum, vel factum Episcopum. Certe ea usum fuisse Paulum in ordinatione Timothei, testantur ambae illius ad eum scriptae Epistolae. Constat etiam ipsi manuum impositioni adscriptam fuisse ab eodem Apostolo et a sacris passim scriptoribus, productionem gratiae Spiritus Sancti; *Admoneo te,* inquit Apostolus in Epistola II ad Timotheum, Capite I, *ut resuscites gra-*

tiam Dei, quae data est in te per impositionem manuum mearum.

III. Expleta Oratione, *Propitiare Domine*, recitat Consecrator Praefationem, quae quidem in antiquo Romano Ordine eisdem versiculis ac responsionibus, uti in nostro Pontificali, extat. Celebris in Ordinatione Episcoporum est caeremonia sacrae Unctionis. Ex antiquo Romano Ordine apud Hittorpium ubi Consecrator ea verba protulerit, *Comple in Sacerdote tuo mysterii tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructum caelestis unguenti flore sanctifica,* admonetur idem Episcopus Consecrator, ut mittat Chrisma in caput Episcopi, in modum Crucis, cum iis scilicet verbis: *Ungatur et consecretur caput tuum caelesti benedictione in Ordine Pontificali, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Eumdem ritum praescribit Sacramentarium Gregorianum, Pontificale Caturcense, Pontificale Egberti Eboracensis, itemque duo Pontificalia Beccensis Monasterii. Mysticas rationes, cur Episcopus sacro Chrismate in capite ungatur, exponit Amalarius Fortunatus Lib. II *de Ecclesiasticis Officiis,* Capite XIV. Primo, quia Caput Ecclesiae constituitur; sicque Christo assimilari debet, qui secundum etymologiam unctus est, et ideo ad significandam in Christo gratiam Capitis, capite quoque Episcopus ungitur. Secundo, quia prae ceteris obstringit se ad praestantissimum Charitatis actum, ad dandam scilicet animam pro ovibus suis, juxta illud Salvatoris Domini: *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibs suis.* Possem hic referre plerasque alias istius ritus explicationes, sed ne in longum nostra oratio abeat, satis hic erit recensere locum egregium Innocentii III, qui Episcopalis Unctionis integrum ritum nobis explicat in Cap. I *de Sacra Unctione* Lib. I Decretalium, Tit. XV. Sic ergo inquit: *Caput autem ungitur balsamo charitatis, ut Episcopus diligat Deum ex toto corde, ex tota mente sua, et proximum suum sicut seipsum. Caput inungitur propter auctoritatem et dignitatem. Caput enim ungitur, ut ostendatur illius repraesentare personam, de quo dicitur per Prophetam: Sicut unguentum in capite ejus, quod descendit in barbam barbam Aaron.* Vide Hallier

de Sacris Ordinationibus; Capite X *de Sacra Unctione* Articulo IV § IV et Articulo V § III. Quamvis in Sacramentario S. Gregorii nulla habeatur mentio de unctione manuum Episcopo in sua Ordinatione facienda; extat tamen ea caeremonia et in antiquo Romano Ordine, et in priscis Pontificalibus, et apud pervetustos Ecclesiae scriptores. Quid ea manuum Episcopalium unctio significet, rem ita explicat Innocentius III in laudato Capite I *de Sacra Unctione: Per manus opera intelliguntur, juxta illud: Manus meae distillaverunt myrram. Manus igitur inunguntur oleo pietatis, ut Episcopus operetur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos Fidei.* Et infra: *Manus Episcopi inunguntur, ut ostendatur accipere potestatem benedicendi et consecrandi.* Scite sapienterque ostendit Franciscus Hallier *de Sacris Ordinationibus*, ubi agit de sacra unctione, non sufficere Episcopis, quod eorum in Sacerdotio manus inunctae fuerint, sed iterum, cum consecrantur, inungi debere, ob multiplicem hanc rationem. Primo quidem, quia ad benedicendum manus eorum sanctiores efficiendae sunt. Secundo, quia ad operosius ministerium, et honorificentius officium consecrantur. Tertio, quia, cum opes Ecclesiae in ipsorum potestate consistant, majorem largiendi habent occasionem.

IV. Baculum Pastoralem, in Consecratione Episcopi traditum, pluribus veterum testimoniis comprobatur. Concilium Toletanum IV, Canone XXVII, restituendis Episcopis suae dignitati, qui innocentes post depositionem declarati sunt, inter alia Episcopalis insignia dignitatis, Baculum reddi praecipit, quia scilicet illum quoque, *cum ordinarentur perceperunt.* S. Isidorus Hispalensis Lib. II *de Officiis Ecclesiasticis*, Capite V ritum Consecrationis Episcopi explicans, de Baculi traditione ita inquit: *Huic autem* (Episcopo), *dum consecratur, datur Baculus, ut ejus indicio subditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat.* Inscripsit hunc quidem locum Synodus Aquisgranensis Capite IX. Illud quoque de Baculo notandum est, in Ordine antiquo Romano prius tradi Episcopo annulum, quam ipsum Baculum. Id quod etiam

liquet ex plerisque priscis Pontificalibus Libris. Certat de antiquitate cum Baculo annulus Episcopalis, quippe quem et S. Isidorus, et Concilium Toletanum IV Canone XXIX ornamentis Episcopalibus adnumerarunt, ut proinde etiam hanc caeremoniam jure merito admodum antiquam dicat Morinus *de Sacris Ordinationibus Parte III Exercitatione II* Cap. II Num. V. Insuper ea Episcopi Consecratoris verba, *Accipe Evangelium, et vade, praedica populo tibi commisso* aperte ostendunt, munus esse proprium Episcoporum Evangelium praedicandi plebi sibi assignatae. Sequitur osculum pacis quo Episcopus Consecrator, ejusque Collegae Consecratum Episcopum salutant sub ea verborum formula: *Pax tibi.* Quibus ille singulatim respondet: *Et cum spiritu tuo.* Addubitari nequit, quin memoratus ritus vel antiquitus in Ecclesia tum Latina, tum Graeca servaretur. Recte etiam ritus mysterium exponit Simeon Thessalonicensis in opere: *de Sacris Ordinationibus*, Cap. VII. Osculatur eum Episcopus Consecrator tamquam sibi dilectum, et velut aequalem sibi, et sanctificatum et in Christo conjuctum. Offert Consecratus Consecratori duos panes, et duo barilia vino plena juxta nostrum Pontificale Romanum, vel duas phialas plenas vino, ex praescripto Pontificalium Moguntini et Lugdunensis. Quod quidem munus consentaneum est cum veteri Ecclesiae disciplina. Ritum sacrae Communionis a novo Episcopo consecrato suscipiendae ita describit Pontificale Ecclesiae Lugdunensis: *Postquam Consecrator communicaverit, mox priusquam digitos abluat, Consecratus a praemissis duobus Episcopis ante Altare deductus, de manu Consecratoris sacram Hostiam recipiat.* Illud praeterea addiscimus ex Pontificali Graecorum, cum per seipsum Consecratus Episcopus communicet, et aliis sacram Eucharistiam distribuat, non genuflexum ante altare, sed stantem, et altari innixum oportere eum communicare. Cui ritui Romanum quidem Pontificale consentit, sicut etiam et illi Graecorum aeque ac Latinorum consuetudini, juxta quam is qui in Episcopum consecratur, simul cum Consecratore suo sub utraque specie sacram Eucharistiam percipit. Corpus ac Sanguinem

Domini non genuflexus, sed stans ille capite inclinato, in reverentiae argumentum, ante ipsum altare, eodem corporis situ quo Consecrator, communicat; ut ad perfectam cum Consecratore similitudinem per consecrationem suam traductus esse videatur ; cum e contra tam Sacerdotes , quam Diaconi , non in ipso altari , sed ante altare genuflexi ex communi Latinorum disciplina communicare jubeantur.

V. Data benedictione in Episcopalis Ordinationis Missa, Consecrator benedicit Mitram, eamque capiti novi Episcopi imponit. Meminit sane ejus ritus Pontificale Moguntinum in quo etiam ad impositionem Mitrae haec formula recensetur: *Pone signum in capite tuo, ut nullum praeter ipsum Deum Creatorem tuum amatorem admittas in nomine Domini.* Longe ante annum Christi millesimum Chirotecas Episcopo traditas religiose fuisse in sua Consecratione constat ex pluribus Pontificalibus Libris. Legimus quippe in antiquo Ordine Romano, dum Electus Chirotecis induitur hanc dici ab aliis Episcopis Orationem: *Immensam Clementiam tuam, omnipotens et piissime Deus, humiliter rogamus, ut manus hujus famuli tui, sicut exterius obducuntur manicis istis , sic interius aspergantur favore tuae benedictionis, ut quaecumque per eas benedicenda, vel consecranda sunt, per te benedicantur, et consecrentur. Per eumdem etc.* Porro per Chirotecas, castitatem, et munditiam denotari, ut manus, et operationes Episcopi sint mundae, et ab omni sorde immunes, docet Guillelmus Durandus in suo *Rationali* Lib. III Cap. II. Quanta olim cum pompa, rituque religiosissimo novus Antistes in Episcopali Sede collocaretur , satis abundeque nobis significant tum Libri Pontificales , tum veteres Graeci aeque ac Latini Scriptores. Illud quoque addiscere licet ex Ecclesiae scriptoribus pervetustis , morem fuisse plane antiquissimum , ut novus Episcopus in throno positus , lecta Sacra Scriptura, sermonem in eam faceret: qui sermo *enthronisticus* a tempore et circumstantiis , in quibus habitus erat , appellabatur. Quamquam autem sacri hymni , et Cantica post Ordinationem Episcopoporum , dum in throno collocaretur, cani passim in Ecclesia consueverint, mos tamen fuit, ut potissimum

hymnus *Te Deum Laudamus* decantaretur. Solemnem benedictionem non in medio altaris positus, ut praescribit Pontificale Romanum, sed stans in Cathedra Episcopali novus Episcopus populo dabat. Apud Latinos propria est profecto solemnis Episcopi benedictio, quae sub ea concipitur formula : *Sit nomen Domini benedictum*. Meminit quippe illius inter alios priscus auctor Guillelmus Durandus Lib. V *sui Rationalis*, *Cap. LIX;* ubi etiam tradit Episcopum benedicentem. tenere manum more Aaron super populum elevatam, et exemplo Jesu Christi, qui ut habetur Actorum Capite I, ascensurus in caelum, elevatis manibus, discipulis suis benedictionem impertivit. Manu item plena ipsum signum Crucis in benedictione formari solet, hoc est quinque digitis, ad quinque vulnera Jesu Christi significanda, uti observat Stephanus Duranti Lib. II *de ritibus Ecclesiae Catholicae*. Tribus nonnulli olim Cruces digitis exprimebant, quia auctore Innocentio III Lib. II *Mysteriorum Missae*, Cap. XLV, sub invocatione Trinitatis ipsae Cruces effingebantur.

CAPUT V.

DE FORMA DEGRADATIONIS ET DE DEGRADATIONE AB ORDINIBUS SACRIS.

I. Quamvis in antiquis Pontificalibus Libris forma et ritus, degradandi Clericos criminosos minime inveniatur, pervetustus est is nihilominus ritus, cujus prisci scriptores et veterum Conciliorum acta passim mentionem faciunt. Hanc autem degradationem sub certis ritibus verbisque peractam fuisse, nullus, ut opinor, dubitat. Degradationes Clericorum, maxime Episcoporum ac Presbyterorum, per ablationem insignium Sacerdotalium quae praesertim in Ordinatione acceperant, peractas fuisse probat in primis Liberati Breviarium Cap. XXIII, ubi Paulum Alexandriae Urbis Antistitem, per ablationem Pallii depositum narrat. Et Synodus sexta Oecumenica, Actione octava, Macarium Antiochenum Archiepiscopum monothelitam de sede

deturbare volens, hunc in modum exclamare coeperunt: *Haereticum seipsum manifeste demonstravit . . . . . . merito ab Episcopatu alienetur, nudetur circumposito ei pallio.* Non solum detracta fuerunt olim depositorum Episcoporum Sacerdotalis dignitatis insignia, vestes praesertim et Baculum, sed etiam confracta penitus et discissa. Haec autem omnia sub certa verborum forma peracta fuisse manifestum est. Hinc cum in septima Actione Synodi VIII Oecumenicae, ex Basilii Augusti mandato et Romanorum Legatorum permissu, *est introductus Photius baculo innixus, et cum eo Gregorius Syracusanus*, statim hunc in modum clamavit Marinus Romanae Ecclesiae Diaconus ac Legatus Summi Pontificis: *Tollite baculum de manu ejus; signum est enim dignitatis pastoralis quod hic habere nullatenus debet, quia lupus est, et non Pastor.* Ita siquidem Ariani in Synodo Tyri, teste Socrate Lib. I *Historiae Ecclesiasticae*, Cap. XXXII, depositionis sententiam adversus S. Athanasium tulerunt, *multis eum probris onerantes in depositionis libello.*

II. Duplicem degradationem distinguit Bonifacius VIII in Cap. *Degradatio;* unam vocat *verbalem,* et est ipsa prolatio sententiae, per quam Judex Ecclesiasticus Clericum ejicit e gradu et foro laicali addicit: aliam nominat *actualem*, seu *realem*, et est actus ipse, seu solemnis caeremonia, qua Episcopus Clericum verbali sententia antea degradatum, sacris spoliat insignibus, et re ipsa tradit Curiae seculari. Degradatio verbalis olim fiebat in Provincialibus Episcoporum Synodis, ad quas Presbyterorum aliorumque Ecclesiae Ministrorum criminales causae referebantur, ut ibidem discuterentur et deciderentur, juxta canonem quintum Nicaenum. Verum cum haud faciliter, et quotiescumque opus erat, ejusmodi Synodi congregarentur, in Concilio Carthaginiensi II anni 390, Can. X relato a Gratiano Can. 4 15 quaest. 7, statutum est, ut in posterum quaecumque Clericorum causae, etiam extra Synodum, agitari et terminari possent; hac tamen adjecta limitatione, ut, si ageretur de delicto exauctorationis sententiam merente, haec in Episcopum, nonnisi a duodecim, in Presbyterum a sex, in Diaconum

a tribus simul congregatis Episcopis ferri posset: quem canonem renovavit Concilium Carthaginiense III anni 397 can. 8. Statutum a priscis canonibus Episcoporum numerum, ad verbalem degradationem Clericorum majorum Ordinum, praescripsit etiam Bonifacius VIII in cit. Cap. *Degradatio*; solumque permisit, ut Clerici Minorum Ordinum possent sola proprii Episcopi sententia exauctorari. Iuxta Concilium Tridentinum hodie criminales causae Episcoporum ab uno Summo Pontifice noscendae finiendaeque sunt. Reliqui autem Clerici de gradu dejiciuntur ab Episcopo, ad consilium accitis, Episcoporum loco, totidem Abbatibus usum mitrae atque baculi habentibus, sive aliis in Ecclesiastica dignitate constitutis, qui et sint aetate graves, et Juris scientia commendentur. Minores Clerici Episcopi sententia degradantur. Ejusmodi porro sive Abbates, sive alias personas in Ecclesiastica dignitate constitutas, non adhiberi tamquam meros consiliarios, sed esse judices assessores, quibus competit suffragium decisionum, recte docent Suarez, *de Censuris Disp. 30 sect.* in num. 2; et Barbosa, in sess. 13 cap. 4 *de Reformatione Concilii Tridentini*.

III. Non ob quodlibet crimen, cui est a legibus inflicta poena ultimi supplicii, potest Clericus exauctorari et saeculari foro subjici; sed debet esse crimen, cui a Jure communi Ecclesiastico, aut a Pontificiis sanctionibus sit expresse et nominatim annexa degradationis poena. Ejusmodi autem crimina sunt: Primo, haeresis, et multo magis apostasia a Fide, saltem cum quis in illam relapsus, aut in ea pertinax est, Cap. *Ad Abolendam*, Cap. *Excommunicatus*, Cap. *Quoniam*. Secundo, falsificatio litterarum Apostolicarum Cap. *ad Falsariorum, de Crimine falsi*, et Cap. *Novimus*. Tertio, gravis contumelia vel calumnia proprio Episcopo illata, seu structae eidem insidiae, et in eius necem conspiratio, Can. *Si quis*, II Quest. I. Quartum crimen est, quod vulgari nomine dicimus *Assassinium*, Cap. I. *de homicidio*, in 6. Quintum est nefandum crimen frequentatum, hoc est, non semel tantum commissum, ex Bulla 95 S. Pii V. Sextum est, celebratio Missae, aut exceptio Confessionis Sacramentalis, temere praesum-

pta ab eo, qui sacro Presbyteratus Ordine non est initiatus, ex Bullis Clementis VIII, Urbani VIII et Benedicti XIV. Septimum est, sacrilegum et execrabile furtum sanctissimae Eucharistiae, sive cum sacra Pyxide, sive sine illa, juxta Bullas Innocentii XI et Alexandri VIII. Octavum est illius crimen, qui abortum foetus animati vel per se, vel per alium procurat, effectu sequente, ex Bulla Sixti V quae incipit *Effrenatam*. Nonum ab aliquibus recensetur maleficium, seu sortilegium, ex quo unius, aut plurium personarum mors sequuta comprobetur.

IV. Postquam de degradationibus in genere actum fuit, peculiariter agimus de degradationibus a sacris Ordinibus. Antiquissimus mos est in Ecclesia tum Orientali, cum Occidentali, ut ubi Patriarchae et Archiepiscopi degradabantur, Pontificali Pallio exuerentur. Mitra, unum est ex ornamentis Episcoporum, eoque ex recentissima Ecclesiae disciplina Episcopi degradandi nudantur, sub hac formula in nostro Pontificali praescripta: *Mitra Pontificalis, dignitatis videlicet ornatu, qui eam, male praesidendo, foedasti, tuum caput denudamus.* Recte autem a degradando Episcopo sacrum Evangelii Codicem auferri eique praedicandi munus vetari, ex eo addiscimus, quia scilicet, ut ait S. Gregorius: *Cujus vita despicitur, restat, ut ejus quoque praedicatio contemnatur.* Quemadmodum Episcopi in sua consecratione annulos accipiunt, ita in degradatione privantur. Baculos non modo ablatos, sed et fractos in degradatione Episcoporum, docent nos Acta S. Theodardi Narbonensis Archiepiscopi apud Bollandianos die 1.ª Maji. Extrahuntur Chirotecae, ut caeremonia peragatur abradendi cum cultello, vel vitro pollices et manus degradandi Episcopi, sub hac verborum formula: *Sic spiritualis benedictionis, et delibutionis mysticae gratia, quantum in nobis est, te privamus, ut sanctificandi et benedicendi perdas officium et effectum.* Quod autem degradandi Episcopi caput abradatur, multa ejus rei exempla in Ecclesiastica Historia occurrunt. Inter Episcoporum indumenta recensentur Sandalia, ablata et ipsa jam olim Episcopo in ejus degradatione. Jam praeter horum Pontificalium insi-

gnium ablationem, degradando Episcopo fuisse etiam Crucem Pontificalem ereptam novimus.

V. Absoluto ritu ab Ordine Episcopali, sequitur ritus degradationis ab ordine Presbyteratus. Constat ex Decretali Epistola Bonifacii VIII ac Libris manuscriptis Pontificalibus, ut cum Episcopus Presbyterum deposuerit, jubeat eum prius indui omnibus Sacerdotalibus indumentis, sibique Calicem in manu habentem, prasentari aeque, ac si deberet in Sacerdotali officio ministrare. Meminit quidem ejus ritus manuscriptum Pontificale insignis Ecclesiae Moguntinae. Caput degradandi radendum, *ne Tonsurae seu Clericatus vestigium remaneat in eodem,* praescripsit quidem in sua Decretali ad Episcopum Biterrensem *Epistola* Bonifacius VIII, nulla facta penitus mentione abradendi cum cultello, vel vitro pollices et indices utriusque manus degradandi, quemadmodum ex hoc odierno Romano Pontificali praescriptum est. Etsi autem in sua Decretali hanc Bonifacius VIII praescribat formulam in expoliando eum casula: *Auferimus tibi vestem Sacerdotalem, et te honore Sacerdotali privamus;* retinenda est nihilominus nostri Pontificalis formula: *Veste Sacerdotali charitatem signante merito expoliamus, quia ipsam, et omnem innocentiam exuisti*, a variis Summis Pontificibus approbata. Stolam degradando Presbytero auferri mandat quidem manuscriptum Pontificale Ecclesiae Moguntinae. Cum sacer Evangelii Codex, Dalmatica et Stola sint instrumenta, quibus Ecclesia utitur pluribus abhinc saeculis in Ordinatione Diaconorum, merito postulat, ut eadem instrumenta ab Ordine Diaconatus dejiciendo et degradando amoveantur. Idem observatur in degradatione ab Ordine Subdiaconatus.

VI. Solemnem degradationem habere locum non modo ubi sacris Ordinibus insigniti, verum etiam ubi prima Tonsura minoribusque Ordinibus initiati aliquod enorme delictum perpetrarunt, ex Bonifacii VIII Epistola Decretali Cap. II *de Poenis*, in VI, liquido constat. Cum in ordinatione Acolythatus duplex sit materia, nempe Ceroferarii cum cereo traditio, et urceoli vacui, ut antiqui Rituales Libri et Concilii IV Carthaginiensis Patres Can. VI docent, non mirum si utrum-

que instrumentum Acolytho degradando auferatur. Utitur autem Episcopus in degradatione Acolythorum iis verbis: *Dimitte perferendi visibile lumen officium, quia praebere spirituale moribus neglexisti, atque universum Acolythatus officium hic depone.* Extant haec quidem formulae degradationis ab Ordine Acolythatus, sicut et aliae, in editis Romanis Pontificalibus etiam longe ante Clementem VIII. In Exorcistarum degradatione Librum Exorcismorum eisdem aufert Episcopus sub hac verborum formula in nostro Pontificali descripta: *Privamus te potestate imponendi manum super Energumenos, et Daemones de obsessis corporibus expellendi, omni tibi Exorcistatus officio interdicto.* Ceterum cum ex Romano hodierno Pontificali, ubi Exorcistae ordinantur, tradi eisdem possit, loco Libri Exorcismorum, Liber Pontificalis, seu Missalis, non est addubitandum, posse et in ipsorum Exorcistarum degradatione, Pontificalis, seu Missalis Libros adhiberi. Lectorum officium est quidem ex Romano Pontificali, *legere ei, qui praedicat, et lectiones cantare.* Hoc munere, quod fideliter non impleverit, degradandum Lectorem privat Episcopus, auferens eidem sacrum Codicem, qui ex prisco Ecclesiae ritu ordinando in Lectorem tradi solet. In degradatione Ostiariatus, unus ex Ministris tradit degradando in manus claves Ecclesiae, quas Episcopus degradator tollit de manibus illius, dicens: *Quia in clavibus errasti, claves dimitte* etc. Cum autem, ubi Clerici prima Tonsura initiantur, ab Episcopo Superpelliceo induantur, quo significatur, ipsos secularis habitus expoliatione, et sacrae Religionis habitu assumpto, novos homines esse oportere (candorem enim morum vitaeque integritatem superpelliceum designat), jure ac merito cum ipsi Clerici ob sua facinora degradantur, praedicta veste expoliantur. Praeterea, sicut ii qui in Clericatum adsciscuntur, Beneficiorum Ecclesiasticorum capaces fiunt et Clericalia privilegia sortiuntur, ita etiam, ubi a Clericatu degradantur, privatione ipsorum privilegiorum puniuntur. Degradandi caput non modo tondendum, sed etiam radendum, mandat Bonifacius VIII in Cap. II *de poenis* in VI.

LIBER SECUNDUS

DE CONSECRATIONIBUS.

CAPUT I.

DE ECCLESIARUM CONSECRATIONE.

I. Inter solemnes Ecclesiae (1) caeremonias, quae fidelium fovendae pietati institutae sunt, adnumeranda est Ecclesiarum consecratio. Nam sive rei ipsius naturam spectes, sive multiplicem rituum apparatum, sive Ministrorum dignitatem; omnia nescio quid sanctum ac Religione Christiana dignum spirant, quo mens a rebus terrenis abstracta ad caelestia miro prorsus modo rapiatur. Ante omnia autem adnotandum est, quod scite docent Scriptores, Templorum consecrationem e veteri Testamento ad novum emanasse, servatumque hunc ritum Ecclesiae totius Occidentis scilicet, et Orientis consensu. Sunt qui Evaristo Papae ejus originem adscribunt, sed multo certius est, Apostolicum esse institutum; nisi dicamus cum viro eruditissimo Joanne Cardinale Bona Lib. I *Rerum Liturgicarum*, Cap. XX, scripto promulgatum a sancto Evaristo, quod sola traditione ab Antecessoribus acceperat.

II. Data Ecclesiae pace, sicut augustius coepere con-

(1) Cecconi, *Sul rito di consecrare le Chiese* Cap. I et seqq; Galluzzi, *Il sacro rito di consecrare le Chiese* Cap. I et seqq; Ferrario, *Della Consecrazione delle Chiese* Cap. III et seqq; Gallade, *Templorum Catholicorum antiquitas et Consecratio* Cap. XII.

strui Ecclesiae, ita etiam consecrari cum magna rituum solemnitate. Votivum ac desideratum spectaculum erat, ut Eusebius loquitur Lib. X *Historiae*, Cap. III, videre consecrationum festivitates per singulas urbes. Etsi enim unius dumtaxat Episcopi mentionem faciant Libri Rituales atque Pontificales, certum nihilominus est, plures olim ad Ecclesiarum consecrationem, praesertim vero insigniorum Basilicarum, Episcopos convocatos, et ea occasione Synodos etiam celebratas fuisse. Certe cum Constantinus Magnus, primus Imperatorum Christianus, magnificentissimam Hierosolymis construxisset Ecclesiam, a plena Episcoporum Synodo consecrata fuit. Ita tradunt Eusebius, Lib. IV *de vita Constantini* Cap. 43; et Sozomenus, Lib. II Cap. 26; Socrates, Lib. I *Historiae*, Cap. XXVIII; et Sozomenus, Lib. II Cap. XXVI. Neque porro existimandum est id Orientali dumtaxat Ecclesiae extitisse singulare. Nam in Occidente idem prorsus usus passim invaluit. Id probant Concilium Arausicanum I anno 441 celebratum Cap. 10, et Arelatense II Cap. 37. Luculentus ejusdem consuetudinis testis est Fortunatus, Pictavorum Episcopus, Lib. III, Carmine 6, ad Felicem Episcopum de Consecratione Ecclesiae, ita canens:

Convocat egregios sacra ad solemnia Patres.

Et infra:

Hinc te Pontifices circumdant, inde ministri.

Ceterum non solum ut spectatores et testes, quod forte existimabit aliquis, sed ut coadjutores et ministri, ad hujusmodi Ecclesiarum consecrationes convocabantur Episcopi, in quibus suas quisque partes adimplebat.

III. Convocatis insuper Episcopis, pridie ante Ecclesiae consecrationem, solemnes sub papilionibus aut in vicinis Ecclesiis agebantur vigiliae coram sacris Reliquiis, in consecranda Basilica sequenti die recondendis, ad quas solidam integramque noctem insumebant. Id testantur non solum nostri Libri Rituales tam antiqui quam recentes permulti, sed etiam auctores non pauci. Reliquiarum autem nomine non semper intelligebant integra Sanctorum corpora, seu insignes eorum portiones, sed quaecumque illorum fuerant usui, aut eorum contactu consecrata fuissent. Romae et in Eccle-

siis Occidentalibus una cum sacris Sanctorum Reliquiis tres Corporis Christi portiones, et tres de incenso jam olim poni in Altari consueverunt, ubi Ecclesia dedicabatur. Quem quidem ritum in veteribus aeque ac recentibus Ritualibus Libris legere est. Insuper observare oportet olim non solum in Altaribus repositas fuisse Reliquias, sed in diversis etiam Ecclesiae locis.

IV. De illuminatione duodecim candelarum omnes fere libri Pontificales, veteres aeque ac recentiores, conveniunt. In Libro Sacramentorum S. Gregorii Papae ab Hugone Menardo edito, ac notis illustrato ita quidem incipit Ordo ad Ecclesiam consecrandam: *Primitus enim antequam Pontifex introeat Ecclesiam, illuminentur duodecim candelae per circuitum Ecclesiae. Et induant se vestimentis sacris.* Per duodecim hasce candelas, docent passim prisci auctores, duodecim Apostolos significari. His praeeuntibus et praedicantibus congregati sunt undique lapides, ex quibus coalescit Ecclesia, civitas illa caelestis, quae construitur in caelis vivis ex lapidibus. *Murus hujus civitatis*, inquit Joannes Apostolus in Apocalypsi Cap. XXI v. 14, *habet fundamenta duodecim, et in his nomina duodecim Apostolorum Agni.* Cerei illi accenduntur antequam incipiatur Dedicationis ritus, ut intelligamus missos prius a Salvatore Apostolos fuisse, et lumen Evangelicum per totum orbem sparsisse, quam caelestis illa Jerusalem in Caelo dedicaretur. Patriarchas exprimi velit Rabanus Maurus Lib. II *de Institutione Clericorum*. Etiam apud Graecos in consecratione Ecclesiae accendi consuevisse lucernarum multitudinem, docet Isaac Habertus in Pontificale Ecclesiae Graece, observatione I. Litanias in consecratione Ecclesiae recitandas, omnes fere Libri Pontificales docent. Ordo vetus Romanus initio quidem consecrationis Ecclesiae praescribit, ut *primum veniat Episcopus indutus vestimentis sacris, similiter et Clerus ad tentorium in quo Reliquiae praeterita nocte cum vigiliis fuerunt, fiantque ibi Litaniae.* Ex manuscripto Pontificali Anglicano Monasterii Gemmeticensis cautum est, ut Episcopus faciat Litaniam, *et cum hac Litania Sanctorum implorans suffragium, ter circumeat ipsam, quae dedicanda est, Ecclesiam.*

V. Antiquissima est consuetudo, ut Basilica consecranda aquae exorcizatae, seu benedictae aspersione sanctificetur, quemadmodum constat ex pervetustis Libris Pontificalibus, et praxi antiquorum Patrum, qui ipsam non modo in consecrandis Ecclesiis adhibuerunt, sed ejus etiam ritus mysteria enarrarunt. Ivo Carnotensis Episcopus in *Sermone de Sacramentis dedicationis* de ea re haec habet: *Primo itaque aquam benedicimus, cui et sal admiscetur: aqua etenim poenitentiae figurum gerit, quae velut aqua peccatorum maculas abluit, quam tunc benedicimus, cum virtutem poenitentiae populis ad Fidem venientibus praedicamus. Cui admiscetur sal, idest evangelica doctrina, fluxa auditorum corda suavi mordacitate constringens, et ad conservandam vitae novitatem sapienter componens.* Consentit Ivoni Gulielmus Durandus Episcopus Mimatensis Lib. I sui Rationalis, Cap. VI.

VI. Ritus quo Pontifex ter Ecclesiam circumiens, ter super liminare illius cum inferiori parte Baculi sui percutit, in omnibus vel antiquissimis Libris Pontificalibus reperitur. Fuse illum quidem describit vetus Ordo Romanus. Sacramentarium S. Gregorii paucis se expedit verbis, dum ita inquit: *Induant se vestimentis sacris, et cum venerint ad ostium Ecclesiae, percutiat Pontifex ter super liminare de cambutta* (1) *sua, dicens, ante portam* Antiphonam: *Attolite portas principes vestras.* Fusius eum ritum enarrat Pontificale Egberti Eboracensis Archiepiscopi. Multo fusius idipsum exprimitur in Pontificali Anglicano Monasterii Gemmaticensis. Eumdem ritum describit Codex Pontificalis B. Mariae Remensis ante annos DCCC exaratus, consonatque cum Ordine antiquo Romano. Trina in superliminari ostii percussio signat auctore Durando triplex jus, quod Jesus Christus habet in Ecclesia sua, propter quod ei aperiri debet. Est enim sua creatione, redemptione et glorificationis promissione. Rursus per

(1) *Cambutta*, seu *Cambuta* est virga pastoralis Episcoporum, de eaque voce consulendus est Carolus Dufresne in suo *Mediae, et infimae latinitatis Glossario*, ubi pluribus allatis veterum scriptorum locis, *Cambuttam* baculum pastoralem Episcoporum significare ostendit.

triplicem percussionem januae cum virga pastorali praedicatio Evangelica intelligitur. Quid enim virga, nisi sermo divinus, juxta illud Isaiae Cap. XI *Percutiet terram virga*, idest sermone, *oris sui?* Virga igitur januam percutere est aures audientium praedicationis voce pulsare; aures enim portae sunt per quas ad corda audientium sanctae praedicationis verba introducimus; unde in Psalmo legimus: *Qui exaltas me de portis, ut annuntiem omnes laudes tuas in portis filiae Sion*. Insuper triplex cum virga percussio et januarum aperitio significat, quod per praedicationem Pastorum infideles veniant ad Fidei consensum. Trina vero proclamatio, *Attollite portas principes vestras* etc. triplicem Jesu Salvatoris potestatem significat, videlicet, quam habet in coelo, in terra, in inferno.

VII. Circa alphabetum, quod Episcopus in pavimento Ecclesiae cinere consperso describit cum Baculo pastorali, notat Menardus olim non solum latine et graece, sed etiam hebraice delineatum fuisse. Antiquus Liber Sacramentorum S. Gregorii Papae, Pontificale Egberti Eboracensis Episcopi et Remense B. Mariae duplicis tantum alphabeti latini meminerunt. Contra vero Remense S. Remigii, tempore Caroli Magni scriptum, duplex graecum praescribit. Sed in aliis communiter Pontificalibus unum latinum, alterum graecum advertere licet. Olim, cum plures Episcopi non modo ut testes, sed ut coadjutores ministri consecrationibus Ecclesiarum interessent, illum aliquando servatum ritum reperio, ut unus graecum, alter vero alphabetum latinum in pavimento scriberet. Id quidem constat in dedicatione Majoris Monasterii Turonensis ab Urbano II Pontifice Maximo celebrata. Sciendum autem est, quod post Remigium, et Ivonem docet Durandus, scripturam ex Graecis et Latinis litteris in modum Crucis factam, repraesentare nobis conjunctionem, seu unionem in fide utriusque populi, Judaei videlicet et Gentilis per Crucem Christi factam.

VIII. Vinum adhibitum in consecratione Ecclesiae, mixtum cum aqua, sale et cinere jam benedictis, liquido constat ex Libro Sacramentorum S. Gregorii Papae: *Deinde*, inquit, *miscetur vinum cum aqua et*

dicit hanc orationem. Oremus Creator et Conservator etc. Idem quod S. Gregorii Sacramentarium, praescribit manuscriptum Pontificale Egberti Archiepiscopi Eboracensis, itemque Pontificale Ecclesiae Candurcensis et Pontificale Halinardi Archiepiscopi Lugdunensis. Plura de mystico ritus enarrati sensu videri possunt apud Durandum Lib. I *Rationalis Divinorum Officiorum*, Cap. VII. Satius hic puto mysticam interpretationem describere pervetusti auctoris Remigii Monachi Antissiodorensis, qui floruit saeculo IX, teste Bellarmino in Opere: *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Huic itaque mixturae, ut docet Remigius, et post eum Ivo Episcopus Carnotensis, additur vinum cum aqua; quae duo geminam in Domino Jesu Christo praeferunt naturam in una persona. Aqua enim humanitatem, vinum vero significat divinitatem. Insuper Episcopus Ecclesiam consecrans Indulgentias aliquando concedebat his qui Basilicae consecrationi, peccatis prius ad Sacerdotem depositis actaque poenitentia, interfuerant. Est antiquissima Romanae Ecclesiae ea consuetudo, ut in Ecclesiae et Altaris consecratione epocha scripto consignata reponatur cum Reliquiis Sanctorum ad perennem rei memoriam ab Episcopo consecrante sub mensa Altaris. Aperte id ostendit vir eximius Franciscus Blanchinius in Praefatione ad vitas Romanorum Pontificum.

IX. Restat ut varias causas consecrandarum Ecclesiarum ex ipsius consecrationis ritu ac precibus summatim recenseamus, quas tum prisci Patres, tum alii scriptores fuse enarrant. Prima est, ut daemones effugentur; quod illustri exemplo probat S. Gregorius Lib. III *Dialogorum*, Cap. XXX. Secunda, ut omnes qui eodem deprecaturi conveniunt, ex quacumque tribulatione consolationis divinae beneficia consequantur: quae omnia dignius exhibentur in locis Deo sacratis, in quibus etiam orationes facilius exaudiuntur; uti videre est in Lib. III *Regum*, Cap. VIII. Tertia, tum ad repraesentandam sanctificationem quam Ecclesia consecuta est per passionem Salvatoris, tum etiam ad significandam sanctitatem, quae requiritur in iis qui Sacramentum altaris suscipere debent: ex S. Thoma in Parte III *Summae Quaestione* LXXXIII, Articulo III ad. III. Quarta, ut

quod in templis vel altaribus visibiliter colitur, nobis invisibiliter compleatur. Id quidem passim docent SS. Ecclesiae Patres in plurimis quos de dedicatione Ecclesiae sermonibus ediderunt: *Quotiescumque, fratres charissimi* inquit S. Augustinus in *Sermone* CCLII de *tempore, altaris vel templi festivitatem colimus, si fideliter ac diligenter attendimus, et sancte ac juste vivimus, quidquid in templis manufactis agitur, totum in nobis spirituali aedificatione completur.* Scio denique Magdaburgenses haereticos, Centuria IV Cap. VI, nos arguere quod tanto caeremoniarum apparatu apud nos Templa dedicantur, et consecrantur Altaria. Quis enim sacras Litteras sciens ignorat quam magnifica pompa Tabernaculum, et Altare in veteri Lege, Num. Cap. VII, dedicatum fuerit? Nonne legimus ter, Deo non improbante, factam Judaici Templi dedicationem cum ingenti laetitia et celebritate? Primo a Salomone, Lib. II Paralip. Cap. VII. Secundo ab Esdra Sacerdote, Lib. I Esdrae Cap. VI. Tertio a Machabaeis, Lib. I Cap. IV. An ignorant praedicti Novatores veteres Patriarchas altaria ad quae operabantur, olei effusione consecrasse? Jacob, Gen. Cap. XXVIII, erexit lapidem in quo Sacrificium obtulit, eumque consecravit fundens oleum desuper, et inde eumdem locum appellavit Bethel, idest domum Dei; subsequentibus vero temporibus nonne Moyses oleo sacro, aliisque caeremoniis Tabernaculum, altare et omnia ejus vasa ministerii consecravit? Hunc Ecclesiae ritum probatum semper ac retentum expresse testantur Eusebius, Lib. X *Hist. Ecclesiasticae* Cap. 3 et Lib. de *Vita Constantini* Cap. 43; S. Athanasius, in *Apologia ad Constantinum*; S. Basilius, in *Psalmum 114;* S. Gregorius Nyssenus, *Oratione de Baptismo*; S. Ambrosius, Lib. I *Epist. 5 ad Felicem;* Gaudentius Brixiensis, in *Tractatu de Dedicatione Ecclesiae.*

X. Verus ac legitimus Ecclesiarum consecrationis minister solus est Episcopus, Cap. *Aqua de Consecratione Ecclesiae*, Cap. *Nemo de Consecratione dist. I.* Episcopi quidem Dioecesani, in quorum Dioecesibus Ecclesiae construuntur, eas consecrare debent. Vide Barbosam *de officio et potestate Episcopi*, Parte II *Allegatione* XXVI, et alios passim Scriptores. Chorepi-

scopis et Presbyteris nefas esse consecrare Ecclesias, non semel sacri Canones ac summi Pontifices edixerunt. Antequam Episcopus consecrationis Ecclesiae ministerium suscipiat, plura debet observare: inter alia requirere certiorque fieri, an consecranda Ecclesia sit sufficienter dotata, juxta sacrorum Canonum praescriptum, Cap. *Cum sicut de Consecratione Ecclesiae*, Innocentius, in Cap. *Auctoritate* ibique Abbas num. 3; et Fagnanus n. 5 et 25 *de Censibus*. Abstinere se debet Episcopus ab Ecclesiae consecratione quotiescumque ii ad quos ea pertinet, justis de causis illam impediant. Consecrari minime debet Ecclesia tempore Interdicti: Ugolinus, *de officio Episcopi* Cap. 28 num. 3; Barbosa, *de officio Episcopi part. 2 allegatione 26 n. 3;* Pax Jordanus, *Elucubrationes Tom. I Lib. V* tit. 19 num. 14.

XI. Circa tempus quo Ecclesia consecrari debeat, quamquam in Concilio Caesaraugustano statuatur, non posse consecrationem perfici nisi diebus Dominicis, juris nostri exploratissimum est posse illas quocumque perfici die sive feriali, sive festivo, per Textum express. in *Cap. Tua fraternitas de Consecratione Ecclesiae.* Ecclesiarum consecratio duobus modis peragitur: vel etenim ab uno consecratur Episcopo, quod ut plurimum contigit, uti etiam adnotavit Van-Espen *Juris Ecclesiastici part.* 2 tit. 16 num. 10, vel a pluribus simul Episcopis. Si duo itaque pluresve Episcopi concurrant ad Ecclesiae consecrationem, possunt inter se partiri munus benedicendi et ungendi Cruces, ut docet Benedictus XIV in *Epistola prima*, seu *Bulla Ex tuis precibus* § 10 tom. IV Bullarii, qui quidem tempore consecrationis Ecclesiae S. Apollinaris de Urbe, duas tantum Cruces benedixit et consecravit, reliquas vero decem Eminentissimo Cardinali Cavalchino in Ministrum accito consecrandas reliquit.

XII. Peracta Ecclesiae consecratione, conceditur unius anni Indulgentia omnibus Christifidelibus, qui eo consecrationis die, et quadraginta dierum iis, qui anniversario Dedicationis die Ecclesiam visitaverint: *Cap. Cum ex eo;* Passerinus, *de Indulgentiis* q. 85 n. 617 et seqq.; ac plane Catalano, ad *Pontificale Romanum* tom. 2 titulus secundus; Benedictus XIV, *Epistola se-*

cunda ad P. Ergelbertum § *9 Tom. IV sui Bullarii in appendice.* Est et antiquus usus concedendi Indulgentias in Dedicatione Ecclesiae. Celebris prae ceteris et plena fuit Indulgentiarum gratia ab Alexandro II impertita in Dedicatione Ecclesiae Cassinensis, nempe tam iis quos tunc praesentes esse contigerat, quam omnibus qui per octo continuos dies eo conventuri essent, *confessorum peccatorum absolutione concessa*; uti habetur Lib. III Chronici Cassinensis, Cap. XXXI. Neque vero dubium est, quin aliqui Episcopi ante Innocentium III plenariam Indulgentiam elargiti essent. Hodie tamen supradictam facultatem unius anni et quadraginta dierum excedere nequeunt, sive ab uno, sive a pluribus Episcopis fuerit Ecclesia consecrata, juxta sanctionem Concilii Lateranensis sub Innocentio III Cap. 62.

XIII. Postea quam Ecclesia fuit solemni ritu ab Episcopo consecrata, non potest amplius reiterari illius consecratio, Can. *Ecclesiis de Consecratione dist. I Cap. Proposuisti Cap. Ligneis de Consecratione Ecclesiae.* Variis tamen modis contigit, ut Ecclesiae consecratio iterum peragi valeat. Primum enim, quando revera constat de consecratione facta sine debita forma et materia, potest ad Ecclesiae iteratam consecrationem deveniri. Secundo, consecrari iterum potest, si consecrata adpareat ab eo qui Episcopali Ordine minime fuerit insignitus. Tertio, consecrari rursus potest sine ulla haesitatione Ecclesia illa, quam merito ambigimus unquam fuisse consecratam, ex Canone *Ecclesia.* Quarto, si Ecclesia universa vel major pars fuerit exusta, quia priorem amisit formam atque consecrationis substantiam, iterum est consecranda: *Glossa*, et Can. *Ecclesiis de Consecratione Distinct. I.* Berardi, Pax Jordanus aliique apud Benedictum XIV in *Epistola* ad Patrem Engelbertum § 5. Idemque dicendum, si tota, vel majori pro parte destruatur ruina, terremotu vel simili casu, *Cap. Ligneis de Consecratione Ecclesiae* ibique Canonistae, Glossa in dictum Caput, atque Benedictus XIV in Bulla *Jam inde a primis annis* § 14 et 15 sui Bullarii. Quinto, si a primo lapide reaedificetur, vel parietibus tantum renovetur Ecclesia, nova

indiget consecratione, ut Doctores communiter, ac praesertim Benedictus XIV in sua *Institutione Ecclesiastica.* Quod si tectum corruerit, vel data opera fuerit sublatum novumque superinductum, veteribus parietibus consistentibus, non debet Ecclesia iterum consecrari; quia consecratio in parietibus, non vero in tecto consistit. Sexto, at si Ecclesiae parietes non uno tempore, sed per partes et diversis temporibus fuerint aedificati, ita ut Ecclesia revera dici possit renovata, debet iterum consecrari: nam sublatis veteribus parietibus, nec vetus quidem remanet consecratio, juxta Innocentium, quem sequitur Abbas in Cap. *Proposuisti* n. 8. Septimo, si Ecclesia quae ignem vel aliud accidens passa est, adhuc remaneat integra, vel major illius pars, sed tamen consistentibus parietibus detractae fuerint crustae, sejunctique lapides, debet iterum consecrari; quia consecratio in superficie Ecclesiae perficitur, adeoque hac sublata superficie, seu dirutis crustis quae sacro fuerunt chrismate inunctae, sublata omnino remanet illius consecratio, ut communiter Doctores post Glossam in Capite *Ecclesiis verb. Exustae de Consecratione Dist. I et in Cap. Proposuisti de Consecratione Ecclesiae.* Multo autem fortiori ratione novam requiret consecrationem Ecclesia illa quae, prioribus destructis parietibus, in totum fuerit ampliata: Pax Jordanus Lib. V Tit. 9. At contra si restauretur quidem ac in nobiliorem redigatur formam, a nova Dedicatione erit omnino abstinendum; propterea quod adhuc sacrata remanet, tametsi nobilior evaserit: quod illustratur auctoritate Benedicti XIV. Postquam vero Ecclesia fuerit consecrata ab Episcopo, ut habeatur perpetua istius consecrationis memoria, ab Episcopo expediri debent Litterae patentes, in quibus narretur talem Ecclesiam sitam in loco N. sub invocatione Sancti N. fuisse a se consecratam et dedicatam anno, die, mense etc. servatis de Jure in similibus servandis, et easdem tradi Ecclesiae Rectori, earumque exemplar authenticum registrari in actis Cancellariae.

Porro argumenta atque signa principaliora quibus probari potest Ecclesiae consecratio, hinc desumi solent: Primo ex litteris in marmore, pariete, aut alibi incisis.

Secundo, ex testibus fide dignis. Tertio, ex Libris et Scripturis Ecclesiae hoc attestantibus. Quarto, ex communi fama et opinione, quando nempe pro consecrata communi opinione habetur, juxta tradita a Pace Jordane Lib. V. Tit. 9 n. 16. Quintum probationis argumentum suppeditant Cruces in pariete depictae, vel exculptae, ut docet Muscardus, *Conclusio 585 n.* 2; Riccius, *in Praxi part. I Dec. 337 n. 17.*

CAPUT II.

DE ALTARIS CONSECRATIONE.

I. Quamquam sine Altaris consecratione Ecclesia consecrari non consueverit, usus nihilominus vel olim invaluit, ut sine consecratione Ecclesiae, unum vel plura Altaria consecrarentur. Episcopus cum primum accedit ad consecrandum Altare, dicit Antiphonam, *Introibo ad Altare Dei.* Attamen ex praescripto non modo priscorum Pontificalium, sed et Libri Sacramentorum S. Gregorii Papae, non recitanda sit ipsa Antiphona, *Introibo ad Altare Dei*, nisi post aliquot alias recitatas orationes et adhibitos ritus. Insuper in omnibus fere antiquis recentibusque codicibus praescriptum invenio, ut antequam fiant Cruces in quatuor cornibus Altaris, Crux primum fiat de aqua benedicta in ipso medio Altaris, Vetus quidem Ordo Romanus, cui fere Pontificale consonat, de ea re sic inquit: *Tunc ingrediens Episcopus ad Altare, primo cum pollice suo de ipsa aqua sancta faciat Crucem in medio Altaris, dicens: Sanctificetur hoc Altare*, etc. Ritus quoque faciendi prius Crucem in medio Altaris expressus habetur in manuscripto codice Sanctae Mariae Remensis et in aliis multis. Quid autem denotet tum Crux in medio Altaris, tum quatuor illae ab Episcopo in quatuor cornibus ejusdem Altaris impressae, mysticas hasce rationes assignat Durandus Lib. I *Rationalis divinorum Officiorum*, Cap. VII. Ait nempe Crucem in medio Altaris significare passionem, quam Christus in medio terrae subiit, et per quam operatus est salutem in medio terrae, idest in Jerusalem: quatuor

vero Cruces in quatuor Altaris cornibus repraesentare 1.° quadruplicem charitatem, quam hi qui ad Altare accedunt, habere debent; scilicet ut diligant Deum, seipsos, amicos et inimicos. 2.° Quod Salvator per Crucem quatuor mundi partes salvavit. 3.° Quod quatuor modis Crucem Domini portare debemus, scilicet in corde per meditationem, in ore per confessionem, in corpore per carnis mortificationem, in facie per assiduam impressionem.

II. Episcopus praeterea septies Altare circumeat, illudque cum hyssopo aspergat septem vicibus, canendo Antiphonam, *Asperges me Domine hyssopo, et mundabor*, cum Psalmo ipso *Miserere mei Deus* etc. ut omnes prisci ac recentiores Libri Pontificales memorant. Liber Sacramentorum S. Gregorii Papae haec de ea re habet: *Inde veniens ante Altare cum hyssopo, aspergit ipsum Altare septem vicibus, canendo Antiphonam, Asperges me, cum ipso Psalmo Miserere*, uti habetur in omnibus Pontificalibus et in antiquo Ordine Romano. Quid autem circuitus ipse et aspersiones septem Altaris denotent, fuse docet Gulielmus Durandus Lib. I Cap. VII. Verum, ut explicationem sequamur antiqui auctoris, Remigii Antissiodorensis Monachi, in celebri Tractatu, *de Dedicatione Ecclesiae*, Cap. V; septenario numero plenitudo significatur Spiritus Sancti, testante Isaia, qui de Domino ait, Cap. XI *Et requiescet super eum Spiritus Domini; Spiritus sapientiae, et intellectus* etc. Hyssopus autem cum quo eadem aqua spargitur, ut cum Remigio notat ejus compilator Ivo Carnotensis Episcopus, cujus etiam aspersione immunditiae delebantur in Lege; significat humilitatem Christi, quae duritiam nostrae obstinationis confringit, passionesque atque immunditias interiores curare novit. *Circuit autem Episcopus Altare*, conclusio est praefatorum Scriptorum, *spargendo eamdem aquam, ut significet, Doctores non debere otio indulgere, sed eorum semper, quos Domino initiaverint, curam gerere, et eorum mundationi operam dare, et ut Dominus mittat Angelum suum in circuitu eorum, et eripiat eos, continuatim orare*. Si Librum Sacramentorum S. Gregorii Papae spectemus, itemque Ordinem antiquum Roma-

num, atque complures alios Pontificales codices, postquam Episcopus fudit, quod remanserat de ipsa aqua benedicta, ad basim Altaris; offerebat incensum, mittebatque oleum super Altare, aliosque servabat ritus, quos post Remigium Antissiodorensem scite explicant Ivo Carnotensis Episcopus, et Gulielmus Durandus Mimatensis Antistes Lib. I *Rationalis divinorum officiorum*, Capite VII.

III. De ritu signandi confessionem, idest sepulchrum Altaris cum sacrosancto Chrismate, testimonia habemus luculentissima in Libris antiquis Pontificalibus. Et re quidem vera Ordo Romanus expresse edicit: *ponat Episcopus Chrisma in confessionem per angulos quatuor in Crucem dicendo: In nomine Patris etc.* Consonat Ordini antiquo Romano Pontificale Egberti Eboracensis Archiepiscopi, et Anglicanum Monasterii Gemmeticensis. Insuper constat ex Romano Pontificali, Confessionem, seu Sepulchrum locum esse Altaris cavatum, in quo ab Episcopo Reliquiae Sanctorum reconduntur. Meminit utriusque vocis in suo divinorum officiorum Rationali Gnlielmus Durandus Lib. I Cap. VII ubi ait: *Sepulchrum hujusmodi, quod a quibusdam Confessio nuncupatur, esse cor nostrum quod quatuor Crucibus de Chrismate factis consecratur, quia quatuor sunt virtutes in Libro Sapientiae descriptae, scilicet prudentia, fortitudo, temperantia, et justitia, quibus cor nostrum quasi ungitur, dum ad suscipienda secretorum coelestium mysteria per donum Sancti Spiritus praeparatur.* In consecratione Altaris non modo mos fuit, ut tria grana, de incenso, una cum sacris Reliquiis, in ipso Altari conderentur, sed etiam ut thuris suffitus adhiberetur ex praescripto vetustissimorum Pontificalium et testimonio antiquorum Scriptorum.

IV. Omnes pene Libri Pontificales in eo conveniunt, ut duobus vicibus oleum Episcopus in medio Altaris, et in quatuor angulis ejus infundat, tertio vero Chrisma. Meminit et duplicis unctionis de oleo, tertiae vero de Chrismate in consecratione Altaris Remigius Monachus Antissiodorensis in suo Tractatu: *de Dedicatione Ecclesiae, Cap. VII;* ubi etiam eam quaestionem ponit, cur Altare ter inungitur, et bis ex simplici oleo, tertio

autem Chrismate. Respondet id ideo fieri, quoniam Ecclesia, fide, spe et charitate, quae major est ceteris, insignitur. Verba Scriptoris haec sunt: *Sed respondemus, quia cum Sancti Spiritus dona sint multiplicia, tres tamen virtutes ipsius Sancta Ecclesia pernecessarias habet, sine quibus salvari nequit, fidem scilicet, spem, et charitatem. Quia ergo tribus his virtutibus genus humanum ditat, tribus unctionibus sacrum Altare decorat.* Constat hic ritus ex Can. XIV Concilii Agathensis, qui ita inquit: *Altaria placuit non solum unctione Chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.* Cui adde Canonem XXVI Concilii Epaonensis, in quo cautum est: *ut Altaria nisi lapidea infusione Chrismatis non sacrentur.* Ritus insuper cremandi incensum super Altare in multis extat Pontificalibus, et a plerisque scriptoribus egregie explicatur; eumque adamussim servavit Urbanus III Pontifex Maximus, cum anno MCLXXXVI consecravit Ecclesiam S. Juliani de Lepida, seu Lepia in districtu Veronensi, uti constat ex pervetusta memoria, seu schedula apud Ughellium *Italiae Sacrae* tom. V primae editionis, pag. 760. Quem ritum explicans Gulielmus Durandus in suo Rationali, Libro I Cap. VII ita inquit: *Post unctionem adoletur incensum, quod devotionem orationis significat. In quinque locis adoletur; videlicet in quatuor angulis, et in medio, quia sic quinque sensus corporis exercere debemus, ut fama boni operis nostri usque ad proximos extendatur* etc. *Crucem cum incenso facere, est ejus* (idest Christi) *passionem Patri ostendere, et ipsum pro nobis interpellare.*

V. Semel ac Altare fuit consecratum, non potest amplius consecrari, uti Doctores communiter tradunt. Haec tamen regula suis quoque subjecta est exceptionibus. Prima enim exceptio est, quando consecratio Altaris facta fuit sine debita forma et materia praescripta ab Ecclesia. Altera exceptio est eo in casu, quo de Altaris consecratione merito dubitatur. Tunc enim procul dubio absolute consecrari potest, quemadmodum declaravit Concilium Romanum Lateranense sub Benedicto XIII. Tertia exceptio est, quando concludenter appareat fuisse Altare execratum. Execratur au-

tem primo, quando ita frangitur, ut in parte integra nequeat amplius Calix cum Patena contineri Cap. *Quod in dubiis*, Cap. *Proposuisti*, Cap, *Ligneis de Consecratione Ecclesiae*. Secus vero, quando notabiliter non frangitur: quandoquidem adhuc remanet commodum ad Sacrificium, adhucque suam retinet formam. Quando Altare in plures partes frangitur, notabilis est fractio, adeoque execratum remanet. Item execratur Altare per illius amotionem, Cap. *Si motum 19 de Consecratione Dist. I.* Cap. I atque Doctores communiter. Debet autem illius amotio esse talis, ut Altaris forma omnino mutetur, ut explicat Glossa. Hinc si integrum Altare de loco ad locum amoveatur, non amittit consecrationem, quia non datur partium dissolutio.

CAPUT III.

DE ALTARIS PORTATILIS CONSECRATIONE.

I. Joannes Baptista Thiers in Dissertatione (1) *De praecipuis Altaribus* Capite II scribit, Altaria portatilia ad initium saeculi octavi, et usque ad S. Vulframnum incognita fuisse. Cangius in *Glossario mediae et infimae Latinitatis Verbo Altare,* putat Altarium portatilium nullam fieri mentionem ante Bedam Lib. V *Historiarum* Cap. II, qui refert ejusmodi Altari usos fuisse duos Evvaldos, martyrio apud Saxones septimo desinente saeculo coronatos. At vero quis est Ecclesiasticae Historiae adeo ignarus, ut ad ipsa Ecclesiae nascentis incunabula illorum institutionem non existimet esse repetendam? Quid quod saevientibus persecutionibus Christiani divina mysteria celebrabant in solitudinibus, diversoriis, carceribus, catacumbis, *in singulis locis, et ubi poterant?* ut aiunt Dionysius Alexandrinus, *Epistola* ad Hieracem apud Eusebium *Histor. Ecclesiast.* Caput VII; et Victor Vitensis, *de persecutione Vandalica* Lib. I Cap. 5. Portatilibus quidem Altaribus, tunc temporis, et ad quemlibet locum

(1) Catalano, *Pontificale Romanum Commentariis illustratum pars secunda*, *Titulus V*. Gattico, *Dissertatio de usu Altaris Portatilis* Cap. I etc.

facile trasferendis uti necesse erat. Pacatis vero Ecclesiae temporibus, etsi hujusmodi portatilia Altaria, quae etiam *viatoria*, *gestatoria*, et *itineraria* dicta sunt, ex plurimis sacris Canonibus proscripta, ac penitus eliminata fuerint, semper tamen locus fuit Episcopali dispensationi, ubi in memoratis Altaribus celebrare necessitas aliqua cogebat. Exemplum illustre celebrandi venerabile Missae Sacrificium extra Ecclesiam et locum specialiter consecratum in casu gravis necessitatis refert S. Augustinus Lib. XXIII *de Civitate Dei*, Cap. VIII. Concilium Parisiense anno DCCCXXIX celebratum Can. XLVII in Presbyteros quidem invehitur, qui adduci se patiebantur ad conficiendum sacrum in *hortis*, *vel domibus*, *vel certe aediculis:* non tamen vetat, quin ii qui se itineri commisissent, longeque ab Ecclesiis abessent, celebrare possent in Ara minuscula quam Episcopus consecrasset. Portatiles hae Arae minusculae ab Episcopo consecratae in usu frequenti jam tum erant; duabusque ex causis ductum esse earum initium videtur. Primo, ne pietas fraudaretur mysteriorum participatione optatissima, dum longa itinera fideles suscipiebant. Secundo, ut celebrari possent mysteria vel in oratoriis domesticis vel in capellis, aediculisque quae minores sunt.

II. Ante Concilium Tridentinum Altari portatili utebantur Episcopi, Presbyteri et Regulares. Episcopos in itineribus secum quandoque detulisse aram viaticam celebrandi gratia, liquet potissimum exemplo S. Vulframni Episcopi Senonensis, qui *Altare consecratum*, *dum iter ageret*, *secum afferebat*, uti legitur apud Mabillonium Saec. III *Benedict.* part. I. Saeculo decimo tertio Bonifacius VIII Cap. *Quoniam de Privilegiis* Episcopis omnibus concessit, *ut Altare possint habere viaticum*, *et in eo celebrare ac facere celebrari.* Presbyteris quoque usus Arae viaticae ab Episcopis olim concessus fuit, quod fecit Hincmarus. Regularibus quibusdam privilegium Altaris portatilis concessit Honorius III Cap. 30 *Extra de Privilegiis.* Sed Tridentina Synodus Sess. 22 in Decreto *de observandis et evitandis in celebratione Missae*, Episcopis injunxit, *ne patiantur privatis in domibus*, *et omnino extra Ecclesiam et ad di-*

vinum tantum cultum dedicata Oratoria, *Sacrificium a saecularibus aut regularibus peragi:* quo quidem Decreto revocata fuisse privilegia Arae portatilis Regularibus et Presbyteris indulta, pronuntiavit Clemens XI anno 1703. Episcopis vero ademptum non fuisse viatici Altaris privilegium, declararunt Innocentius XIII et Benedictus XIV. Graeci Altaria portatilia non habent, sed eorum vice utuntur *Antimensiis*, cujus nominis ratio haec est, quod ea adhibeant loco Mensae sive Altaris. Extat horum consecratio in Euchologio Graecorum pag. 648. Quid sint, explicat Goar in notis ad dictum Euchologium ex Scriptoribus graecis. Sunt videlicet quidam panni Altarium ritu et vice consecrati, quibus a multis saeculis utitur Ecclesia Orientalis, cum Liturgiam celebrare contingit in Altari non consecrato. Plura congerit de *Antimensiis* Christianus Lupus 3 P. *Synodorum in Dissertat. de Actis Leonis IX* Cap. *13*.

III. Hoc Portatile Altare, quod passim vocatur *Petra Sacra*, debet esse consecrata ab Episcopo: si consecrata non fuerit, Missa celebrari non poterit, ut certum est ex variis Sacrorum Canonum sanctionibus. Consecrationem Altaris portatilis fieri potest quocumque die ac loco, mane tamen et a jejuno Episcopo. Quali habitu ornatus esse debeat Episcopus consecraturus Altare fixum, tali etiam debet uti, quoties erit Portatile Altare consecraturus. Ritus dicendi ter ab Episcopo, *Deus in adjutorium meum intende*, desumptus videtur ex Titulo de *Dedicatione Ecclesiae*, de *aquae*, *salis*, *cineris*, *ac vini benedictione in dedicatione Ecclesiae*, *et consecratione Altaris*. Notanda priora nunc verba sunt orationis in Pontificali descriptae, in qua Deus esse dicitur *visibilium omnium rerum*, *et invisibilium Conditor*. Desumpta sunt quidem ex Nicaeno et Constantinopolitano Symbolo, uti omnibus notum est. Ritus ungendi bis Altare, in medio scilicet et per quatuor ejus angulos, de *oleo sanctificato*, concinit quidem manuscriptum Pontificale Ecclesiae Cameracensis annorum circiter DC. Factam quoque bis unctionem in Ecclesia Arelatensi, constat in ejus manuscripto Pontificali annorum circiter D. Fit et in eisdem Pontificalibus mentio thurificationis prae-

fati Altaris portatilis non modo prima, sed et altera vice. Oratio quae incipit *Exaudi nos Deus etc.* alludit profecto ipsa ad factum Jacob in Cap. XXVIII Geneseos: *Igitur egressus Jacob de Bersabee pergebat Haran. Cumque venisset ad quemdam locum, et vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus, quae jacebant, et supponens capiti suo* etc. Ritus signandi cum Chrismate Sepulchrum, seu Confessionem in quo Reliquiae sunt reponendae, extat in pluribus antiquis Pontificalibus. Rubrica quae jubet canendam Antiphonam quae sequitur, *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni* etc. consonat cum manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi. Oratio *Lapidem hunc* etc. alludit profecto ad veterem Ecclesiae ritum, cum ipsorum nimirum fidelium oblationes, panis scilicet et vinum, ad Altare deferebantur. Laudatur in Praefatione Melchisedech, oratque Deum inter alia Episcopus, ut quicquid sacro ritu super Altari, quod ipse dedicat, immolabitur, sicut Melchisedech oblatum, sibi placeat holocaustum. Laudant sane passim Sancti Ecclesiae Patres Melchisedech, quod fuit typus et figura Christi in oblatione panis et vini. Aliae orationes et Antiphonae quae ab Episcopo dicuntur, nec non ritus thurificandi super tabulam in modum Crucis, extat in pluribus antiquis Pontificalibus.

CAPUT IV.

DE PATENAE ET CALICIS CONSECRATIONE.

I. Ritus consecrandi Calicem et Patenam (1) est dubio procul in Ecclesia antiquissimus, cum de ipso non modo pervetusti Libri Pontificales, sed et Sancti Ecclesiae Patres meminerint, inter quos Sanctus Doctor Ambrosius Lib. II *Officiorum* Capite XXVIII ubi ait, quod *in his tribus generibus*, idest in sublevandis egenis, redimendis captivis, et humandis fidelibus, *vasa Ecclesiae etiam initiata* (idest consecrata) *confringere, conflare, vendere licet.* In Sacramentario Gelasia-

(1) Catalano, *Pontificale Romanum Commentariis illustratum.* Tit. IX.

no leguntur quidem benedictiones, seu praefationes linteaminum, ad consecrandam Patenam, ad Calicem benedicendum. Benedictio Calicis, et Patenae, et Turris, idest vasculi Eucharistici, prostat in Sacramentario Gallicano, a Joanne Mabillonio edito. Extat in Libro Sacramentorum S. Gregorii Papae expressus ritus ad consecrandam Patenam; ex cujus tamen Libri Pontificalis praescripto absolute dicit Episcopus hanc orationem: *Consecramus et sanctificamus hanc Patenam ad conficiendum in ea Corpus Domini nostri Jesu Christi patientis Crucem pro salute nostrum omnium.* Insuper in Ordine Romano consecrationem Calicis, et Patenae cum unctione Chrismatis, certisque precibus descriptam videmus; legimusque in Jure Canonico Decretum *Nullus de Consecratione Dist. I*, quod Hormisdae Pontifici adscribitur. Praeterea refert Sozomenus cum Imperator Constantinus regali munificentia Templum Hierosolymis condidisset: *Episcopi Hierosolymam delati Ecclesiam consecrarunt, simulque ornamenta, et donaria ab Imperatore transmissa.* De vetustate hujusmodi consecrationum erudite disserit Dominicus Georgius Tom. I *De Liturgia Romani Pontificis Lib. II Cap. 14.* Maxime autem decet, ut vasa vestesque ad Sacrificium necessariae, consecratione ac benedictione prius in usum sacrum convertantur., uti docet S. Thomas Part. 3 quaest. 33 art. 3. *Consecrationes adhibentur his rebus quae veniunt in usum hujus Sacramenti, tum propter Sacramenti reverentiam, tum ad repraesentandum effectum Sacramenti, qui ex Passione Christi provenit.* Utriusque tam Patenae, quam Calicis consecrandi ritum unctione Chrismatis certisque precibus adhibitis, a Veteri Testamento ad Novum profluxisse, rectissime quidam scriptores censent.

II. Spectat de jure ad Episcopos consecrare Patenas et Calices quorum altero Christi Domini Sanguis continetur, altero Corpus contrectatur. Nam testimonia ex jure prolata id satis clare comprobant, ac fusius auctoritate Anacleti, Engel, Schmalzgrueber, Pasqualigo, Cardinalis de Lugo confirmatur. Etsi autem Episcopi nequeant id facultatis simplici Sacerdoti elargiri, ut possit Patenam et Calicem consecrare, haud tamen

dubium est, posse Romanum Pontificem eam facultatem ipsi Sacerdoti concedere, ex communi Doctorum calculo et variis exemplis, quae ea de re in Regularium privilegiis non semel occurrunt. Ex privilegio insuper Summi Pontificis competit etiam Abbatibus et Praelatis qui usum habent Pontificalium. At facultas istis concessa non est extendenda ad Calices et Patenas pro usu et servitio alienae Ecclesiae, sed tantum Ecclesiae propriae, ut sub die 27 Septembris 1659 Alexander VII constituit, statuens ne de licentia quidem Ordinariorum eos exercere posse facultatem sibi a Sancta Sede concessam hujusmodi consecrationem faciendi pro vasis alienarum Ecclesiarum. Oratio *Fratres charissimi* etc. quae adhibetur ab Episcopis in consecratione Patenae, in Durandi Pontificali et in aliis nonnullis, praesertim vero in antiquo Ordine Romano, *Praefatio Patenae consecrandae*, *vel ad consecrandam Patenam* dicitur. Altera oratio alludit ad Caput II Libri Numerorum, in quo oblationes recensentur principum duodecim Tribuum in dedicationem Tabernaculi et Altaris. Vetus Ordo Romanus, Pontificalis Codex Gulielmi Durandi, et alii nonnulli Chrismatis unctiónem praescribunt; Ratoldi autem Codex in consecratione Patenae Oleum et Chrisma adhibendum mandat. In omnibus antiquis Pontificalibus reperitur Oratio *Oremus fratres charissimi* pro consecratione Calicis, quae quidem in Ordine antiquo Romano, et in quibusdam aliis *Praefatio* dicitur. In Libro Sacramentorum S. Gregorii Papae et in aliis, post ipsam Praefationem *Oremus dilectissimi fratres*, statim altera nostri hodierni Romani Pontificalis Oratio sequitur, *Dignare Domine Calicem istum*. De unctione in benedictione Calicis adhibenda celebre extat testimonium in Capite *Cum venisset, De sacra Unctione*, in cujus fine ita legimus: *Ungitur praeterea secundum Ecclesiasticum morem, cum consecratur Altare, cum dedicatur Templum, cum benedicitur Calix.*

III. Calix et Patena duobus potissimum modis consecrationem amittunt, scilicet per fractionem, et per novam inaurationem. Per fractionem amittunt consecrationem, quando Patena est ita notabiliter fracta, ut

hostiam commode capere non possit, et Calix etiam ita nobiliter fractus, ut in eo commode Sanguis Christi consecrari non possit. Non amittitur autem consecratio Calicis et Patenae per aliquot ictus a fabro inflictos, cum per eos nec notabiliter frangatur, nec mutatur interne superficies illa, qua continetur et immediate tangitur Sanguis et Corpus Christi. Auctor Libri Pontificalis in S. Sixto Romano Pontifice, qui anno Domini CXVI Romanam Ecclesiam regendam suscepit, asserit dictum Pontificem constituisse, ut sacra Vasa ab aliis quam a Sacris Ministris non tangerentur, quod idem decrevit postea Concilium Laodicenum a Gavanto allegatum, et anno circiter 363 celebratum; in quo canone 21 sancitum est Subdiaconum non debere contingere vasa sacrata; cui consonat Canon LXVI Concilii Agathensis. Qui tamen, et similes canones de iis vasis intelliguntur, quae actu sacram Eucharistiam continent, uti passim docent Doctores. Tangere enim vasa sacra, quando non continent actu Corpus et Sanguinem, est restrictum Subdiaconis privative quoad alios Ministros non consecratos; *Cap. Non oportet, et Cap. Non liceat 31 dist. 23.* Facultas tangendi vasa sacra vacua concessa videtur etiam Acolytis in ipso Missae ministerio Cap. *Non licet 32 dist. 23* et Cap. *Nullus dist. 24*, quae tamen non est ex vi Ordinationis, sed solum ex quadam permissione. Feminis etiam Deo sacratis nefas esse Calicem et cetera sacra vasa contingere, constantissimum est. Calicem et Patenam non consecratam remanere consecratam, si in eo bona fide celebretur, a nonnullis Doctoribus defenditur. Docent tamen ex adverso alii cum Merato ea iterum esse consecranda; quia scilicet, quae pendent ex institutione Ecclesiae, non possunt suppleri alio ritu diverso ab illo, quem Ecclesia designat atque determinat. Cum autem consecratio, qua vasa Altaris redduntur apta ad Sacrificium, instituta fuerit ab Ecclesia sub certis et determinatis ritibus et verbis per determinatas personas adhibendis, hinc fit, ut non adhibito tali ritu et forma verborum per idoneam personam, nunquam evadant vasa consecrata; et quamvis Sacramentum Eucharistiae sit longe dignius, quam sit unctio Chrismatis,

vel benedictio Episcopalis, nihilominus non habet alios effectus, quam quos ipse Christus illi attribuit suo fini proportionatos; quapropter non habet effectus aliorum Sacramentorum, nec Sacramentalium, quae ex libera Ecclesiae institutione dependent. Praeterea Templa ipsa non quidem consecrantur per Missas in eis celebratas, sed per solam formam et ritus ab Ecclesia institutos, ad consecrationem Templis ipsis impertiendam.

IV. Post panis seu Hostiae oblationem Patena statim Corporali supponitur, ea enim nihil opus est usque ad Communionem; hinc est, ut in Missis privatis Sacerdos eam Corporali subjiciat, et in Missis cantatis tradatur Subdiacono, qui eam velo involutam teneat. Manu autem dextera eam sustinere debet ad denotandam spem certam futurae gloriae et verae laetitiae. Ob hanc rationem caeremonia substentationis Patenae in Defunctorum Missa omittitur, quia in hac Missa omnis laetitia excludi debet. Ita in Libro III Cap. 27 de *Officiis Ecclesiasticis* sentit Amalarius. Nonnulli putant Calicem repraesentare novum Sepulchrum, quo Christus Dominus conditus est; Patenam vero significare revolutum lapidem ad ostium monumenti. Ita Rabanus Lib. I de *Institutione Clericorum* Cap. 33, et Ildebertus Turonensis in carminibus de Missae Sacrificio. Neque licitum unquam fuit extra Scevophylacium, seu Diaconicon, quod Latini Secretarium dicebant, illa asportare, aut in domibus privatis conservare. In Concilio Chalcedonensi inter crimina, quae Ibae Episcopo Edesseno objecta fuerunt, secundum hoc fuit, quod Calicem gemmatum magni pretii inter vasa sancta Ecclesiae sub custodis cura non reposuerit, et nescirent quid de eo factum esset. Idem mos semper et ubique in Ecclesia invaluit, ut vasa ministerii neque in privata domo, neque a profanis hominibus, sed in aede sacra a ministris Ecclesiasticis solicite et caute servarentur. His custodiendis sacrorum vasorum custos, quem Graeci Scevophylacem et Cemeliarchen vocant, olim deputabatur, cujus inter officia, et dignitates Ecclesiae Constantinopolitanae meminit Codinus Capite primo.

CAPUT V.

DE BENEDICTIONE ET CONSECRATIONE VIRGINUM

I. Virginum Dei, sive in (1) domo paterna, sive in communi domicilio habitarent, sive monasticam professionem amplecterentur, duplex fuit consecratio. Una per habitus immutationem virginitatisque propositum Deo sponte promissum, altera per pontificalem manus et veli impositionem solemnemque Episcoporum benedictionem. Utriusque consecrationis meminit Innocentius Papa I in *Epistola ad Victricium* Rothomagensem Episcopum. Ad primam annos aetatis sexdecim aut septemdecim requirit S. Basilius in *Epistola ad Amphilochium Cap. 18.* Neque tamen haec aetas semper expectabatur. Nam Beata Asella, teste Hieronymo in *Epistola ad Marcellam*, *post duodecimum aetatis* inquit, *annum virginitatis propositum* amplexa est, tuncque unius cellulae clausa angustiis latitudine paradisi fruebatur. At vero secunda consecratio non nisi vigesimo quinto aetatis anno peragebatur. Audi Concilium Carthaginense III Can. IV *Placuit ut ante viginti quinque annos aetatis Diaconi non ordinentur, nec Virgines consecrentur.* Hoc decretum quod citat Egbertus Eboracensis Archiepiscopus in *Excerptis Cap. 91* renovavit Concilium Francofordiense anni 794 Cap. 48 et Turonense II Can. 28. Plerique nihilominus Canones vetant, ne consecratio praedicta Virginum quadragesimum annum praecedat.

II. Quod ergo spectat originem consecrandi Virgines, sunt qui eam repetunt a temporibus Apostolorum. Munus itaque Episcoporum, non vero Presbyterorum, et multo minus Abbatissarum esse, ut solemniter Virgines consecrarent, praeter Canones, multa nobis Sancti Patres, ac alii Scriptores Ecclesiastici suppeditant, quibus ea de re plenissime edoceri quis potest. Sanctus Ambrosius in Libro primo quem de Virginibus scripsit, ingenue fatetur, de variis partibus Virgines suo

(1) Martene, *De antiquis Ecclesiae ritibus.* Liber II Cap. VI.

tempore Mediolanum confluere consuevisse, ut ab ipso solemniter velarentur: *De Placentino inquit, sacrandas Virgines veniunt, de Bononiensi veniunt, de Mauritania veniunt, ut hic velentur.*

Atque hac in re praesertim Virginum consecratio a viduarum benedictione differebat, quod ista a Presbyteris, illa a solis Episcopis perageretur. Prima consecratio quolibet suscipiebatur die; at vero secunda, excepta uno mortis periculo, non nisi solemnioribus festis. Tres dumtaxat designat Gelasius Papa *Epistola 9 ad Episcopos Lucaniae* sic scribens: *Devotis quoque Deo Virginibus, nisi in Epiphaniarum die, aut in Albis Paschalibus, aut in Apostolorum natalitiis sacrum maxime velamen imponant Episcopi.* Progressu temporis, praescriptis temporibus adjectos fuisse dies Dominicos, et alicubi ceteras Christi Domini Festivitates, Beatissimae Mariae Virginis, ac praecipuas Sanctorum Martyrum solemnitates, constat ex pluribus Pontificalibus.

III. Quod spectat ad ritus in ipsa Virginum consecratione observari solitos, praeparatis omnibus ad futuram consecrationem necessariis, in primis benedicebantur vestes, quibus erant induendae: hoc est quae Virginibus essent propriae. Nam sacratae Deo Virgines non minus veste quam proposito a reliquis feminis et puellis erant discretae. Insuper est vetus Ecclesiae institutum, ut Virgines cum ardentibus cereis Episcopo se praesentarent. Litaniam in consecratione Virginum a Cantorum Schola dicendam, praescribit quidem vetus Ordo Romanus, sic inquiens: *Imponat schola Litaniam.* Idipsum mandant in sequentibus saeculis manuscripti Libri Pontificales. Incepta solemniter Missa, post orationem, aut secundum quosdam post Epistolam, vel juxta alios post Evangelium, de loco ubi benedictas vestes induerant, accersebantur per Archipresbyterum Virgines consecrandae, ad quas Episcopus exhortatorium sermonem habebat. Postea antequam sacram perageret consecrationem, consensum parentum Episcopus postulabat, atque ab ipsa Virgine obedientiam sibi suisque successoribus exhibendam. Hunc ritum videre est in consecratione Sophiae Ottonis Secundi Imperatoris filiae facta ab Osdago Episcopo Hildesheimensi

quam describit Tangmarus Presbyter in vita S. Bernardi Hildesheimensis Episcopi. In consecratione Virginum Episcopus cum manuum impositione unam aut plures orationes pronunciabat. Expleta oratione, Episcopus velum capiti Virginis imponebat. Tuncque universus circumstans populus acclamabat *Amen*.

IV. Alienum profecto a nostro instituto non erit mysticas quasdam interpretationes circa velum subnectere. Primo itaque per veli impositionem designatur mundi contemptus, ut ex ipsa impositionis veli oratione constat. Secundo denotat velum subjectionem, quam sacra Virgo erga Sponsum suum Jesum Christum habere debet. Tertio designatur et ipso velamine, quod casto amore Jesu Christo tamquam Sponso velint adhaerere, et nihil aliud in consortium amoris admittere. Porro addi et iis potest interpretationibus, sacro velamine donari Virgines, ut per illud Spiritus Sanctus superveniat in eas contra aestum malarum tentationum, uti habetur in formula traditionis veli juxta Pontificalem Mss. Codicem Ecclesiae Barensis.

V. Quod vero ad Ecclesiae Catholicae consuetudinem spectat, qua Virgines Deo consecrandae tondentur; diversa fuerunt hac in re antiquitus diversarum Ecclesiarum instituta. In Aegypto, et in Syria id usu fuisse receptum, S. Hieronymus perspicue testatur *Epistola XLVIII ad Sabinianum* scribens. Tabennesiotas Virgines, quas S. Pachomius ab Angelo monitus instituit, crines amputare solitas fuisse, auctor est Palladius *Historia Lausiaca Cap. XXXIX*. Insuper Sozomenus Lib. V. Cap. 10 enarrans contumelias, quibus Virgines Christianae Heliopoli ab Gentilibus adfectae sunt, eas etiam tonsas fuisse scribit. Etsi autem non tam antiqua sit annuli traditio in consecratione Virginum usitata, recte nihilominus institutum ab Ecclesia fuit, ut Virginibus quae spirituale cum Jesu Christo conjugium inirent, ab Episcopo annulus inter alia ornamenta traderetur. Quemadmodum in Sacramento Matrimonii consueverunt olim per Sacerdotum manus coronae imponi conjugibus, uti late probat Martenius Lib. I *De antiquis Ecclesiae ritibus*, Cap. IX art. III num. X hodieque Graeci ipsi observant, ut testantur

viri clarissimi, Leo Allatius, et Jacobus Goarius; ita etiam sacrae Virgini, cum solemniter Christo despondebatur, corona antiquitus fuit imposita. Meminit quippe ejus ritus vetus Ordo Romanus, et varii Libri Pontificales.

VI. Variae sunt in variis manuscriptis Pontificalibus benedictionum formulae, quae Virginibus consecratis dari solitae erant. Tradunt passim Libri antiqui Pontificales, ut velato capite, dicto offertorio, ad manus Episcopi Virgines offerant non quidem cereos accensos, sed forte, uti moris erat, panem et vinum. Peracta hoc modo Virginum consecratione, Episcopus Missam prosequebatur, in qua consecratae communicabant. Omnibus communicatis, ipsae Virgines ante Altare simul cantabant Antiphonam: *Mel et lac ex ejus ore suscepi, et sanguis ejus ornavit genas meas.* Est profecto desumpta haec Antiphona, sicut et aliae complures, ex officio S. Agnetis, quae ad sui Baptismi ritum alludens, ea verba protulit. Etenim mos olim fuit, ut praeter sacram Corporis et Sanguinis Christi communionem, lac et mel recens baptizatis traderetur, uti perspicue ostendit Martenius. Recte ea verba, *lac et mel ex ore ejus suscepi* ab ipsis recitabantur, ut ostenderent ipsas, quae Sacrae Eucharistiae participes factae sunt, et saeculi pompis per suam consecrationem ac desponsationem cum aeterni Patris Filio, renunciarunt, terram promissionis accepisse, lacte et melle fluentem, ut ex sacris Litteris Sancti Ecclesiae Patres passim docent.

LIBER TERTIUS

DE BENEDICTIONIBUS.

CAPUT I.

DE BENEDICTIONIBUS GENERATIM, ET DE BENEDICTIONE AQUAE BENEDICTAE, NOVAE DOMUS, NAVIS, FRUCTUUM, THALAMI, OLEI, PANIS, NOVORUM FRUCTUUM, AGNI PASCHALIS, OVORUM, ET DE BENEDICTIONE PEREGRINORUM POST REDITUM.

I. Benedictio, seu benedicere, (1) quamvis multipliciter accipi possit, tria nihilominus potissimum significat, uti post alios docet Paulus Maria Quarti in *Tractatu de Benedictionibus*, *Titulo I. Sectione I.* Primo enim significat bene loqui de alio, seu aliquem laudare et commendare, ut in Psalmo XXXIII *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Secundo significat bona et prospera alicui precari, et fausta ominari, ut in Psalmo III *Super populum tuum benedictio tua.* Tertio, benedicere significat consecrare et sanctificare, seu conferre aliquod esse sacrum rei, quae benedicitur. Atque haec Benedictio est illa, de qua nunc agimus, estque caeremonia Ecclesiastica, qua per invocationem Divini Nominis, aliquid boni confertur, vel postulatur; quando quis scilicet ratione muneris sacri quo fungitur, petit a Deo,

(1) Quarti, *De Benedictionibus* Cap. I et seqq.; Catalano, *ad Rituale Romanum* Titulus VIII Cap. I et seqq.; Baruffaldus, *ad Rituale Romanum Commentaria* Tit. XLIV et seqq.; Gretserus, *De Benedictionibus* Cap. I et seqq.

ut personis, seu rebus aliquibus bona convenientia tribuat; et haec est quae Benedictio Ecclesiastica appellatur; quippe quae nomine Ecclesiae et ex auctoritate ei a Deo concessa fiat. Tota vis igitur Benedictionum Ecclesiasticarum, ut bene advertit Eveillon, est in oratione et invocatione Ecclesiae, quae fit per ejus Ministros, ut de omni genere ciborum, qui a Christianis ante esum benedicuntur, dicit Apostolus in Epistola prima ad Timotheum, Capite quarto: *Sanctificatur enim per Verbum Dei et orationem.* Ideoque sicuti e Libro Numerorum Deus certam formam populo benedicendi Aaroni et Sacerdotibus Veteris Legis praescripsit, ita Ecclesia Divino Spiritu edocta, omnium rerum benedicendarum formulas conceptis verbis definivit in Libris Ritualibus et Missalibus.

II. Aquae benedictae originem ab Apostolorum temporibus repetunt Gretserus, in *Tractatu de Benedictionibus* Lib. II Cap. IV; Marsilius Columna, in *sua Hydragiologia;* Durandus, et alii non pauci. Quicquid autem obganniant heterodoxi, hanc aquae benedictionem ex pervetusto ritu, ingenti Fidelium utilitate, universa frequentat Ecclesia Romana singulis quidem diebus Dominicis, excepto Paschae et Pentecostes Festo, eo quod pridie harum solemnitatum, uti notavit Gretserus in citato opere Lib. II Cap. IV benedicatur Fons Baptismatis, ex cujus aqua fidelibus pars aliqua etiam domum adsportanda dabatur, ut ait Durandus in suo *Rationali Lib. IV* Cap. IV, prius tamen quam Chrisma infunderetur. Sed hoc obiter dicto, notandum denique est illud, eamdem scilicet benedictionem aquae ex antiquo pariter instituto in usu esse apud Graecos, Armenos, Antiochenos, Syros, Aethiopes, ut palam fit ex Benedictionum formulis, quas ad calcem suae *Hydragiologiae* profert Marsilius Columna. Quamobrem merito ridendus est Hospinianus Calvinista, qui temere asserere non erubuit, Aquam lustralem in Romana Ecclesia inventam, ab aliis Ecclesiis non fuisse usurpatam.

III. Benedictioni Salis et Aquae, de qua in praesenti agimus, Sacerdos ex veteri ritu Exorcismum praemittit. De Exorcismorum antiquitate in Ecclesia ejusque usu in variis Benedictionibus Ecclesiasticis loquuntur

passim prisci Patres ac Synodi Ritualesque Codices, quorum loca hic recensere longum esset. Scio equidem vehementer offendi haereticos verbo isto *Exorcizo* in Benedictionibus Salis et Aquae posito; absurdum enim videri ajunt, si creatura rationis expers exorcizetur, seu adjuretur, cum Exorcismum seu adjurationem nec sentiat nec intelligat. Verum docent Theologi, et inter alios praesertim Suarez Tom. II *De Religione*, *Lib. IV De Adjuratione,* Capite II num. 14, adjurationem per imperium etiam directe circa creaturas irrationales versari posse quoad efficaciam et effectum; non quod morale illud imperium percipiant, aut ad ejus intelligentiam sese moveant, vel a motu desistant; sed quia efficacia et effectus imperii ita illis a Deo imprimitur, quasi imperium ipsum intellexissent. Sic Matthaei Capite octavo imperavit Salvator ventis et mari, et sequuta est obedientia non moralis, sed quasi physica. Ita enim venti et mare Christo morem gesserunt, quasi auribus verba imperantis audivissent. Ad cujus imitationem ventis, et tempestatibus, et animalibus perniciosis, serpentibus, locustis, aliisque id genus imperarunt non raro viri Sancti ad eaque imperium pervenit, non quoad intelligentiam, sed quoad vim et efficacitatem. Insuper Salis ipse Exorcismus, sicut et Oratio, *Immensam Clementiam tuam* etc. legitur quidem in recentioribus Ritualibus passim et in antiquis Sacramentorum Libris, quos recenset Martene et alii rerum Ritualium Scriptores. Salis et aquae immixtionis, peracta benedictione, jam ante Durandum mentionem fecit Rabanus Libro *Institutionis Clericorum*, Cap. IV idque fieri ait ex divina institutione. *Quod autem sal sanctificatum aquae immiscetur, ex divina auctoritate processit, quia illud per Helisaeum in fontem mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquarum Jericho :* Addit mox: *Nam aqua a sordibus mundat, sal putredinem fugat; aqua nitorem praebet, sal sinceritatem adhibet.* Restat ut quaedam notemus de aquae benedictae virtute et affectibus. Aqua benedicta fugatos daemones, morbos depulsos, ac etiam mortuos excitatos, pluribus ex Ecclesiastica Historia et vitis Sanctorum allatis exemplis ostendit inter alios eruditus

Gretserus Libro II *de Benedictionibus Cap. XI* et *XII*. Teste Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiae, S. Eugenius Diaconus puerum mortuum revocavit ad vitam aspersione aquae, quam S. Zenobius Episcopus benedixerat. Varias quaestiones de ipsa aqua benedicta ejusque effectibus legere est apud Theologos et apud Scriptores, qui de ipsa peculiares Tractatus ediderunt.

IV. Benedictio novae domus suam videtur trahere originem a Veteri Testamento, ubi Deus religioso cultu voluit novas populi sui domos esse consecratas, uti constat ex Capite X Deuteronomii, ubi scriptum legitur: *Quis est homo, qui aedificat domum novam, et non dedicavit eam?* Utraque Ecclesia Latina et Graeca domos novas benedicit, et sicut in Latinis, ita et in Graecis Ritualibus extat Benedictio domus novae; quinimo in Euchologio, seu Rituali Graecorum a Jacobo Goar notis illustrato pag. 483 et seqq. editionis Venetae, legitur etiam Oratio *in fundamento domus ponendo*. Sane jam olim, ut doctus Andreas Saussay Parte II *Panopliae Sacerdotalis*, Lib. II. Art. XX observat, apud Christifideles illa obtinuit pia consuetudo, ut domorum postes, ostia, limina, parietes et fastigia triumphali Crucis titulo, signaculoque salutari communirentur. Beatus Nilus scribens ad Olympiadorum Proconsulem optare se ait, ut non tantum in singulis domibus, sed quarumcumque domorum habitaculis singulis statuatur imago Crucis, ut memoria Crucifixi semper recens in fidelium animis vigeat, et ut salutari hoc pignore habitatores, et ipsa loca a Jesu Christo protegantur. Morem vero fuisse antiquum in domorum liminibus super postes Crucem Domini affigere cum hac Epigraphe: *Christus nobiscum: state;* idest, *Transite Angeli percussores, viso Agni immolati salutifero signaculo*, eaque figura et inscriptione fugatas fuisse pestilentias, compressos terraemotus, fulgura dissipata, et adversa quaeque repulsa, praeclaris exemplis testantur antiqui Scriptores, quos idem Saussay citato loco recenset. In Libro Sacramentorum excerpto a Grimoaldo Abbate ex Sanctorum Patrum Opusculis, ut inscriptio praefert, extat Benedictio domus quae duabus orationibus continetur. Ut autem Ritualia anti-

qua omittam, sequitur et in Romani Sacerdotalis Parte II post benedictionem loci, Benedictio domus novae, variis sane precibus, orationibus, caeremoniisque referta.

V. Fuisse antiquum non modo Latinae, sed et Orientalis Ecclesiae usum, ut navis peculiari oratione benediceretur, docet nos Euchologium Graecorum, in quo legitur *Oratio in navi compingenda.* Ad latinum ritum quod spectat, quamquam in Romano Rituali et ipsa novae navis Benedictio, sicuti et plures aliae unica oratione contineatur, in *Sacerdotali* tamen edito ab Alberto Castellano, Ordinis Praedicatorum variis caeremoniis, Psalmis, Precibus, Orationibus, atque Evangeliis referta est. Virtute hujusce Benedictionis navigantes gratias consequuntur, quas Ecclesia in Oratione postulat. Quarum prima est divina protectio navigantium, quibus Deus porrigit dexteram, sicut porrexit Petro super mare ambulanti. Secunda est custodia Angelorum, ut in iis orationis verbis: *Mitte Sanctum Angelum tuum de caelis* etc. Tertia est navigantium salus et incolumitas, usque dum perveniant ad optatum portum cum omni gaudio, perfectis negotiis omnibus. Crucem consuevisse in navibus collocari testatur in Oratione: *Quod Christus sit Deus*, S. Joannes Chrysostomus, *Crucem,* inquit, *ubique videre licet in mari, in navigiis, in insulis.* Meminit et ejus ritus S. Ambrosius in Psalmum XLVII. Praeter Crucem poni olim in navigiis solitam, locatas in eisdem fuisse Sanctorum imagines testatur inter alios Nicephorus Callistus.

VI. Usus benedicendi fruges seu segetes adhuc virentes, itemque agros et vineas dicendus est antiquissimus. Benedictionem novarum frugum fieri antiquitus solitam fuisse in solemni Missa Ascensionis, testatur Martene in Libro: *de antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis Officiis,* Capite XXVIII pag. 538. Haec benedictio fiebat hac praescripta Oratione: *Benedic Domine, et hos fructus novos, quos tu Domine de rore Caeli, et inundatione pluviarum ad maturitatem perducere dignatus es, ad percipiendum nobis cum gratiarum perceptione. In nomine Domini nostri Jesu Christi. Per quem haec omnia Domine semper bona creas* etc. In-

super hac benedictione monemur, uti inter alios observat Quarti in *Tractatu de Benedictionibus* Titulo III Sectione VIII Praeludio II Primo, spem omnem fertilitatis, et abundantiae ponendam esse in Deo, nam, ut ait Apostolus in Epistola I ad Corinthios, Capite III *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat, Deus;* et in hunc finem pia mater Ecclesia hanc Benedictionem instituit, ut pro incrementis frugum, et productionibus fructuum ad maturitatem ad Deum recurramus. Secundo, monemur, benedictionem esse causam fertilitatis. Tertio, hac benedictione protestamur, nos omnem solicitudinem rerum temporalium projicere in Deum, scientes, quoniam ipsi est cura de nobis, juxta monitum S. Petri in Epistola I Cap. I.

VII. Recte admonent sacri Scriptores usum laudabilem, qui apud pios fideles communis est, non sumendi cibum sine benedictione, a Jesu Christo trahere originem et ab Apostolis. Primo enim de Christo Domino saepe legimus in Evangeliis, eum benedixisse alimenta, quae vel ipse sumpsit vel aliis distribuit. Sic Marci Capite VI: *Acceptis panibus, intuens in coelum benedixit.* Quamvis benedicendi sint semper cibi, ac etiam potus, saltem signaculo Crucis, ut est mos piorum complurium fidelium, potissimum vero solemni per Sacerdotem benedictione in Pascha, juxta antiquum ritum, cujus mentionem facit Durandus Lib. VI *Rationalis* Cap. LXXXVI num. 8. *De sancto die Paschae,* num. 7 ubi haec habet: *In hac sancta die nihil, quod a Sacerdote non sit benedictum, comedere debemus, quia inimicus noster nunc magis satagit supplantare.* Pervetusta est apud Christianos, habeturque in antiquissimo Ordine Romano, *Benedictio Agni in Pascha.* Benedicitur et manducatur agnus in Pascha, uti eruditi observant, ad recolendum beneficium Sacramenti Altaris, a Jesu Christo instituti, et per agnum legalem praefigurati; quod ipse Christus declaravit, dum instituit hoc Sacramentum immediate post coenam agni legalis et typici dans finem figuris et principium veritati. Insuper quum agnus sit typus innocentiae et symbolum praedestinatorum, uti habetur Matthaei Ca-

pite XXV. *Statuet agnos a dextris*, merito Ecclesia agnum benedicit in Pascha, ut fideles de illo manducent eodem die; quando scilicet, impleto praecepto Confessionis et Communionis, innocentiam sunt adepti; atque ut praedestinati adspirent ad aeternam gloriam in Pascha, quando Jesus Christus Dominus aeternitatis nobis aditum devicta morte reseravit. Antiquum Ecclesiae morem benedicendi agnum in Paschate, ut ex eo fideles vescantur, commendat vetus Missa ex Ms. Ratoldi Abbatis Corbejensis Codice, ab Hugone Menardo edita in suis notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii Papae. Extat in antiquo Romano Ordine apud Hittorpium ritus ad benedicendum agnum in Paschate. Quamquam vero ex nostri Ritualis Romani praescripto benedictio agni et carnium in Paschate unica dumtaxat Oratione contineatur, duas tamen exhibet, et quidem antiquas Sacerdotale editum anno Christi MDLXVII.

VIII. Vetus est Benedictio Thalami, et occurrit passim cum variis precibus, orationibus ac caeremoniis in antiquis Ritualibus Libris. Tempus ad hanc Benedictionem destinatum esse solet illud ipsum, quo celebrantur Nuptiae. Thalami Benedictionem, quae ex praescripto nostri Romani Ritualis unica tantum et brevi continetur oratione, unicaque aquae benedictae aspersione, consuevisse olim a Majoribus nostris celebrari non modo cum variis aspersionibus aquae lustralis, sed etiam Psalmorum, precum, orationum recitationibus, panis et vini benedictionibus, et aliis caeremoniis.

IX. Quum multiplex sit ciborum genus, longumque esset ad singulos peculiarem Benedictionem applicare, recte admodum praescripta est in Rituali Romano *Benedictio ad quodcumque comestibile*. Scriptura saepe inculcat, et prisci fideles in usu habuere, ut ante et post cibum gratiae Deo agantur, juxta illud Apostoli in Epistola I ad Corinthios, Cap. X. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Ex hac Apostoli doctrina prodiit Christianus ritus omnia benedicendi quaecumque ad cibum, et potum, hoc est alimentum humani generis assumi possunt. Panis Benedictio originem trahit a Christo Domino, quem non uno in loco Evangelium tradit panem

benedixisse, atque distribuisse. Sic Marci Capite VI ubi refertur miraculum multiplicationis quinque panum, et duorum piscium, quibus quinque millia virorum satiavit: *Et acceptis*, inquit, *quinque panibus, et duobus piscibus, intuens in coelum benedixit* etc. Post resurrectionem, dum recumberet cum duobus discipulis, quibus apparuit, *accepit panem*, apud S. Lucam Capite XXIV, *et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis.* Hinc non mirum, si Apostoli et Patres hunc deinde ritum a Christo institutum benedicendi panem servarint. Innumera fere miracula pane a Sanctis praesertim viris benedicto edita, testantur passim vitae Sanctorum apud Bollandistas. Benedicitur panis primo, ut cognoscamus hanc veritatem, videlicet, tam panem, quam alios cibos dari nobis a Deo, unde in Oratione Dominica a Deo petimus panem quotidianum. In distributione panis benedicti monentur fideles exercitii charitatis et misericordiae erga pauperes, ut qui panibus et divitiis abundant, dent ex eis largiter pauperibus, ut et ipsi a Deo benedictionibus repleantur. Insuper panis virtute benedictionis vim habet sanandi infirmos et depellendi morbos, ut innumeris pene exemplis comprobari potest, quae in vitis Sanctorum occurrunt, quorumque non pauca recenset Gretserus in Tractatu: *De Benedictionibus*. Scribit enim S. Hieronymus in vita S. Hilarionis haec verba: *Concurrebant Episcopi, et Presbyteri; greges etiam Monachorum, aliique nobiles et ignobiles, ut benedictum ab eo panem acciperent, quo innumeri sanabantur*. Hodie benedicuntur panes S. Nicolai de Tolentino, qui fidelibus infirmis distribuuntur, in memoriam jejunii diuturni ejusdem Sancti. In Sacerdotali Romano duplex extat panis benedictio in Festo S. Blasii contra malum gutturis peragenda. In ipso etiam Romano Sacerdotali extat Caput inscriptum de Benedictione Panis in Festo Sanctae Agathae contra ignis periculum. Fieri panis benedictionem in variis Festis, ac praesertim die Dominico, variae particulares Synodi mandant, praesertim vero Synodus Oriolana anni MDC Sessione II Capite XXV quae legitur Tomo IV Conciliorum Hispaniae, editionis Josephi Catalano.

X. Quum in Veteri Lege ex Dei praecepto, Exodi Cap. XXIII vers. 19, primitiae frugum terrae in domum Dei deferri deberent tum in gratiarum actionem, tum ut in consecratis Deo primitiis omnes reliqui fructus Deo oblati et benedicti manerent, satis conveniens visum fuit et hunc morem ad Christianos transferre tamquam valde pium. Morem primaevum fructus novos benedicendi, Baronius quidem an. CCLXXXIII num. 15 et alii non pauci Auctores Euthychiano Papae adscribunt. Verum, ut docet Goar ad Euchologium in notis ad Orationem pro offerentibus primitias fructuum, ipse Paulus Apostolus hujus instituti auctor est habendus, qui *nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*, scripsit in Epistola I ad Timotheum, Cap. IV. *Sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem*; idest, ut Chrysostomus ait, purificatur per signi Crucis virtutem et Ecclesiae invocationem. Antiquissimam benedictionis primitiarum, seu fructuum novorum formulam tradit Auctor Constitutionum Apostolicarum, Lib. VIII Capite XLVI. Extat et in Sacramentario S. Gregorii Papae vetus Oratio ad benedicendum fructum novum. Celebris est illa uvae novae Benedictio, quae fiebat die VI Augusti, et quidem in utraque Ecclesia Orientali et Occidentali. Habet et Ecclesia Latina Benedictionem uvae, die ipsa sexta Augusti in variis Missalibus, ac Ritualibus antiquis Libris, atque Missalibus, imo et in Sacerdotali. Sed non omittendum a nobis hic illud est, orationem, quam exhibet in praesenti Capite Rituale Romanum pro novorum fructuum benedictione, applicari posse ad fructus novos quoscumque. Causa finalis hujus benedictionis est recognitio fructuum a Divina largitate, et incolumitas fidelium, ut fructus scilicet benedicti prosint tum corpori, tum animae sumentium ex illis: Benedicuntur novi fructus et Deo consecrantur, ut hoc ritu profiteamur Deum esse omnium fructuum largitorem, et debitas illi gratias reddamus.

XI. Ritum benedicendi oleum ad curandos infirmos, manasse a Christo Domino, cujus mandato Apostoli ungentes oleo infirmos, plurimos a variis morbis liberarunt, docet nos Evangelium Marci, Cap. VI vers. 13

ubi de ipsis Apostolis dicitur, quod ungebant oleo *multos aegros, et sanabant.* Non loquimur in praesentiarum de Oleo, quod est materia Sacramentorum Confirmationis et Extremae Unctionis, et solemni ritu benedici solet ab Episcopis quotannis Feria V in Coena Domini; sed de Oleo simplici Olivarum, quod simplici ritu in utraque Ecclesia Orientali et Occidentali a Sacerdotibus benedici solitum fuit ad curandos infirmos. Hoc ergo simplex Oleum Ecclesia a Christo edocta a temporibus Apostolorum benedicere solita fuit, ut patet ex Rituali Graecorum, et Ritualibus priscis aeque ac recentioribus Latinis, in quibus variae extant orationes ad ungendos hoc simplici oleo, rite tamen benedicto, morbis affectos. Apostoli ungebant oleo aegros per modum opitulationis corporalis, non tamen per modum virtutis Sacramentalis, quae per Sacramentum Extremae Unctionis adhibetur, cui annexa est gratia spiritualis; nam ait Apostolus Jacobus in sua Epistola: *Et oratio Fidei salvabit infirmum etc. Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Quod minime fiebat per unctionem illam, quam commemorat S. Marcus; hujus enim effectus circa corpora tantum versabatur, quamobrem de ea dumtaxat ait: *Et ungebant oleo multos aegros, et sanabant.* Quo exemplo usus invaluit apud Sanctos, qui dono curationum divino munere praediti erant, ut, ne sibi sanitatem solatia tribuerent, sed Divinae virtuti, ac beneficio, infirmos oleo benedicto inungerent. Sed ut aliqua nunc ex pene innumeris miracula referam virtute Olei benedicti variis temporibus patrata, Oleo quidem benedicto multos morbos depulit S. Germanus Episcopus Parisiensis, ut scribit in ejus vita Fortunatus Pictavorum Episcopus. S. Guthbertus Episcopus Lindisfarnensis puellam capitis et laterum doloribus cruciatam oleo benedicto sanavit, ut testatur Beda in ejus vita Cap. XXX. Liberatos praesertim energumenos fuisse a daemoniis virtute olei benedicti, permultis constat exemplis, quae in Sanctorum vitis occurrunt. Certe refert Palladius in Historia Lausiaca, S. Macarium puero energumeno per oleum benedictum saluti fuisse.

XII. Benedicuntur ova praesertim in Pascha, ut vir-

tute Benedictionis ex cibis hisce corporalibus verbo Dei sanctificatis excitemur ad desiderium ac famem ciborum spiritualium animae. Antiqua est procul dubio Benedictio ovorum in Pascha, extantque in antiquioribus Ritualibus orationes pro benedictione ovorum. Ova, teste Divo Augustino Serm. 29 de Verbis Domini, sunt symbolum spei: per benedictionem ergo ovorum, quae fit in Pascha, erigimur in spem futurae nostrae resurrectionis in gloriam. Plura et de mysteriis benedictionis ovorum legi possunt apud Hengelium in Libro cui titulus: *Ova Paschalia, Eblemate XII et seqq.*.

XIII. Loca sacra adire, ac longam quandoque suscipere ad illa peregrinationem, frequens fuit inter Christianos. Et quidem a primis Ecclesiae saeculis in more positum fuit, ut fideles proficiscerentur ad sepulchra Martyrum, et ad loca praecipuorum Mysteriorum operatione consecrata. Peregrinatio in terram sanctam primum locum inter omnes obtinet, quamque frequens fuerit, docet inter alios S. Hieronymus, tum alibi, tum vero praesertim in Epistola ad Marcellam. Longe ante datam Ecclesiae pacem, frequentatam fuisse ejusmodi profectionem Hierosolymitanam a Sanctis Viris, docet Eusebius in Historia Ecclesiastica, Lib. VI Cap. IX. Sequentibus saeculis dici nequit quanta frequentia ac animi fervore fideles ad visitanda sancta loca Hierosolymam pergerent. Varias id genus peregrinationes recenset Gretserus peculiari Tractatu, quem de sacris Peregrinationibus instituit. Peregrinos ad loca sancta profecturos, antequam discedant, juxta veteris Ecclesiae institutum, debere accipere patentes, seu Commendatitias Litteras a suo Ordinario, seu Parocho, recte edicit Rituale Romanum. Obtentis Litteris Commendatitiis, mandat idem Rituale, ut peregrinaturi, facta peccatorum suorum Confessione, et audita Missa, in qua dicitur Oratio pro peregrinantibus, Sanctissimam Eucharistiam devote suscipiant. Ritus enim antiquus est ab Ecclesia probatus, ut peregrinaturi ipsi peram praesertim ac virgam, seu baculum, tamquam insignia peregrinationis, ab Altari de manu Sacerdotis sumerent. Sunt plane instrumenta, quibus Monachi iter

agere consueverant, ut ex Cassiano addiscimus, Collatione XI Cap. III. Eodem teste Cassiano Lib. I Cap. VIII et IX pera erat pellis caprina, quam in mortificationis indicium saecularibus exhibendae Monachi portare solebant. Variae extant formulae benedictionis peregrinorum in antiquis Ritualibus Libris. Ceterum quod peregrinaturis ad remotiora loca soleret a Sacerdote benedici baculus ac pera, docet inter alios Gretserus Lib. I *De Sacris Peregrinationibus*, Cap. II. Benedictio peregrinorum non incipit more consueto aliarum, et fere omnium benedictionum per *Adjutorium nostrum;* sed per Antiphonam et Canticum *Benedictus :* et ratio est, quia imploratio Divini adjutorii habita jam sit per diversas preces antecedentes in Missa. Dum Sacerdos dicit: *Pax et Benedictio*, signum Crucis super ipsos dextera efformabit, ut muniantur virtute Redemptionis contra omnes hostes tum spirituales, tum corporales. Quicumque vero sint, qui post peregrinationem ad patriam redeant, omnes benedici debent. Sacerdos, superpelliceo, et Stola violacea indutus, debet versiculos et orationes in Rituali praescriptas dicere.

CAPUT II.

DE BENEDICTIONE, ET IMPOSITIONE PRIMARII LAPIDIS PRO ECCLESIA AEDIFICANDA.

I. Ab ipsis Apostolorum temporibus tam in Oriente, quam in Occidente fuisse Ecclesias constructas, ac Deo dedicatas, pluribus Veterum testimoniis ostendit Cardinalis Baronius ad annum Christi LVII. Collocari pridie, ac figi (1) Crucem ligneam, et quidem sine precibus ullis in loco, ubi debet esse Altare. Apud Graecos quam fuerit solemnis Crucis fixio ubi primum Ecclesia debebat aedificari, docet nos Euchologium Graecorum, ac praecipue Graeci Scriptores, inter quos Theodorus Balsamon in Commentario Canonis XXXI vulgo Apo-

(1) Vide opus nostrum cui titulus: *Antiquitatum Christianarum Institutiones*, Volumen primum Liber secundus Cap. I et seqq.

stolorum. Designatum Ecclesiae aedificandae locum aqua benedicta aspergi debere, praesertim vero eum loci situm, ubi Crux posita est. Debet Episcopus, vel Sacerdos de ejus licentia ibi aquam aspergere benedictam ad abigendas inde daemonum phantasias. Antiphona Psalmus et Oratio totidem pene verbis extat in manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali de Litania, et oratione, *Actiones nostras* dicenda, mentionem facit manuscriptum Pontificale Guglielmi Durandi. Quum vero antiquus sit ritus, ut novae Ecclesiae fundamenta praeviis precibus, ac solemni ad ipsius construendae Ecclesiae designatum locum processione dedicarentur, docet nos Porphyrius Gazensis Episcopus, qui floruit labente IV saeculo.

II. Apud Latinos morem in primis aliquando fuisse, ut Romanus Pontifex primum lapidem mitteret ad construendas novas Ecclesias, quae sub protectione S. Petri, et Romanae, Sedis aedificabantur. Fuit praeterca aliquando mos, ut ubi primarius ad construendam novam Ecclesiam ab Episcopo proprio lapis imponebatur, alii quoque Episcopi adessent. Multis ab hinc saeculis ritus ille omnino servatur, ut Episcopus quidem primum lapidem in novae Ecclesiae fundamento ponat. Variae etiam Reliquiae Sanctorum Martyrum una cum vasculis sanguine ipsorum respersis sub ipso primo lapide, et in Ecclesiae novae angulis, ac sub parietum fundamentis ponebantur. Quod quidem mirum videri non debet, cum ex Ecclesiastica Historia constat, super sepulcra Martyrum aedificatas fuisse Ecclesias. Receptum praeterea morem fuisse, ut non modo Crux in primario lapide insculperetur, sed et epocha ipsius lapidis in fundamento novae Ecclesiae collocandus signaretur. Mandat praeterea Pontificale Romanum, ut postquam caementarius locavit ipsum primarium lapidem cum caemento, Episcopus spargat super lapidem aquam benedictam, dicens: *Asperges me hyssopo* etc. cum Psalmo *Miserere mei Deus*. Variae aspersiones aquae benedictae fiunt in ipsa functione ad abigendos daemones, qui cum pati non possint sacrarum Aedium constructionem, locum illum infestare conantur; atque hinc est, quod in Oratione in paragrapho decimo notata inter alia sic orat Sacerdos: *Sitque ad nostrae humilitatis introitum,*

Sanctorum tuorum meritis, fuga Daemonum, Angeli pacis ingressus. Sed et ex eadem Oratione illud potissimum addiscere licet, quanta sit Ordinis Sacerdotalis dignitas, cui tantam prae caeteris Deus contulisse gratiam constat. Ex Manuscripto Pontificali Guglielmi Durandi, finita Oratione, praescriptum est, ut Episcopus *faciat exhortationem ad populum, si velit, et concedat Indulgentias; ultimo loco dat benedictionem.* Adhibetur in hac functione Pluviale, quia iste est habitus viatorius. Ecclesia non potest aedificari sine Episcopi consensu. Pro aedificanda Ecclesia requiritur insuper, ut assignetur dos sufficiens, et congrua pro iis, quae ad illius reparationem, cultum, et Ministros sunt necessaria. In situ deligendo ea etiam cautio adhiberetur, quam sapientissime praescripsit S. Carolus Lib. I Instructionum Fabricae Ecclesiae Cap. I ut scilicet, et qua majori in veneratione Ecclesia habeatur, et quod ejus fieri potest, ab omni strepitu, unde Divinorum Officiorum interturbatio existit, longius absit; illius positura loco sit, qui ab omni luto, officinis ferrariis, emporiis, atque ab omni foro venalitio procul distet, ac ne regione quidem istiusmodi locorum prope sit.

CAPUT III.

DE RITU BENEDICENDI NOVAM ECCLESIAM, SEU ORATORIUM PUBLICUM, UT IBI SANCTISSIMUM MISSAE SACRIFICIUM CELEBRARI POSSIT.

I. Certa est illorum sententia, quae dicit, non posse Sanctissimum Missae Sacrificium, nisi in Ecclesia consecrata, seu benedicta, vel in Oratorio publico, nisi prius et ipsum benedictum fuerit, celebrari. Celebre est in hanc rem Concilii Tridentini Decretum, *De observandis et vitandis in celebratione Missae*, quod legitur Sessione XXII. Antequam vero de Benedictione novae Ecclesiae, seu Oratorii, dicamus sciendum est, aliud est, Oratorium publicum, aliud privatum. Publicum dicitur, quod publico, seu omnium usui patet, privatum vero, quod etiam domesticum appellatur, quod privato, seu aliquorum usui tantummodo in propriis

aedibus parari solet, ut late explicat Gatticus *De Oratoriis Domesticis*. Differt ritus ipse Benedictionis a Consecratione, quod in ista majores solemnioresque caeremoniae adhibeantur, et quidem a solo Episcopo. Quandonam introductus fuerit hujusmodi ritus a Consecratione distinctus, non est tam facile definire; nonnulli existimant introductum illum fuisse post nimiam Ecclesiarum multiplicationem. Atque hac ratione majores Ecclesiae a minoribus differunt, dum pro majoribus solemnis Consecratio per Episcopum peragenda desideratur, pro minoribus vero Benedictio minus solemnis, quae a quocumque Sacerdote de Episcopi licentia peragi potest. Quoad Oratoria privata satis est, ut antequam Sacrificium Missae in iis celebretur, aqua benedicta aspergantur, et super illa recitetur communis, ac generalis precum formula, quam pro nova benedicenda Domo Rituale proponit. Et ratio est, quia Oratoria illa non perpetuo Deo devoventur, sed pro libito illius, qui gaudet hujusmodi Indulto ab Apostolica Sede obtento, in alios usus converti solent, vel saltem post illius mortem Sacrificio inepta redduntur.

II. Causa hujus Benedictionis est, ut Ecclesia, quae est Domus Dei, tanquam locus sacer, in majore honore et veneratione sit apud fideles, ut docet Angelicus Doctor 3 p. qu. 83 art. 3. Ministros aliquot postulat Rituale pro hac Benedictione, et vere Ministri sunt necessarii ad psallendum, et ad pluralitatem rerum agendarum in illa tam extra Ecclesiam, quam intra; nec unus, vel duo sufficiunt. Aspersio cum aqua benedicta fit ob purgationem et sanctificationem loci. Vacua insuper debet esse Ecclesia, seu Oratorium. Vacua quoad scamna, seu Mensas et omne id quod est amovibile. Unice Tabula seu Icon Altaris tolerari debet, ob grave incommodum illam collocandi adeo prompte, ut post Benedictionem possit in faciem illius celebrari Missa. Ratio hujus nuditatis est quia, cum nondum Deo sacer sit ille locus, ornamenta et suppellectiles habere non debet quae loco sacro sint convenientes. Atque hoc passim obtinet etiam in pollutione Ecclesiarum, quae immediate omni sacra suppelectile denudantur, eo quod locus ille non amplius sacer est. Populo insuper vacua

esse debet Ecclesia, ut commode fiat aspersio interior. Porro populus comes esse debet Sacerdotis benedicentis, et in Psalmis, precibusque rite statutis in tali Benedictione se exercere.

III. Antequam Processio intret Ecclesiam, et ad Altare Majus dicantur Litaniae, ex Pontificali Romano multi alii peragendi sunt ritus, ubi Episcopus Ecclesiam consecret. Merito autem Rituale Litaniam dicendam praescribit, quod antiquissimus sit ritus in Dedicatione Ecclesiae usitatus, et in omnibus Sacramentorum Libris praescriptus, ut Litaniae scilicet dicantur. Quandoquidem vero, ubi dicebantur Litaniae prostrati esse debebant Episcopus et Clerus, uti constat ex antiquissimis Sacramentorum Libris; multo magis Sacerdos benedicens novam Ecclesiam genuflexus esse debet. Finita Litania, surgit Sacerdos et stans dicit, *Oremus Praeveniat nos quaesumus Domine*. Juxta ritum praescriptum jam in Romano Pontificali tres Psalmi 119 120 121 in ordine Psalterii Davidici recitantur, qui vocantur Graduales quia canebantur una cum aliis duodecim in ascensione quindecim graduum Templi Salomonis: tot enim fuisse gradus ejusdem Templi non solum scribunt Lyranus et recentiores cum Bellarmino, sed etiam S. Augustinus in Psalmos. Expleta Benedictione, populus ingreditur Ecclesiam; cui quidem rei hoc tempus assignatur a Castaldo. Interim a Clericis parantur Altaria eo colore paramentorum qui sit congruus tempori et officio. Sicut enim Ecclesia non consuevit celebrare anniversarium Benedictionis Ecclesiarum, sed dumtaxat Dedicationis, seu Consecrationis; ita nec Missam Dedicationis celebrare, ubi Ecclesia non dedicatur, sed benedicitur. Atque haec est una inter alias differentia inter Benedictionem Ecclesiae et Dedicationem, quod ista peculiari Missa et Officio, etiam anniversario, celebratur, illa vero nequaquam. Ceterum teste Quarti in *Tractatu De Benedictionibus*, Tit. II Sectione X in Doctrina Morali Dubitatione I, *Benedictio simplex, et Consecratio Ecclesiarum differunt inter se penes majorem et minorem solemnitatem, seu penes ritum altiorem et inferiorem; simplex enim Benedictio fit simplicioribus ritibus ; Consecratio conficitur unctione sa-*

cri Olei et Chrismatis, et pluribus sacratioribusque ritibus, quibus expressius significatur excellentia Divinae Majetatis, cui Templum dicatur, et pertinet ad Ministrum majoris dignitatis. Sicut etiam in Horis Canonicis differt Officium simplex, vel semiduplex ab Officio solemni primae Classis; item Missa privata a solemni, et Beatificatio a Canonizatione Sanctorum.

CAPUT IV.

DE COEMETERII BENEDICTIONE.

I. Quod *Coemeterium* (1) latine, dicitur graece κοιμητηριον α κοιμαω, *sopio*, velut si dixeris *Dormitorium*. Profecto Christiani suorum sepulchra dixerunt κοιμητηρια, *dormitoria*, seu loca ad quietem et somnum comparata; idque ab antiquissimis temporibus, uti constat ex Dionysio Alexandrino apud Eusebium Lib. VII Cap. XI. Nec mortem θανατον, *interitum*, sed potius υπνον et κοιμησιν, *soporem* et *somnum* adpellandam censuerunt. Hinc in Christianis lapidibus defuncti *dormire, quiescere in pace, deponi* persaepe dicuntur, ut apud Bosium, Aringhum, Fabrettum, Donium, Lupium, Marangonum, Boldettum, Muratorium, ceterosque harum antiquitatum collectores videre est. Inter vetustissima Christianorum Coemeteria praestant Romana, quae non sine admiratione adhuc visuntur. Romana haec Coemeteria a se visa describit S. Hieronymus in Caput 40 Ezechielis, et Prudentius Hymno II *De Coronis*. De eorum numero, forma, situ, auctoribus, meatibus, ruderibus, consule Onuphrium Panvinium, *De Coemeteriis* Cap. 12; Bosium, et Aringum, in *Roma subterranea*; Torrigium, in *Cryptis sacris Vaticanis*; Bottari, *Pitture e Sculture de' Cemeterii;* Marchi, *Catacombe Romane*. His adde Baronium, an. 130 n. 1; Mabillonium, *Iter Italicum* p. 89; et Montfauconium, *Diarium Italicum* p. 117.

(1) Spondanus, *Coemeteria sacra Cap. I et seqq.*; Panvinius, *De Coemeteriis*, *Caput XII*; Catalano, *Pontificale Romanum commentariis illustratum, pars secunda Titulus VI.*

II. Diu Christiani aeque ac gentiles extra urbes sepeliebantur. Generatim veteres de sepulcris Martyrum, tamquam extra urbes positis, disserunt. Apostolos Petrum et Paulum extra Urbem humatos, testatur Hieronymus *De Scriptoribus Ecclesiasticis Cap. 1 et 15.* In Oriente inde a saeculo IV fideles in Ecclesiarum atriis, vel ipsis Ecclesiis sepeliri consueverunt. Constantinus Magnus in Basilica Apostolorum, quam Constantinopoli extrui curavit, *maxime ambierat iuxta Apostolorum memoriam sepeliri, ut precationum, quae in honorem Apostolorum ibi celebrandae erant, etiam mortuus particeps fieret*, uti refert Eusebius Lib. IV *de Vita Constantini Cap. 21.* In ejusdem Basilicae porticu Constantinopolitani Augusti Theodosius Magnus, Arcadius, Eudocia, Theodosius Junior, tumulati sunt, uti narrat Nicephorus Lib. XIV Cap. 58. Eodem saeculo IV mos in Oriente viguit sepeliendi in sacris aedibus Christianos. In Occidente quoque jam a saeculo IV fideles in Ecclesiis prope Martyres humati sunt. S. Ambrosius sepulturam sibi elegit in Basilica Ambrosiana a se extructa sub Altari.

III. Quandonam autem ritus benedicendi Coemeteria initium sumpserit, difficile est definire. Est quidem res antiquissima, cum de ea non tamquam suo tempore adinventa luculentissimam mentionem fecerit S. Gregorius Turonensis Episcopus, qui floruit VI Christi saeculo in Libro *De Gloria Confessorum,* Cap. CVI. Post annum Christi millesimum multa apud Scriptores consecratorum Coemeteriorum exempla habentur. Extant nihilominus quidam pervetusti manuscripti Pontificales, qui benedictionis Coemeteriorum ordinem describunt. Coemeterium per solemnem benedictionem e loco profano effici locum religiosum; imo tamquam Ecclesiae appendici etiam de jure immunitatem localem esse indultam omnibus in comperto est. In sacris Canonibus constitutum legimus, ne in Coemeteriis ubi Christianorum corpora, qui Templa sunt Dei vivi, ut ait Apostolus in Epistola II ad Corinthios Cap. VI requiescunt, aliquid fiat, quod ejus loci sanctitatem offendere possit: *Sacra loca*, inquiunt PP. Synodi Exoniensis anni MCCLXXXVII. Cap. XIV *ab omnibus venerari*, *tam*

Juris civilis est ratio, quam sacrorum Canonum jubet auctoritas. Coemeteria tamquam loca religiosa declaravit Concilium Lugdunense sub Gregorio X. De reverentia Coemeteriis ob ipsorum sanctitatem exhibenda, saluberrimas leges zelantissimi Praesules in suis Conciliis edidere, quas longum esset hic recensere.

III. Situs aptior pro Coemeterio esse poterit a latere Ecclesiae ad Septentrionem. Magnum et amplum sit Coemeterium, proportionabiliter ad numerum parochianorum. Totum muro circumdetur, adeo ut cinctum ab omni parte appareat. In medio alta Crux ferrea, seu etiam marmorea eminere debet. Laudabile esset, si in Coemeterio construeretur Cappella. Ceterum nec intra, nec extra Coemeterium pendentes esse debent vites, aut arbores cujuscumque generis. In fronte Coemeterii et supra portam ejus emineat picta, seu sculpta Imago Sanctissimae Crucis.

IV. Quinque Cruces die praecedenti adhibendae sunt in benedictione Coemeterii. Hic ritus praescribitur in Pontificali Gulielmi Durandi, in manuscripto Pontificali Christiani Moguntini Archiepiscopi, et in nostro Pontificali. Accendendas in benedictione Coemeterii candelas, non modo Libri manuscripti Pontificales, sed et antiqui Scriptores fidem luculentissimam faciunt, inter quos Humbertus de Romanis, in celebri opere: *De modo prompte cudendi Sermones* Lib. II. Cap. XXXIII ubi ritum explicans accensionis candelarum in Coemeterii benedictione, ita inquit: *Et accenduntur candelae, in quibus intelligitur Fidei charitas*. Nec extinguuntur cerei accensi, donec totaliter absumantur, ut ita edoceamur, venerationem loci perpetuo durare debere, nec ab ulla humana vi posse extingui. Quoad ipsum candelarum numerum variant plane Libri Pontificales. Dici jam olim consuevisse Litanias in Coemeterii benedictione, et quidem post aquae benedictionem, constat ex pluribus Pontificalibus. Est et ille antiquus usus, ut non modo in benedictione Coemeterii thus et aqua benedicta adhiberentur, verum etiam ubi defuncti sepeliebantur. Testatur id quidem Gulielmus Durandus Lib. VII *sui Rationalis* Cap. XXXV sic dicens: *In quibusdam locis ponitur aqua benedicta, et prunae cum*

thure. Aqua benedicta, ne daemones, qui multum eam timent, ad corpus accedant. Solent namque desaevire in corpora mortuorum. Thus vero ibi ponitur ut defunctus Creatori suo acceptabilem bonorum operum odorem intelligatur obtulisse; seu ad ostendendum, quod defunctis prosit auxilium orationis.

V. Causae autem ejus Benedictionis afferri variae possunt. Prima illa esse potest, ut inde. inferorum monstra abigantur, quorum saepe in monumentis domicilium est; ut disertissimus omnium Patrum S. Joannes Chrysostomus asserit in *Homilia XXXV* in Matthaeum Cap. VIII ubi sic inquit: *Cum venisset Jesus trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes daemonia de monumentis exeuntes, saevi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam.* At vero non solum propter hanc causam dici potest defunctorum Coemeteria sacris caeremoniis expiari, verum etiam, ut viatores admoneantur, eos qui in illis conditi sunt, in Fide Christi Jesu lucis hanc usuram reddidisse, ut scite inter alios Scriptores docet Petrus Cotonus in sua *Catholica Institutione* Lib. II Cap. XLVIII. Sicut Ecclesia mane benedicitur, ita quoque mane benedicendum est et Coemeterium, quod accessorium Ecclesiae nuncupatur.

CAPUT V.

DE ECCLESIAE ET COEMETERII RECONCILIATIONE.

I. Ecclesiam semel solemni ritu consecratam denuo consecrari non posse, quocumque étiam enormi crimine pollutam, seu profanatam, manifestum est, docentque id sacri Canones et Bullae Maximorum Pontificum. Dicitur quidem reconciliari Ecclesia, cum scelere aliquo violata ac polluta est. Itaque sicut Templum spirituale, quod est Christianus, per crimen profanatum non potest quidem per Baptismum iterum consecrari, sed tantum reconciliari debet per aquas poenitentiae, uti loquuntur Doctores, ita et Templum materiale profanatum, seu violatum non quidem solemni ritu reconsecrandum est, sed tantum reconciliandum, iisque reconciliationis ritibus, qui caeremoniis reconciliationis

Templi spiritualis per poenitentiam respondeant. Fit autem reconciliatio Ecclesiae, ut notat Durandus Lib. I Rationalis, Cap. VI Num. XXXXIV ad exemplum et terrorem, ut videlicet videntes Ecclesiam, quae in nullo peccavit, propter peccatum alterius lavari et purificari, existiment quantum propter suorum delictorum expiationem sit laborandum. Porro per reconciliationem Ecclesiarum figurari reconciliationem peccatoris, jampridem adverterunt Theologi, ut notat antiquus Glossographus ad Caput unicum, *De Consecratione Ecclesiae* in VI.

II. Jam non propter omne crimen Ecclesia polluitur, sed propter quaedam a sacris Canonibus, et ab antiqua Ecclesiae consuetudine notata. Polluitur vero Ecclesia primo injuriosa sanguinis humani effusione in ea facta. Quae sanguinis effusio debet esse injuriosa et voluntaria. Unde effusio sanguinis per jocum accidens, etiam in magna quantitate, non violat Ecclesiam, uti docent Suarez, *De Sacramentis Disp. 81 quaest. 83 sectio 4 § 2*; et Gonzalez, in Cap. *Coemeteria vero, Num. 6 De Consecratione Ecclesiae*. Requiritur praeterea, ut effusio sanguinis, aut homicidium sequatur intra Ecclesiam, vel in loco qui sit ejusdem Ecclesiae pars integralis, de qua re plura habentur exempla apud Pacem Jordanum Tit. 12 a. n. 73 ad. 90 apud Ugolinum Cap. 29 § 6. Nec facessit quod extra Ecclesiam vulneratus ad illam confugiat, ibique sanguinem effundat, vel etiam moriatur: quia talis actio non censetur injuriosa respectu Ecclesiae. Longum plane ac laboriosum esset varias hic quaestiones discutere, quae de hac re a Theologis ac Canonici Juris Consultis afferri solent. Alius modus quo Ecclesia polluitur, humani seminis effusione contingit. Extant ea de re varii Canones, ac Maximorum Pontificum Decretales Epistolae, qualis est illa Alexandri III in Cap. *Significasti;* et illa Gregorii IX in Cap. ultimo *De Consecratione Ecclesiae*. Rursus polluitur Ecclesia ejusque Coemeterium, si in ipsis excommunicatus, vel publicus Clerici percussor, infidelis, haereticusve sepeliatur. Polluitur etiam Ecclesia juxta aliquos, si ab Episcopo excommunicato, haeretico, vel schismatico consecra-

tur. Effectus pollutionis, et violationis is est, ut, ea durante, nequeant divina ibi peragi officia, nec Missae Sacrificium celebrari, neque alia ministrari Sacramenta, neque in ea fidelium cadavera sepulturae committi, ut habet textus expressus in Cap. I *qui de sentent. excomm. in P. Cap. De Consecratione Ecclesiae.* Debet Ecclesia polluta ab ipso soloque Episcopo, veluti ordinario Ministro, reconciliari, si consecrata illa existat, vel ab alio Episcopo, praevia tamen dioecesani licentia Cap. *De Consecratione Ecclesiae.* Non potest Episcopus Praelato inferiori, vel simplici Sacerdoti, aut suo Generali Vicario hanc delegare facultatem, non obstante quacumque in contrarium consuetudine, ut declarat Cap. *De Consecratione Ecclesiae* ac prae caeteris Benedictus XIV in sua Epistola prima ad P. Engelbertum, incip. ex *tui precibus* § II in appendice ad tomum quartum sui Bullarii. Excipiendus tamen est Summus Pontifex, qui cuicumque voluerit, etiam simplici Sacerdoti, hoc potest ministerium committere; quemadmodum legere est in Decretali Gregorii IX incipiente *Aqua, de Consecratione Ecclesiae.* Advertendum tamen est, quod Sacerdos sic delegatus, debet uti aqua ab Episcopo benedicta, uti observat Benedictus XIV in citata Epistola. Aqua ad hunc usum destinata illa dicitur, quae fuit ab Episcopo benedicta cum vino et cinere. Tali privilegio, ut cetera omittamus, fruuntur Canonici Basilicae Vaticanae, etsi Episcopali ordine non insigniti, videlicet Prior, Altarista, et Decanus, ex Constitutione Innocentii VI, ut habetur in Bullario Vaticano Tom. I pag. 361. Verum si Ecclesia polluta tantummodo esset benedicta, reconciliari potest per quemcumque simplicem Sacerdotem, et quidem per solam aquae lustralis aspersionem, ex dispositione insignis Epistolae Decretalis Gregorii IX in Cap. X *De Consecratione Ecclesiae.*

III. Ecclesiae et Coemeterii violatorum reconciliationem omni die fieri posse, docent quidem omnes Scriptores, et varii Libri Pontificales, inter quos Codex manuscriptus Pontificalis Gulielmi Durandi. Porro ante reconciliationem nudatur Altare in signum luctus, requiritur quippe inter alia, cinis et aspersorium de herba hyssopi, quia, cum per hanc Ecclesiae reconcilia-

tionem repraesentetur reconciliatio publici peccatoris, sicut in publica et solemni poenitentia, et poenitentium reconciliatione cinerum usus fuit; ita et hic etiam cineres adhibentur. Similiter aspersorium de herba hyssopi factum, quo aqua benedicta aspergenda est, poenitentium reconciliationem denotat, juxta illud Psalmi IV *Asperges me hyssopo, et mundabor*. Sed his omissis, illud hoc loco praetermitti nequit, quodque hanc praesentem materiam summopere spectat, violata Ecclesia, violatum censeri et Coemeterium, non vero Coemeterio polluto, Ecclesiam censeri pollutam, uti diserte docet Bonifacius VIII in Cap. unico, *De Consecratione Altaris in VI.* Vide Canonici Juris Consultos, qui hanc rem uberius tractant. Orationes *Omnipotens, et misericors Deus* etc. *Et aufer a nobis quaesumus Domine*, extant in pluribus Libris Pontificalibus. Vetus Ordo Romanus, in eo titulo inscripto: *Reconciliatio violatae Ecclesiae*, mandat quidem, ut duae orationes dicantur, sed ut primum efferantur Reliquiae. Cantatas jam olim fuisse Litanias in reconciliatione Ecclesiae, docent nos Libri Pontificales. Finitis Litaniis, praescribunt iidem Libri Pontificales, ut Episcopus dicat, *Oremus, flectamus genua, Deus qui peccati veteris* etc. post alias orationes, Missam peculiarem in reconciliatione Ecclesiae fuisse celebratam constat ex pluribus Libris Pontificalibus.

CAPUT VI.

DE BENEDICTIONE MULIERIS POST PARTUM.

I. Fuit veteris Testamenti Lex, Levitici Capite XII expressa, qua mulier post partum certo dierum spatio arcebatur a Templo. Quod interim mulier ingredi Templum non posset, donec implerentur dies purificationis, ex ipsa Levitici Lege addiscere licet. Cui quidem etsi Deipara Virgo subjecta non esset, voluit nihilominus se ei ex humilitate subjicere, uti legitur in Evangelio Lucae, Capite II. Atque hinc originem sumpsit Festum Purificationis Beatissimae Mariae Virginis. Quamquam vero mulieres novi Testamenti puerperio omnibusque quae illud consequuntur, non secus ac veteris Testa-

menti mulieres subjectae, purificatione indigere videantur, hac lege tamen minime constringuntur. Haec Benedictio de consilio est, non de praecepto Hinc est, quod S. Carolus Concil. Prov. I p. 2 non aliud dicit, nisi, quod Parochi moneant puerperas, ut cum primum, post partum, domum exierint, mox ad Ecclesiam Deo gratias acturae accedant, ubi Benedictionem a Parocho suscipiant. Itaque laudandae mulieres Christianae, quae sive ex reverentia erga Ecclesiam ac Divina mysteria quae in ipsa peraguntur, sive exemplo Deiparae Virginis, quae ex humilitate Legi se subdidit, consueverunt etiam ipsae ad tempus aliquod ab Ecclesiae ingressu abstinere, nec in eam intrare, nisi se Sacerdoti praesentaverint, et ipse precibus aliquibus praemissis illas introduxerit, juxta ritum praescriptum in hoc nostro Rituali Romano. Quamvis ex Rituali nostro Romano liberum sit mulieri ad quam malit Ecclesiam accedere, non addubito tamen quin standum sit receptae locorum consuetudini ac Synodalibus statutis. Certe quod a Parocho debeant puerperae benedictionem accipere, statuit non uno in loco S. Carolus, et praesertim in Provinciali I Concilio.

II. Sed age explicemus ritus hujus benedictionis. Quibusdam in locis, ut testatur Lupus Tomo IV Operum editionis Venetae in Dissertatione: De S. Leonis Noni Actis, purificanda mulier cum multo sociarum comitatu procedit ad Ecclesiam, et singulae gestant ac offerunt candelam. Siquidem enim haec mulierum purificatio ad exemplum Purificationis Deiparae Virginis instituta sit, uti inter alios notat Durandus Lib. VII *Rationalis*, Cap. VII, sicut in ipso Purificationis Festo solent ex antiquo ritu fideles cereos accensos in manibus portare; ita quoque mulier purificationem faciens, candelam accensam manu tenet. Aspergitur autem aqua benedicta, quia scilicet hujusmodi aqua in omnibus fere benedictionibus ex antiquo pariter ritu adhiberi soleat. Stola pro hac benedictione debet esse albi coloris. Genuflexio ad limina Ecclesiae fit, ut clare pateat humilitas petentis, quae ex se declarat non esse dignam ut ingrediatur, cum adhuc impuram se confiteatur; atque propter hoc Sacer-

dotem expectat, qui eam suscipiat. Candela quae defertur accensa a puerpera, innuit benedictionem non mereri nisi qui timet Dominum, et mandatis ejus obtemperans, lucis exempla commonstrat, unde in Psalmo 117 habetur: *Ecce benedicetur homo qui timet Dominum; et videas filios filiorum tuorum*. Vel etiam in memoriam et reverentiam Beatissimae Virginis, quae cum processione Candelarum et cum luminibus accensis ab Ecclesia colitur. Porrectio Stolae ad manum mulieris fit ad tutandam foeminam ingredientem ab omni diabolico incursu, et ad faciendam illi partem rei sacrae de qua agitur. Altare ante quod sistere debeat mulier, regulariter esse potest illud in quo asservatur Sanctissima Eucharistia. Oratio facienda a muliere perdurare debet ad sui libitum, nec opus est ut Sacerdos expectet finem illius: sed procedere debet cum praescriptis precibus; quibus finitis, eam ad Altare orantem relinquere potest. Nova aspersio fit pro terminatione actus, qua plene purificata remaneat mulier in anima sua. Adhibitum fuisse panem benedictum, eumque mulieri comedendum traditum, addiscimus non modo ex Ritualibus Catalaunensi et Lemovicensi, sed ex Provinciali Concilio III Mediolanensi, Cap. inscripto: *Quae ad Sacramentalia, et Sacramenta generatim pertinent*. Consuevisse Missam dici in benedictione hujusmodi, docent nos antiqua Ritualia Catalaunense et Lemovicense, itemque Sacerdotale Romanum. Haec benedictio praecipue ordinatur ad agendas Deo gratias ob prolem in lucem editam. Fit solemnis ingressus in Templum quadragesimo die post partum ad insinuandum, quod illi qui pure ingressi sunt Templum sacrum in hac vita, ingredientur post hanc vitam templum gloriae. Ad quod etiam alludit caeremonia, qua introducitur mulier in Ecclesiam, porrecta videlicet ei Stola Sacerdotis, quam manu apprehendit; siquidem Stola significat jugum Legis Evangelicae; quam qui manu apprehendit, videlicet per opera et observantiam ejusdem legis, dignus efficitur ingressu Templi coelestis.

CAPUT VII.

DE BENEDICTIONE ABBATIS.

I. De solemni, quae hodie (1) in usu est Abbatum benedictione nihil in regulis monasticis, aut antiquis historiis, aut ecclesiasticis monumentis occurrit: verisimile tamen esse videtur solemnem ipsam Abbatum benedictionem tunc temporis invaluisse, quando Abbates una cum ornamentis Pontificalibus ad ipsam Episcopalem eminentiam ac dignitatem ascendere coeperunt, uti opinantur eruditi. Manifestum est apud omnes doctores per Benedictionem Abbatibus neque Ordinem neque characterem conferri, quemadmodum Episcopis confertur. In ea enim functione nulla intervenit Chrismatis unctio, sed tantum quaedam precationis forma: unde in Sacramentario S. Gregorii totus ritus faciendi Abbatis una tantum oratione continetur, praesefertque hunc titulum: *Oratio ad Abbatem faciendum*. Prolixas quidem orationes caeremoniasque videre est in antiquo Romano Ordine. Unum nos hic adnotandum censemus, in eo praesertim distare benedictionem Abbatis a consecratione Episcopi, quod consecratio omnino est necessaria, ut quis fiat et dicatur Episcopus, quemadmodum constat ex Cap. *Licet*; Abbatis vero benedictio nequaquam est necessaria, ut sit et dicatur Abbas, ut ea quae sunt jurisdictionis exerceat, vel ut temporalia administret; sed quoad quaedam tantum, nimirum ut Monachos benedicere, vel eis Tonsuram, et Minores Ordines conferre possit, uti liquet ex Capite *Cum contingat*. Non quolibet die, sed dominico vel festivo tantum benedici possunt Abbates; quia sicut Minores Ordines conferri nisi laudatis diebus nequeunt, propter reverentiam, ut habetur in Capite primo et tertio *De Temporibus Ordinationum* in VI; ita a fortiori Abbatum Benedictio, quae ipsis tribuit Minores Ordines conferendi facultatem. Antiqua res est Apostolici mandati formula, quo facultas a Summo Pontifice

(1) Piscara, *Praxis Caeremoniarum* Lib. I Sect. IX Cap. III.

locorum Episcopis dabatur benedicendi Abbates, ab eisque juramentum fidelitatis Apostolicae Sedis nomine recipiendi juxta formulam Gregorii IX praescriptam.

II. Sacris Canonibus jam cautum fuit, ut is qui eligendus est in Abbatem, expresse professus fit, uti recte docet Gregorius IX Pontifex Maximus in Capite *Cum in Magistrum*. Ex praescripto insuper Pontificalis Romani nonnullae orationes ab Episcopo recitantur quae incipiunt *Deus Indulgentiae Pater:* postea benedicuntur vestes. Esse vero antiquum Ecclesiae ritum benedicendi monasticas vestes ante solemnem Monachorum professionem, docet nos vetus Ordo Romanus in eo titulo qui inscribitur: *Ordo ad Monachum faciendum*. Alias orationes dicit Episcopus cum nonnullis Psalmis, Versiculis et Responsoriis. His dictis, Episcopus sedet ac coram eo genuflexus Electus emittit professionem ex praescripto suae congregationis, in charta scriptam, quam in manibus tenet et legit, qua lecta, ponit chartam ipsam super Altare. Doctissimus Catalano in Commentaria ad *Pontificale Romanum* Titul. *De Benedictione Abbatis* putat omnium primum, qui professionem scripto fieri, et super Altare poni mandaverit, fuisse S. Benedictum, cujus ritus alioqui passim et prisci Scriptores, et vetusta Ritualia, et antiquae Synodi diserte meminere.

III. Est et illud quoque adnotandum, veterem esse Monachorum disciplinam, ut professionis charta, aut nominis, aut Crucis subscriptione roboraretur. Signum Crucis nominis loco subscribere communissimum fuit. De Carthusianis testis est Petrus Sutor Libro primo *De Vita Carthusiana*, Capite octavo, ubi ait, in ipsius monasticae professionis calce profitentem Crucis signum depingere consuevisse. Testatur Jacobus Cujacius in *Paratitlis* Lib. I Codicis, Tit. VIII adeo fuisse antiquis Sanctum Christi signum ac venerabile, *ut in istrumentis pro fide et subscriptione cederet*. Unde et Theodorus Balsamon in Canone XIII Synodi Carthaginensis scripsit: *Septuagesima secunda Imperatoris Domini Leonis sapientis Novella statuit, ut quodcumque scriptum, in quo venerandae et vivificae Crucis figura per manum ejus qui ipsum composuit, scripta est, firmum et im-*

mutabile maneat. Non ergo mirum, si majoris venerationis ac firmitatis causa ii olim qui scripto alicui aut decreto subscribebant, signum Crucis nomini suo praeponere, aut subjungere consuevere. Verba Antiphonae, *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, a Templo sancto tuo, quod est in Jerusalem*, extant in Ritualibus Libris compluribus. Qui ritus quidem satis est commendabilis: rogatur enim Deus, ut professi professionem confirmet, suaque gratia roboret, ne suadente diabolo, datam postea fidem fallat, et in sui damnationem a Religione, quam rite professus est, aliquando resiliat. Dicta Antiphona, *Confirma hoc Deus*, Episcopus cum Mitra sedens accipit eum in congregationem et societatem aliorum Monachorum Ordinis sui. In benedictione Abbatis illius diei Missa est celebranda, uti patet ex Libris Pontificalibus Romanis, non vero Missa de Spiritu Sancto, quam Moguntinum Pontificale innuit, vel aliam juxta devotionem Episcopi. De Mitra, Chirotecis, Annulo aliisque Pontificalibus ornamentis nullum prorsus verbum extat in Pontificalibus Libris antiquioribus; quia Abbatibus non debentur, nisi ex privilegio. Saeculo X potissimum his gaudere coeperunt. Praeter ornamenta Pontificalia habuisse olim Abbates sigillum authenticum propria imagine et nomine insculptum, liquido constat ex Synodo Londinensi habita anno Christi MCCXXXVII Praeside Othone Diacono Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali, Legato Apostolicae Sedis in Anglia, apud Matthaeum Parisium. Hinc Anselmus ex Abbate Beccensi jam electus Cantuariensis Archiepiscopus, nondum consecratus, Libro III Epistola X inquit: *Sigillum haec Epistola non habet, quia Abbas jam non sum, et Archiepiscopus nondum sum; nec me delectat pingi quod non sum.*

CAPUT VIII.

DE BENEDICTIONE ABBATIS AUCTORITATE APOSTOLICA.

I. Benedicuntur auctoritate Apostolica Abbates exempti, ii nempe qui Apostolicae Sedi subjecti sunt. Morem fuisse ut exempti Abbates Romam benedicendi

venirent, liquido constat ex multis locis Chronici Casinensis. De S. Eberhardo Archiepiscopo Salisburgensi scribit auctor ejus vitae Cap. I apud Bollandianos ad diem XXII Junii „fuisse ipsum Romae consecratum in Abbatem ab Innocentio II eique ita dixisse Pontificem: *Confortare, et esto robustus: in omnibus tecum sum*. Ipsum praeterea morem ut irent exempti Abbates Romam causa confirmationis et benedictionis, expressum profecto legimus in manuscripto Codice D. Le Dellier Rotomagensis S. Audoeni Monasterii Magni Prioris. Integra professionis formula, quae descripta est in Romano Pontificali, consentit in multis capitibus formulae electionis Joannis Abbatis S. Albani apud Spelmannum, et apud Matthaeum Parisium *Anglicanae Historiae* anno MCCXXXV. Reverentiam Episcopo debere omnes Abbates ipsius Dioecesis praestare, docent nos sacri Canones passim, ac Sancti Ecclesiae Patres frequenter inculcant. Abbatum benedictio alia est Monachorum, alia Canonicorum Regularium. Horum nulla est mentio apud antiquos Scriptores, nullus in Pontificalibus, aut Ritualibus Libris Ordo, quorum aetas sexcentos paululum excedat annos. Nec mirum, observat Martenius *De Benedictione seu Ordinatione Abbatum*, Cap. I, cum ad illa tantum tempora, Canonicorum Regularium, quales modo videmus, origo referenda est. At vero Abbatum Monachorum benedictio antiquissima est, cujus certe reperimus argumenta ab annis circiter mille ducentis.

II. Morem fuisse in Ecclesia pervetustum, ut is qui ad regimen animarum eligitur, prius examinari deberet, fuse ostendit Catalano ubi de sacris Ordinationibus egit. In antiquis Ritualibus Libris passim praescriptum legimus examen in ordinandis Abbatibus. Tradit Pontificale Ecclesiae Conchensis, faciendum hujusmodi examen in Missa, *antequam legatur Evangelium*, Moguntinum autem post recitatas orationes, antequam dicatur Epistola. Illud plane constat ex omnibus pene antiquis Ritualibus, primam omnium interrogationem eam esse, quam habet nostrum Pontificale Romanum hisce verbis conceptam: *Vis tuum sanctum propositum, et Sancti N. regulam observare, tibique subjectos, ut*

idipsum faciant, diligenter instruere? Consentit quidem nostro Romano Pontificali Moguntinum. Secunda interrogatio ita expressa est: *Vis mores tuos ab omni malo temperare, et quantum, adjuvante Domino, poteris ad omne bonum commutare?* Extat haec interrogatio iisdem verbis descripta in Codice Cassinensi. Quod nostram rem spectat, debent profecto Abbates vel ex hac sua promissione mores ab omni malo temperare, et ad omne opus bonum contendere. Si enim in Monacho vitae sanctitas est necessaria, quanto magis in ejus Praelato, qui aliis suo exemplo praelucere debet? juxta illud Pauli monitum in Epistola prima ad Timotheum Cap. IV *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* In compluribus manuscriptis Pontificalibus tertia interrogatio nostri Pontificalis nempe: *Vis castitatem, sobrietatem, humilitatem, et patientiam cum Dei adjutorio in te ipso custodire, subditosque tuos talia docere?* deest; habentur tamen aliae nonnullae quas longum esset enumerare. Omnes antiqui Libri Pontificales referunt hanc interrogationem nostri Pontificalis: *Vis res Monasterii tibi commissi fideliter custodire, et in usus Ecclesiae, Fratrum, pauperum, et peregrinorum distribuere?* Certe fuit olim tam singularis Monachorum humanitas in suscipiendis peregrinis atque pauperibus, ut Monasteria potius Xenodochia et Hospitalia, quam Monachorum habitacula viderentur: *Nobis in Monasterio,* inquit S. Hieronymus in Apologia adversus Ruffinum, *hospitalitas cordi est, omnesque ad nos venientes laeta humanitatis fronte suscipimus.* Quinta interrogatio hisce verbis concepta est: *Vis Sanctae Matri Ecclesiae Romanae, ac Sanctissimo Domino nostro Summo Pontifici, ejusque Successoribus fidem, subjectionem, obedientiam, et reverentiam devote, et fideliter per omnia perpetuo exhibere?* Omittitur haec interrogatio in antiquis Libris Pontificalibus, quod cuncta quae in ipsa interrogatione continentur, prolixius novi Abbates in juramento, quod fidelitatis vocant, Romano Pontifici promitterent. Si vero benedicendus exemptus non est, neque auctoritate Apostolica, sed ab ordinario suo Episcopo benedicitur, post praedictas interrogationes subjungitur etiam sequens:

Vis Sanctae Ecclesiae mihique ejusdem Patriarchae, vel Archiepiscopo, vel Episcopo, et meis successoribus fidem, subjectionem, obedientiam, et reverentiam devote, et fideliter perpetuo exhibere? Varii Libri antiqui Pontificales varias habent praesentis interrogationis formulas. Consuevisse autem ejusmodi professionem praestari ex scripto, interposito jurejurando super signo Sacrae Crucis quamplurimis testimoniis certum est.

III. Benedictio Abbatis primum in certis quibusdam orationibus constituta fuit: progressu temporis additi quidem fuere ritus peculiares, tradendi scilicet novo Abbati in sua ipsius benedictione insignia quaedam Episcopalia, baculum, annulum, et alia id genus. Fuit vel priscus ritus, ut postquam Abbas servare se velle spopondisset, quae illum Episcopus interrogabat, ambobus ante Altare prostratis, Litaniae dicerentur. Tradit haec Vetus Ordo Romanus ubi agit de Ordinatione Abbatis. Ordini antiquo Romano consentit profecto vetus Cassinensis Codex. De septem Poenitentialibus Psalmis una cum Litania in Benedictione Abbatis dicendis, egregium habemus locum in Pontificali Ecclesiae Conchensis. Finita Litania, surgens Episcopus, prostrato manente Electo, versus ad illum dicit Dominicam prius Orationem, deinde versiculos quosdam, et binas Orationes, quas legere est in antiquo Romano Ordine, in Codice Cassinensi, in Pontificali manuscripto Bibliothecae Angelicae, ac aliis compluribus; in quibus nihilominus aliqua varietas extat quoad versiculos.

IV. Antiquissimus est ritus imponendi manum super caput benedicendi Abbatis, uti observant eruditi, et dum Episcopus manus super caput Electi Abbatis imponit, Orationem *Omnipotens sempiterne Deus affluentem* etc. in modum praefationis recitat, idque monet tum Ordo vetus Romanus, cum sequioris aevi Libri Pontificales. Regulam novo Abbati in sua ipsius benedictione traditam omnes uno consensu tum veteres, tum recentiores Libri Pontificales docent; qui tamen in ejusdem tradendae formula non parum discrepant. Postea Episcopus novo Abbati pastoralem Baculum tradit. Singularis fuit ritus Cameriacensis Monasterii, in quo Abbas electus de tumulo S. Martini Turonensis

Episcopi Baculum accipiebat, ex Decreto Urbani II Pontificis Maximi in Concilio Turonensi edito, uti videre est Tomo VI Spicilegii Dacheriani. Quamvis in antiquo Romano Ordine et in multis Pontificalibus etiam recentioris aevi, de traditione Annuli in benedictione Abbatis nulla mentio habeatur, constat tamen ex Cassinensi Codice fuisse ipsum Annulum, antequam novo Abbati traderetur, ab Episcopo prolixa oratione benedictum. Ceterum tam Pontificale Barense, quam Moguntinum diserte memorant Annuli traditionem in Benedictione Abbatis faciendam. Oratio *Te Omnipotens, et piissime Domine*, antiqua est, et jam olim in Benedictione Abbatis post traditam ei Regulam, recitata, ut constat ex antiquo Ordine Romano. Porro in ea oratione nostri Romani Pontificalis, Deum Episcopus deprecatur pro novo Abbate, ut praecepta sanctae Regulae efficaciter studeat adimplere; ut enim ait S. Isidorus Pelusiota Lib. II Epistola CCIX. *Ita natura comparatum est, ut ad ejus, qui praeest, similitudinem, ii qui parent, sese effingant.*

V. Ritus est in Ecclesia vetustus, ut novus Abbas suo Ordinatori Episcopo offerat panem, vinum et binos cereos accensos statim post Evangelii lectionem. Celebratam vel olim Abbatum Benedictionem inter Missarum solemnia, liquet ex Codice vetere Cassinensi et ex multis Pontificalibus Libris. Ceterum etsi Abbas, instar Episcopi, Pontifici offerat duos cereos, duos panes, et duo barilia vini, non tamen communicat, sicut Episcopus, sed de manu Episcopi Sacram Eucharistiam sub specie solum panis genuflexus ac reverenter sumit. Postquam Abbas ab Episcopo in fine Missae peculiari oratione benedictus est, ipse Abbas solemniter populo, Episcopo etiam praesente, benedicit, hac nimirum dumtaxat vice, cum alias de jure communi nequeant quidem Abbates, praesentibus Episcopis vel aliis majoribus Ecclesiae Praelatis, benedictionem solemnem populo impertiri, probantque id passim auctores ex eo quod minor majorem benedicere haud debet, uti habetur in Can. *Denique, XXI Distinctione*. Ceterum privilegia ipsa Abbatibus ab Apostolica Sede concessa, ut possint solemniter in Ecclesiis sibi pleno

jure subjectis populum benedicere, profecto consona sunt Juri Communi, cum in eisdem addita semper clausula sit, *Dummodo in benedictione hujusmodi aliquis Antistes, vel Sedis Apostolicae Legatus praesens non fuerit.* Porro illud advertere oportet, quod licet Abbas usum Mitrae et Baculi habeat, et solemniter populo benedicere possit, privatam tamen benedictionem more Episcoporum per vias minime dare potest, ut respondit Sacra Congregatio Rituum Provinciae Burgensis, die XXIV Augusti, anno MDCIX, teste Barbosa Lib. I *Juris Ecclesiastici universi Cap. XXVII Num. LI.* Id quod consentaneum est Decretali Alexandri IV relatae in Cap. III *De Privilegiis in VI.*

CAPUT IX.

DE BENEDICTIONE ABBATISSAE.

I. Abbatissa Superior est, quae Virginibus Deo in monasterio dicatis praeest. Quamquam Abbatissas Episcopi benedicere consueverint, admonendum hic tamen videtur, Abbatissas exemptas et Abbatibus subjectas, quae per consuetudinem solitae sunt benedictionem accipere, ab eisdem esse benedicendas. Ceterum Abbatissae benedictionem fieri posse a Presbytero, expressum quidem habetur in Capitulo Theodori Archiepiscopi Cantauriensis Num. II: *Presbyter,* inquit, *potest Abbatissam consecrare cum Missae celebratione.* Ubi nota, veterem fuisse ritum, ut nonnisi cum Missae Sacrificio, quam ipsa audiret, benedictio Abbatissae perageretur. Docent passim Doctores, non omnes Abbatissas teneri benedictionem suscipere, sed inspiciendam esse Monasterii consuetudinem, XL annorum spatio roboratam. Varias rationes propter quas Abbatissa benedici solet, egregie complexus est Humbertus de Romanis, quintus Ordinis Praedicatorum Generalis Magister. Is auctor praeclarissimus, Lib. II *De modo prompte cudendi Sermones*, Cap. XXXVII de solemni benedictione Abbatissae disserens, inter alia ita scribit: *Ideo ultra consecrationem Virginum datur ei specialis benedictio, postquam electa fuerit in Abbatissam, ut ipsa*

supergrediatur universas. Item onus custodiae animarum est tantum, quod est ipsis angelicis humeris formidandum. Item hujusmodi praelatio requirit occupationem non solum circa spiritualia, sed etiam temporalia, in qua de facili declinatur a bono. Et ideo bene est necessaria gratia Abbatissae, ut ejus adjutorio melius resistere possit diabolo, et onus praedictum melius portare, et inter occupationes mundanas melius se custodire a malo. Praeterea ad eam, quae praeest, pertinet fortiter in multis agere, prudenter subditas edocere, sanctitatis exempla in se monstrare: et ideo bene est Abbatissae gratia necessaria, per quam contra naturam sexus sui reddatur fortis et prudens et sancta. Porro virtute benedictionis creditur quod datur abundantia gratiae; et ideo cum Abbatissa tot indigeat gratiis, bene ordinatum est ab Ecclesia, ut benedicatur.

II. Recitata professionis formula, et ea Episcopo tradita ab ipsa Abbatissa, dicuntur Litaniae. Ut autem videas, quam antiquus sit ritus dicendi Litanias in benedictione Abbatissae, mandat vetus Ordo Romanus, ubi agit de benedictione Abbatissae, monasticam regulam profitentis, *ut post antiphonam ad introitum, prosternat se Electa ante Altare retro Episcopum cum duabus, vel tribus de sororibus suis, fiantque ibi Litaniae.* Litaniis recitatis, Electa adhuc prostrata manente, dicit Episcopus ex veteri Ecclesiae instituto, *Pater noster*, una cum quibusdam versiculis, et orationibus, uti videre est in Ordine antiquo Romano *de Ordinatione Abbatissae.* Attamen admonendum est manus impositionem super Abbatissae capite nullum eidem imprimere characterem, vel spiritualem potestatem tradere, sed esse tantum meram ac nudam caeremoniam, in qua Episcopus orat cum Ecclesia, ut electa Abbatissa Monialium familiae sibi creditae pie et sancte invigilet. Abbatissam adipisci ex sua benedictione dignitatem, liquido constat non modo ex vetusta Oratione quae incipit: *Deus, cui omnis potestas*, verum ex Capite *Indemnitatibus De Electione in VI.* Orationes *Domine Deus Omnipotens, qui sororem Moysi; Concede quaesumus; Omnium Domine fons, Deus cui omnis potestas* etc. extant in antiquo Ordine Romano. Porro

in hisce orationibus orat Deum Episcopus, ut Abbatissa Monialium familiam sibi creditam exemplo vitae ac bonorum operum instruat: *In omnibus*, inquit S. Cesarius in Epistola ad Oratoriam Abbatissam, relata in Aquisgranensi Synodo anni DCCCXVI Libro II Cap. VII *juxta Apostolum, temetipsam praebe exemplum bonorum operum; vitaque tua, velut pennatum animal ad altum semper per desiderium evolet, per verbum resonet, luceat per exemplum.*

III. Regulam Abbatissae in sua benedictione traditam, non modo recentiores, sed et pervetusti Libri Rituales docent. In plerisque libris manuscriptis Pontificalibus, ut Arelatensi et Senonensi, immediate post regulae traditionem, dari etiam Baculum Abbatissae consuevisse constat. Praeter allatos Pontificales, usas jam olim fuisse Abbatissas Baculis, sive ex veteri consuetudine, sive ex privilegio Apostolicae Sedis, testantur non semel Scriptores Ecclesiastici. Quod spectat ritum osculandi manum Episcopi, cum ipsi tradit Abbatissa cereos, non est quod sugillare possit quispiam, licita enim feminis fuere semper manuum sacrarum oscula ex testimonio atque exemplo Sanctorum Patrum. Juxta ritum Pontificalis Ecclesiae Arelatensis in eo Titulo, qui inscribitur: *Ordo ad Abbatissam faciendam*, post traditionem Regulae et Baculi, Episcopus incipiebat: *Te Deum Laudamus;* statuebatque eam in statione, vel loco, qui Abbatissae in Choro deputatus erat, dicendo: *Sta in justitia, et sanctitate; et retine locum a Deo tibi delegatum; potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam.* Cum vero ad secundum versum ventum fuerat, ubi dicimus, *Te aeternum Patrem*, incipiebant eam osculari Sorores Congregationis, et quidem per ordinem, petentes reverenter veniam.

CAPUT X.

DE BENEDICTIONE NOVAE CRUCIS.

I. Ab initio nascentis Ecclesiae (1) nedum Crucis signatione usos Christianos fuisse, sed et Crucis Imagi-

(1) Vide opus nostrum cui titulus: *Antiquitatum Christianarum Institutiones*, T. II Lib. IX Cap. IV.

nem pinxisse, ac religiosa adoratione coluisse, fuse apprime pii et eruditi Scriptores demonstrarunt. Nos ex eisdem nonnulla seligemus, quae viam sternant ad hoc caput illustrandum. Quod persecutionis tempore prisci Christiani Cruces haberent easque venerarentur, dilucidissime ostendunt Trombellius, et Gretserus. Et re quidem vera aetate Tertulliani, qui ab Apostolicis temporibus parum abfuit, habuisse et coluisse Christianos Crucis imagines, satis liquido perspicitur ex *Apologetico* Libro, quem Tertullianus contra Ethnicorum criminationes doctissime conscripsit. Cessata persecutionis procella, non modo populi, sed et Reges ac Principes salutaris Crucis signo maximam semper ac ubique reverentiam et venerationem exhibuere. S. Joannes Chrysostomus, ut alios omittam Patres, fuse ac egregie de antiquo ac religioso Crucis usu apud Christianos disserens, tum multis in locis, tum in *Homilia,* in qua Jesum Christum probat esse Deum, Cruci delatum honorem omnium consensu fidelium trahit ad Divinitatis illius adstruendam fidem. Quod Cruces in Altaribus antiquitus collocarentur, probata res est. Egregius porro est in hanc rem Sozomenus *Hist. Eccl.* Lib. III Cap. 3, ubi narrat Probiano cuidam, qui ex ethnico Christianus factus, Crucis tamen virtutem non admittebat, oblatum per visionem fuisse *Crucis signum, seu effigiem, quae in sacro ejus Ecclesiae Altari collocata erat.* Illud tamen notandum, Crucem in summo Altarium fastigio collocari consuevisse, quae idcirco Cruces *pendentes* et *pendulae,* penes Anastasium Bibliothecarium aliosque, dictae sunt. Consueverunt praeterea Majores nostri non modo in Templis Cruces pingere, et super Altaribus collocare, sed etiam ipsas coronis instruere. Testes sunt ejus consuetudinis antiquissimi Ecclesiae Patres. Tales Cruces saepe repraesentantur nobis in nummis antiquis, cui coronae addebantur, interdum Apostolorum, vel aliorum Caelitum effigies. De hujusmodi Cruce coronata loquitur S. Paulinus illis versibus:

Crucem corona lucido cingit globo:
Cui coronae sunt corona Apostoli.

Praeterea sub Cruce pingebatur agnus coronatus, typus videlicet Salvatoris. Non satis fuit veterum pietati Cruces in templis pingere et statuere, ipsas insuper Ecclesias in speciem Crucis conformabant. Templum Apostolorum Constantinopoli in modum Crucis extructum fuit.

II. Quod denique ritum benedicendi Crucem spectat, de quo nobis in praesenti agendum est, videtur et ipse suam a temporibus Apostolorum trahere originem, si qua fides Decreto Pii Papae I. In eo siquidem Decreto legitur: *ut qui pejerat in manu Episcopi, aut in Cruce consecrata, tres annos poeniteat; si vero in Cruce non consecrata, annum unum poeniteat.* Meminere hujus Decreti non modo Ivo Carnotensis Episcopus, Parte XII Cap. LXII; Burchardus Episcopus Wormatiensis, Lib. XII Cap. V; et Gratianus, in Can. *Qui pejerat* XXII Quaestione V; sed et in suo Poenitentiali Theodorus, qui floruit VII Christi saeculo. Sed his omissis, primus ritus, qui olim ad benedicendam Crucem ex antiquo Romano Ordine servabatur, fuit profecto Benedictio salis et aquae, deinde Litania, tum vero duae orationes in nostro Pontificali descriptae, in quo etiam, sicut et in ipso Ordine Romano et in aliis Pontificalibus pervetustis, legitur ad ipsam Crucis Benedictionem longa praefatio, ac aliae orationes, et non modo aqua benedicta aspergitur Crux, verum incensatur. Orationes *Benedic Domine*, et *Rogamus te Domine*, quae ab Episcopo dicuntur pro Benedictione novae Crucis, extant in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, in Pontificali Anglicano Monasterii Gemmeticensis, et in pluribus aliis. Quoad Praefationem dicendam hanc ab Episcopo mediocri voce, et quidem super Crucem, cautum est ex manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali. Vetus autem Ordo Romanus mandat ut ipsam Praefationem, quam vocat Consecrationem, dicat Episcopus alta voce. Compacta est ex variis sacrarum Litterarum sententiis, qualis est illa, *Sanctum, ac terribile nomen*, desumpta ex Psalmo CX versiculo 9 et alia quae paulo post legitur, *ligna quoque fructifera laudare, ac benedicere* etc. desumpta ex Cantico trium puerorum apud Danielem Prophetam, Cap. III. Aliae duae Orationes *Deus qui beatae Crucis patibulum*, et *Sanctifica Do-*

mine etc. extant in Ordine antiquo Romano, in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi et in aliis multis. Notanda nunc sunt primae orationis verba, quibus dicitur Crucis patibulum, quod prius erat scelestis ad poenam, conversum a Christo fuisse redemptis ad vitam. Certe in honorem Crucis Christi, qua stygium hostem vicit, et a potestate ipsius homines liberavit, supplicium Crucis, quod apud Romanos et alios populos ignominiosum, servile et frequens erat, ut ex Plauto, Horatio, Cicerone, Seneca, et aliis colligere licet, Constantinus Magnus Lege lata prohibuit, teste Sozomeno Lib. I *Historiae*, Cap. 8 Nicephoro Lib. VII Cap. 46 et aliis. Quod et usu receptum fuit, poenaque illa omnino sublata. Consueverunt alicubi benedici Cruces, non modo suffitu incensi et aspersione aquae benedictae, sed etiam sancti olei unctione.

III. Itaque statim ac benedicta est Crux, adoranda est ab eo qui benedixit, et osculanda in signum venerationis et cultus, qui ei debetur. Et quidem Crucem ipsam recte a fidelibus adorari, probat perpetua Ecclesiae traditione observata consuetudo, ut recte inter alios Theologos Gulielmus Estius, sequutus Theologorum omnium principem S. Thomam, notavit Lib. III Sententiarum, Distinctione IX § III ubi etiam varia Patrum testimonia recenset; sed illud potissimum, quod in Ecclesiae Canticis auditur: *o Crux adoranda*; et quod in antiquo carmine legitur Lactantio attributo:

Flecte genu, lignumque Crucis venerabile adora.

Quod latriae cultus Cruci sit exhibendus, hisce plane argumentis demonstratur. Primo quia Ecclesia Crucem Christi vocat spem nostram unicam, et ab ea gratiam, et peccatorum remissionem expectat, *O Crux ave spes unica*. Et mox: *Piis adauge gratiam, reisque dele crimina*. Tale est et illud Apostoli in Epistola ad Galatas, Cap. VI: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi*. Secundo quia in Officio ecclesiastico ex antiquo ritu cantantur et alia nonnulla, per quae latriae cultus Cruci deferri videtur. Vocatur enim *Vitae lignum*; *mortis remedium*; *spes et victoria Christianorum*, aliisque ejusmodi Divinis titulis honoratur. Tertio quia testantur S. Joannes Damascenus et alii pur-

puram et diadema Regis eodem honore cum Rege adorari, licet haec non subsistant in eadem hypostasi cum Rege Igitur et Crux Christi, licet Christo non sit conjucta hypostatice, eadem cum illo adoratione colenda erit. Quod autem Crux ipsa, sive simplex sit, sive cum Crucifixi imagine, sicut et aliae imagines sacrae, si vetustate corrupta fuerit et reparari non possit, absumenda sit igni, et cineres in Sacrarium projiciendae; deduci potest ex celebri Canone, *Ligna*, et Canone *Altaris*, *De Consecratione* Distinctione I. Quibus adde quod eamdem rem statuit S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi IV Capite inscripto: *De sacris Reliquiis, Miraculis et Imaginibus.*

IV. Materia, seu subiectum hujus benedictionis est quaelibet Crux, ex quavis materia decenti confecta, et apta ad repraesentandam Crucem Christi. Formula ejusdem benedictionis habetur in Pontificali et Rituali Romano. Minister est Episcopus, vel Sacerdos de ejus licentia. Tandem causa finalis est repraesentatio mysteriorum crucifixionis Jesu Christi, et excitatio fidelium ad adorandam et amplectendam Crucem, exemplo Salvatoris. De Mysteriis et documentis, quae continentur in saluifera et sanctissima Cruce Christi Domini luculente scripserunt quamplures auctores, quae omnia valde prolixum esset hic recensere; quare solum breviter hic adnotabimus ea, quae ex Sanctis Patribus erudite collegit S. Thomas III parte quaest. XLVI art. IV ubi quaerens an Christus debuerit pati in Cruce, sapienter suo more explicat praecipua Crucis mysteria. Primo ergo Christus Dominus convenientissime elegit Crucem in instrumentum praecipuum, magisque insigne suae passionis et mortis, ut hoc medio tamquam Caput Martyrum suos discipulos omnesque alios futuros Martyres animaret ad tolerantiam quarumvis passionum et cujusvis generis supplicii, etiam summi opprobrii et doloris, quale est supplicium Crucis, atque suo exemplo redderet eos impavidos. Secundo voluit Christus per Crucem genus humanum redimere, ut satisfactio esset conveniens, et proportionata culpae primi parentis nostri Adae, et eisdem armis diabolum vincere, quibus ipse primum hominem laeserat, ligno

scilicet eum superaret, qui in ligno vicerat. Tertio super Crucem ascendit Christus, ut sic nobis ascensum pararet ad caelum per Crucem, tamquam per scalam firmissimam atque tutissimam, uti notavit S. Joannes Chrysostomus relatus a Sancto Thoma loco citato: *Quotquot praeordinati sunt ad gloriam, virtute Crucis elevantur in caelum.* Quarto demum super Crucem ascendit Christus, tamquam super Cathedram verae sapientiae et Christianae perfectionis. Unde S. Augustinus *Tractatu IX in Joannem* sic inquit: *Lignum, in quo fixa erant membra patientis, Cathedra fuit Magistri docentis*, id quod fusius citato loco S. Thomas explicat.

CAPUT IX.

DE BENEDICTIONE TABERNACULI SEU VASCULI PRO SACROSANCTA EUCHARISTIA CONSERVANDA.

I. Fuit et vetus mos, ut (1) in columbis aureis argenteisve super Altare appensis divina Eucharistia asservaretur, uti videre est in Concilio Constantinopolitano sub Menna anno DXXX habito, et in Oecumenica Sinodo VII itemque in Vita S. Basilii Magni, auctore Amphilochio Iconii Episcopo. De hujusmodi columbis, et earum in Ecclesiis Orientis usu celebre extat in V Synodi actione I testimonium. Etiam istas columbas in usu fuisse in Ecclesia Occidentali, multis allatis veterum Latinorum Scriptorum testimoniis probari posset. Legitur in Testamento Perpetui Episcopi Turonensis, legasse ipsum *Amalario Presbytero capsulam unam communem de serico, item peristerium et columbam argenteam ad repositorium. Peristerium* ciborium erat, seu Tabernaculum, in cujus cavo appensa erat columba, ex qua pendebat pyxis sacram Eucharistiam continens. Tabernaculum, seu Ciborium illud hodie dicitur, in quo vasculum, seu Pyxis cum divina Eucharistia asservatur. Pyxis porro variis nominibus a Lati-

(1) Catalano, *Pontificale Romanum Commentariis illustratum*, Pars secunda Titulus XVIII; Novarinus, *De Agro Eucharistico*, Liber V Caput LV.

nis et Graecis appellatur. Et primo a Latinis *novum Sepulchrum Corporis Christi*, uti legitur in Missali Francorum. Vocabatur etiam *Conditorium*, ut in primo pervetusto Romano Ordine a Mabillonio edito legitur. In Anglicano Monasterii Gemmeticensis Pontificali, et in aliis quoque Pontificalibus, ubi de illius benedictione agitur, *Eucharistiale Vasculum* nuncupatur. Neque solum iis nominibus, sed etiam *Turris* hujusmodi vasculum jam olim dici consuevit, ejusque rei testis est luculentissimus S. Gregorius Turonensis in Libro de Gloria Martyrum Cap. LXXXVI. Hanc etiam *Buxidam* vocant Ratherius Veronensis, in Synodica ad Presbyteros suae Dioecesis; Paulus Diaconus, in Vita S. Gregorii Magni Cap. I; et Petrus Damiani, Lib. V, Epistola 21. Aegídius Menagius in Etymologia *Buxidam a Buxo* derivat, quo *Pyxides* inquit, seu *Buxidae* proprie dicuntur de Vasculis e buxo, quia olim etiam fuerint hoc ex ligno confectae, et certe non semper ex argento. Et sane in Vita S. Ansegisi Abbatis Fontanellensis saeculi IV Benedict. part. I pag. 633 *Pyxides eburneas* duas legimus. Graeci vero sacrum istud repositorium Eucharisticum vocant *pixion*, uti ex Pachimere Lib. VII Cap. 13 et 28. In Euchologio *Artophorion* vocatur.

II. In plerisque Ecclesiis illud antiquitus fuit in more, ut *Pyxis*, vel vasculum, in quo erat sacrosancta Eucharistia, in Armario poneretur, et quidem erecto in medio Altaris ad basim Crucis. Id enim perspicue evincitur ex Canone tertio Concilii Turonensis II *Ut Corpus Domini in Altari non in Imaginario Ordine, sed sub Crucis titulo componatur*. Quamquam vero olim multae Ecclesiae Tabernacula in medio Altari haberent mirabili arte constructa, ac lapidibus pretiosis ornata, cujusmodi multa hodieque Neapoli visuntur; fuit nihilominus alicubi consuetudo, ut in pariete Altaris Eucharistia asservaretur. Benedicebat jam olim Episcopus vasculum in quo Eucharistia reconditur, ubi Ecclesiam dedicabat, uti ex Ordine antiquo Romano liquet. Agens enim de ipsa Dedicatione Ecclesiae, idest de ritu eam benedicendi, inter aliarum suppellectilium sacrarum Benedictiones, legitur Praefatio *Vasculi*, in quo Eucharistía reconditur. Juxta Rubricas Missalis,

debet Pyxis consecrari, sed advertendum, ex Gavanto Tom. I part. I tit. 2 num. 3, nomine consecrationis hic venire simplicem benedictionem sine unctione. Pyxis debet esse aurea vel argentea, et quidem inaurata, ut docet Gavantus, quae loco pallae cooperiri debet proprio operculo, quod habeat in summitate parvam Crucem: cooperienda tamen est velo, et quidem pretioso, taliterque elaborato, ut ipsi Pyxidi bene aptetur. Rursus in antiquo Romano Ordine praeter benedictionem Vasculi, in quo Eucharistia reconditur, alius extat ritus, quo Ciborium benedicebatur, idest umbraculum Altaris. Etsi itaque hodie appellationem Ciborii passim sacrae Pyxidi, vel Tabernaculo, in quo ipsa includitur, vulgares Librorum Ritualium editores applicent; constat nihilominus, Ciborium olim nihil aliud fuisse, quam Conopeum Altaris, sive umbraculum, quo Altare obtegebatur, quodque in forma turriculae erectum quatuor in columnis ad Altaris cornua exurgentibus incumbebat. Neque vero solum Pyxis, verum etiam Tabernaculum Altaris, in quo Pyxis ex vetustissimo Ecclesiae more asservari solet, benedici etiam prius debet, uti constat ex plurimis Pontificalibus, et prisco Ecclesiae usu, quibus inhaerens S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi VI Capite *De Sacramentalibus* sic inter alia statuit: *Sacra preoe ex formula Libri Pontificalis Tabernaculum etiam ligneum, in quo Sanctissima Eucharistia recondatur, ante benedicatur, quam ad illius recondendae usum adhibeatur*. Similia legere est in aliis Conciliis recentioribus multis Provincialibus, pariter et Dioecesanis in quibus et Tabernaculi in quo Pyxis ad Sacratissimam Eucharistiam asservandam, benedictio ab Episcopo, vel ab alio facultatem habente facienda praescribitur. Peccaret itaque Sacerdos, si contra ritum in antiquis recentibusque Pontificalibus, Ritualibus, Missalibus, atque Conciliis praescriptum, Pyxidem adhiberet non prius rite benedictam pro consecrandis particulis.

III. Quemadmodum optimo nec satis laudabili consilio ab Ecclesia praescriptum fuit, ut in decenti nobilique juxta loci qualitatem Tabernaculo recondatur, asserveturque perpetuo Sacramentum illud Euchari-

sticum, in quo divini erga homines amoris divitiae effunduntur, sic prudentissime pari modo cautum fuit, ne in memorato Tabernaculo ullae Sanctorum Reliquiae asserventur, vel Sacrorum Oleorum vascula, vel Calices ulli, vasa aliudve quidquam simile, quam Pyxis, quae Sacramentum Eucharisticum contineat. Ante Tabernaculum, in quo Christus Dominus ac Salvator noster sub Eucharisticis speciebus asservatur, una ad minimum lampas diu noctuque collucere debet, in perenne videlicet amoris signum, quo Reparatorem nostrum infinite nos amore prosequentem redamamus. Est et aliud Tabernaculum, quod Divus Carolus Borromaeus in Actis Ecclesiae Mediolanensis appellat *portatile*, vulgo autem *Ostensorium* appellatur. In Concilio Coloniensi et apud alios Scriptores istud Tabernaculum portatile *Monstrantia* dicitur; alicubi vero appellatur *Sphera*. Debet hujusmodi Tabernaculum, seu Ostensorium benedici, antequam exponendae Eucharistiae, vel agendis Processionibus usui sit, quemadmodum inter ceteros docet Catalano in Pontificale Romanum, Pars Secunda, Titulus XVIII § XXVII in fine ubi ait adhiberi ad id posse illam benedictionis formam quae in Titulo Decimoctavo *De Benedictione Tabernaculi pro Sacrosancta Eucharistia* est descripta.

CAPUT XII.

DE BENEDICTIONE IMAGINUM ET ALIORUM SANCTORUM.

I. Sacras Jesu Christi Domini (1), Deiparae Virginis, atque aliorum Sanctorum Imagines consuevisse (2) a Christianis jam olim depingi et in Ecclesiis haberi, affirmant constanter antiqui Scriptores. Sacrarum igitur Ima-

(1) Vide opus nostrum cui titulus: *Antiquitatum Christianarum Institutiones*, Volumen secundum *De Sacris Imaginibus* Caput I; et Trombelli., *De Cultu Sanctorum*, Dissertatio VII Caput II et seqq.

(2) Molanus, *De Sacris Imaginibus* Cap. I et seqq.; Ayala, *Pictor Christianus*, Cap. I et seqq.; Fronto, *De Cultu Sanctorum*, Cap. I et seqq.; Catalano *Pontificale Romanum Commentariis illustratum*, Pars tertia, Titulus XVI.

ginum cultus non est hic a nobis probandus: satis erit nonnulla indicare quomodo Imagines dipingi debeant. Pie et laudabiliter Sanctissima Trinitas pingitur, et imagines ejus quae ab Ecclesia approbantur, sunt illae quae Deum Patrem repraesentant forma Senis, in cujus sinu est Jesus Christus, et inter utrumque Spiritus Sanctus forma Columbae; vel illae, in quibus repraesentantur seorsum Deus Pater forma Senis, seorsum Christus, sed propinqui ambo et inter utrumque Spiritus Sanctus forma Columbae, uti bene adnotavit Cardinalis Capisucchius *in Controversiis Theologicis de Cultu Sacrarum Imaginum* § II. Aliqui Heterodoxi docuerunt nec Deum Patrem, nec Sanctissimam Trinitatem in picturis repraesentari debere. At si forma hominis se Deus conspiciendum exhibuit Adamo, ut habetur Gen. Cap. III v. 8; si scalae innixus apparuit Patriarchae Jacob, et Moysi, uti legitur Gen. Cap. XXVIII v. 13 et Exod. Cap. XXXIII v. 23; si tamquam Regem throno insidentem se exhibuit Isaiae Cap. VI v. 1; si Aeternus Pater, ut habetur Daniel Cap. VII v. 9. Danieli apparuit forma Senis vestibus albis induti, capillis tamquam lana munda, et super thronum ignis: si denique Spiritus Sanctus in forma Columbae supra Jordanem visus est, ut habetur Matthaei Cap. III v. 16, nemo est qui non videat, recte posse Deum pingi eis formis, quibus apparere dignatus est, et etiam illis, quibus, eo quo possumus modo, ejus majestatem et omnipotentiam ob oculos ponamus.

II. Quoad Imaginem Salvatoris fecere aliquando veteres illi Pellicanum, qui vulnerans sibi rostro pectus elicit sanguinem. Pinxere nonnunquam agni figura Salvatorem, diademaque et vexillum addidere, ut intelligeretur, agnum hunc esse illum occisum simul et redivivum, qualis imago apud antiqua Coemeteria spectata est. De antiquo more Christum pingendi sub Agni specie multa erudite collecta legi possunt apud Buonarroti in opere: *Osservazioni sopra i vetri Cemeteriali*. Vidimus etiam pictum hominem figura Salvatorem, sublata in collum ovicula, talemque Imaginem fuisse arbitramur eam, de qua apud Tertullianum Lib. *De Pudicitia* Cap. VII mentio est, eaque Imago in sa-

cris Calicibus picta fuit. Nec in Calicibus tantum picta fuit agni figura, sicuti Tertullianus idem tradit, ut sic indicaretur, reperisse Christum oviculam, quae perierat, sed etiam Episcoporum Palliis intexebatur. Mysteria, et Symbola, sive notae, quae designandae Virgini Sanctissimae adhibentur, retineri debent, ejusque persona quanta maxima fieri et excogitari possit majestate pingenda est. Angeli in humana specie legitime pinguntur, cum in humana forma apparuerint iis, ad quos missi sunt a Deo, idque confirmat Epistola Nicolai I Pontificis ad Michaelem Augustum. Alae ad velocitatem indicandam adduntur. Vestes Angelorum pinguntur vel ad lini similitudinem, sicut in Ezechiele Cap. IX vel sacerdotali habitu, sicut in Apocalypsi, vel colore lapidis, sicut in eadem Apocalypsi. Quod si germanae et verae Sanctorum effigies haberi non possint, insignia saltem eorum retinenda erunt, quae vel e Sacris Litteris, vel ex communi Historia vitisque Sanctorum desumpta sunt, vel Ecclesiae auctoritate recepta.

III. Quod Imagines (Sanctorum) quoque auro et argento conflatae super Altare collocari solerent, abunde nos docet in vitis Romanorum Pontificum Anastasius Bibliothecarius. In vita Sixti Papae III ait quidem Valentinianum Augustum hortatu illius obtulisse Imaginem auream, et Apostolos duodecim; et Salvatorem gemmis pretiosissimis ornatum, voti gratia, super confessionem Beati Petri Apostoli posuisse. Rursus de Leone IV testatur, varias Imagines argenteas, quas olim super Altari locabantur, Ecclesiis donasse. Quamobrem recte observat Georgius Cap. XXIX *Disquisitionum de sacro Ministerio,* quias praefixit Libris *De Liturgia Romani Pontificis,* quae adhuc etiam imagunculae, effigies, et thoracei vultus Sanctorum auro, et argento fusi super Altari diebus festis ponuntur, a priscis Ecclesiae moribus originem trahere. Sanctorum Canonizatorum Imagines cum radiis et diademate pingendae sunt, in signum gloriae quam habent in caelis, juxta doctrinam Divi Thomae *in Suppl. 3 part. quaest. 96 art. 1 in corpore.* Mandant praeterea Tridentini Patres, aliaeque passim Synodi postea habitae, tantam circa Imagines diligentiam et curam ab Episcopo esse adhibendam, *ut*

nihil inordinatum, aut praepostere, et tumultuarie accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat, cum domum Dei deceat sanctitudo.

IV. Insuper quod nostram rem spectat, cautum est ex Concilio IV Mediolanensi, cui praefuit S. Carolus, *ut Cruces, et Sanctorum Imagines solemniter, statisque precibus, ex Ecclesiae ritu benedicantur*. Ubi nota, ejusmodi benedictionem ritum Ecclesiae appellari. Patres Concilii Bituricensis anni MDLXXXIV Tit. XI expresse praecipiunt, *ut benedicant Episcopi novas Imagines*. Quibus adde Concilium Beneventanum XIV a Vincentio Cardinale Ursino Beneventanae Ecclesiae Metropolita, Tit. XXXVIII Cap. III in quo praescriptum est, ut *Imagines Altaribus, et Capellis non apponantur, nisi prius ab Episcopo, vel de ejus facultate stato ritu benedicantur*. Quibus verbis sat docet, de licentia Episcopi posse alios inferiores Sacerdotes Imagines benedicere; id quod passim docent Theologi et Canonistae, inter quos vide Paulum Mariam Quarti in Libro: *De Benedictionibus*, et Jacobum Pignatellum Tom. IX *Consultationum Canonicarum Consultatione LXXXVI*. Porro ex dictis huc usque duo praesertim addiscimus: Primum quidem, non posse publice in Ecclesia exponi aliquam Jesu Christi, Sanctorumve Imaginem pictam sculptamve, quae prius examinata et approbata ab Episcopo non fuerit: Alterum illud est, decere quam maxime, imo pene esse necessarium, ut sacrae Imagines saltem in Altaribus collocandae benedicantur. Id enim praescribunt non quidem privati auctores; sed variae Synodi Provinciales, Dioecesanaeque complures, itemque Rituales Codices passim.

V. Oratio *Omnipotens sempiterne Deus* quae adhibetur ad benedicendas Imagines, extat in manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali, et in editis ante Clementem VII Pontificalibus. Extant praeterea in aliis Pontificalibus aliae orationum formulae ad benedicendas Imagines Sanctorum. Notanda sunt illa Orationis verba, quibus docemur, admitti quidem a Deo Sanctorum Imagines, *ut quoties illas oculis corporeis intuemur, toties eorum actus et sanctitatem ad imitandum, memoriae oculis meditemur*. Est una haec ex multis uti-

litatibus quae habentur ex usu sacrarum Imaginum : *Excitatio* scilicet *ad imitandum*. Explicatur prolixe haec utilitas in VII Synodo, actione VI de eaque egregie loquitur S. Basilius Oratione in quadraginta Martyres. Recte admodum Catholica Ecclesia non modo in generali Nicaeno II; sed et in variis Synodis jussit, eas potissimum observandas esse Imagines, quae ad poenitentiam, et peccatorum detestationem ipso visu nos movent. Quare cum ex avaritia et habendi studio aliquis rapitur, Matthaeum ex telonio Apostolum illi indicant, qui relicta avaritiae insania, Jesum Christum secutus est. Apud Sanctos Patres testimonia passim invenies, quibus magis magisque haec Sacrarum Imaginum utilitas comprobatur. S. Gregorius Nyssenus in Cantica de se profitetur, magnam vim lacrymarum profudisse, cum depictam Abrahami historiam vidisset natum suum multo jucundissimum immolare conantis. Asterius quoque pie collacrymatus est, cum in Templi cujusdam pariete contueretur Euphemiam, Dei amore vitam suam in acerbo cruciatu ponentem. Extant haec et alia id genus exempla in II Nicaena Synodo. Innumera pène beneficia per religiosum cultum sacrarum Imaginum a Deo impetrata, passim narrant Scriptores Ecclesiastici, praesertim vero Bollandiani in Vitis Sanctorum

VI. Finita Benedictione, Sacerdos sicut in aliarum rerum Benedictionibus ex antiquissimo ritu fieri solet, Imagines aqua benedicta aspergit. Praeter aspersionem aquae benedictae, consuevisse Imagines ipsas etiam incensari, probari posset ex variis Ritualibus etiam recentioribus, quale est *Sacerdotale* editum an. MDLXVIII ubi Parte II Capite VII agitur de Benedictione Imaginis. Mandat enim, ut terminata Oratione, *ultimo aspergantur aqua benedicta, et thurificentur*. Ut nihil desit, quae ad disciplinam sacrarum Imaginum attinet, sciendum est, ex praescripto variorum Conciliorum tum Provincialium, tum Dioecesanorum, Imagines sacras vetustate corruptas, si reparari non possint, comburi debere, et cineres in Sacrarium projici. Id quidem statuit Concilium Provinciale Beneventanum Vincentii Cardinalis Ursini, qui postea fuit Benedictus XIII Pontifex

Maximus, Titulo XXXVIII Cap. IV, argumento ducto a Canone *Ligna*, et Can. *Altaris*, *de Consecratione*, *Distinctione I.* Idipsum jam ante decreverat S. Carolus Borromeus in suo Provinciali IV Mediolanensi Concilio, Cap. II *De Sacris Reliquiis*, *et Imaginibus*.

CAPUT. XIII.

DE BENEDICTIONE CAPSARUM PRO RELIQUIIS INCLUDENDIS.

I. Quamvis in omni fere Ecclesiae saeculo (1) haeretici non defuerint, qui nihil esse detestabilius dicerent, quam Sanctorum vita defunctorum exuvias colere; Sancti nihilominus Ecclesiae Doctores ac Patres, sacraeque Synodi ipsorum semper impietatem confutarunt. Late id quidem Theologi ostendunt, et eruditi Canonici Juris interpretes in Titulum Decretalium, qui inscribitur: *De Reliquiis, et veneratione Sanctorum.* Quanto in pretio essent apud primos ipsos Christianos, inde liquet, quod vivente adhuc Apostolo, illius *sudaria* et *semicinctia* studiose illi querebant, quorum virtute et morbi curabantur, et spiritus nequam a corporibus obsessis egrediebantur, ut testantur Acta Apostolica Cap. XIX. Mos ille apud antiquos etiam servabatur, ut brandeis quibusdam Sanctorum Reliquiae involverentur; erant eaque vela, seu pallae sericae, aut lineae, quae venerandis Sanctorum Lipsanis applicatae, Christianis, tamquam ipsorum Sanctorum Reliquiae dispertiebantur. Fuit et olim mos, ut sacrae Reliquiae in aureis, argenteisve capsis includerentur; non enim licitum erat ipsas Reliquias extra capsas oculis hominum exponere, uti constat ex Cap. LXII Concilii Lateranensis IV quod relatum est in Capite *Cum ex eo — De reliquiis, et veneratione Sanctorum.*

II. Sed ut quod nostri est instituti, prosequamur, *capsa est arcula*, seu *repositorium.* Proprie autem hic significat arcam, in qua Sanctorum Reliquiae reconduntur, aliisque etiam nominibus appellari solet in duobus his-

(1) Catalano, *Pontificale Romanum Commentariis illustratum. Tit. XIX.*

ce versiculis contentis, quos edidit Joannes de Garlandia in *Synonymis:*

Dic arcas, thecas, cistas, vel scrinia, capsas:
Capsula, capsella, de capsa diminuuntur.

De hujusmodi *capsis* sacras Sanctorum Reliquas continentibus faciunt passim mentionem antiqui non modo Scriptores Ecclesiastici, sed etiam Sancti Patres. Huiusmodi capsas censueverunt fideles auro, argento, ac gemmis ornari; uti videre est apud Eginardum Libro II *De translatione Reliquiarum SS. Martyrum Marcellini, et Petri*, Capite IX. Plura de eadem re testimonia passim invenies apud Bollandianos. Quod insuper talium capsarum benedictionem spectat, antequam in ipsis sacrae Reliquiae recondantur, ritus est Ecclesiae pervetustus, eumque renovavit S. Carolus Parte IV Actorum Ecclesiae Mediolanensis, *Instructionum Fabricae Ecclesiasticae*. Cap. XVI. Neque vero temere in thecis loculisque, seu capsis includendae sunt sacrae Reliquiae, et venerationi fidelium exponendae, nam prius diligenter examinari et approbari ab Episcopo debent, servato praesertim Concilii Tridentini Decreto Sessione XXV *De Invocatione, veneratione, et Reliquiis Sanctorum*. Inter caetera Episcopalis sollicitudinis munera, illud etiam est, quod, Ecclesiastica nomenclatura, dicitur authenticare Reliquias. De observandis ab Episcopo in authenticandis Reliquiis praeclarissimam Dissertationem adornavit Andreas Hieronymus Andreuccius.

III. De loco in quo sacrae Reliquiae debent conservari, regula generalis est ut sancta Corpora insignesque Reliquiae, nec non Corporis pars, in qua Martyr passus est, si tamen integra sit, nec collocentur in privatis aedibus, nec apud laicos homines sed in Ecclesia. Ab hac tamen regula excipiuntur magni Principes, et praecipue Ecclesiae Praesules, cum quibus Sedes Apostolica liberalius agere censuevit; et ab eadem pariter prohibitione excipiuntur Reliquiae minus insignes, quas fideles in suis privatis aedibus, sed in loco apto et decenti conservare possunt, uti legitur in litteris Apostolicis Clementis Papae X. Haec sancta cor-

pora insignesque Reliquiae non possunt reponi in arca quae super Altare exponatur, sed vel sub terra, vel intra Altaria, super quae Sacrificium Missae celebratur; partesque sacri corporis aut Reliquiarum non admodum grandes in *Reliquiariis* clauduntur, ut in eorumdem Sanctorum Festis, aliisque solemnitatibus populorum venerationi exhibeantur. Usus collocandi Sanctorum corpora intra Altaria, super quae Sacrificium Missae celebratur, ritus est sane antiquissimus. In vita S. Felicis 1 Romani Pontificis, qui mortuus dicitur die 29 Decembris anno Domini 274, haec habentur apud Anastasium Bibliothecarium: *Hic constituit, supra sepulcra Martyrum Missas celebrari.* Sanctus quoque Ambrosius in Epistola 22 Tom. 2 opp. col. 874 ait: *Corpora Christi Martyrum Gervasii, et Protasii ante Cancellos Sanctorum Felicis et Naboris a se reperta, mox sub Altari deposita:* De corporibus Martyrum sepultis sub Altaribus Gregorius Turonensis *De gloria Martyrum* Cap. 50 col. 1780 haec habet: *Igitur martyrio consummatus gloriosus Photinus Episcopus, qui Lugdunensi praefuit urbi Sacerdos, per certaminis nobilis meritum invectus est caelo. Hic, in crypta Basilicae Beati Joannis sub Altari est sepultus, et ab uno quidem latere Epipodius, ab altero vero Alexander Martyr est tumulatus.*

III. Oratio *Dilectissimi nobis* quae adhibetur in nostro Pontificali Romano pro benedictione Capsarum, extat non modo in manuscripta Gulielmi Durandi Pontificali, sed et in antiquo Ordine Romano, in quo tamen nulli praefiguntur versiculi, appellaturque *Praefatio consecrationis capsarum.* Ex manuscripto Codice Pontificali S. Victoris annorum circiter DC, ubi agitur *de ritu benedicendi Scrinii*, seu *Arcae* vel *Capsae*, primum quidem recitabantur Litaniae, deinde vero ter Episcopus dicebat, *Deus in adjutorium meum intende*, postea exorcismum aquae faciebat. Aspergebat deinde Episcopus scrinium, vel arcam, campsamve cum aqua benedicta, psallendo Antiphonam, *Asperges me Domine;* tum vero istam orationem pronunciabat: *Actiones nostras*, qua finita, extergebatur scrinium, vel capsa cum linteo a ministris, et cantabatur Antiphona: *Qui habitat.* Man-

dat deinde laudatus codex Pontificalis S. Victoris, *ut perungat Episcopus ipsum scrinium, faciens crucem in quatuor locis cum chrismate, canendo Antiphonam et Psalmum, Magnus Dominus.* Sequitur in nostro Pontificali *Praefatio* quae in Ordine antiquo Romano vocatur quidem *Consecratio in modum praefationis,* incipitque ab iis verbis *Deus inaestimabilis etc.* Porro alludunt prima Praefationis verba ad Caput Exodi XXV in quo Deus formam construendae arcae Moysi praescripsit, et quidum juxta exemplar quod ipsi in Monte monstraverat; itemque alludunt ad Caput IX Epistolae Divi Pauli ad Hebraeos, in qua meminit Apostolus Arcae Testamenti circumtectae ex omni parte auro, in qua urna aurea manna caelesti plena, Virga Aaron, et Tabulae Testamenti asservabantur.

IV. Sed his obiter adnotatis, explicare fusius lubet quae in ipsa Praefatione inferius habentur, de sacrarum Reliquiarum virtute, quae contra Diabolum et Angelos ejus plurimum valent. Testantur id quidem Patres Ecclesiae, inter quos S. Hieronymus adversus Vigilantium. Fugatos daemones virtute sanctarum Reliquiarum, innumera pene exempla nos docent, allata et a Bollandianis in Vitis Sanctorum, et a Caesare Cardinali Baronio in suis Annalibus Ecclesiasticis. Origenes Libro VIII contra Celsum, Martyres, ait, dum pro Jesu Christo torquerentur, daemonibus ingentia attulisse damna, eosque imbecilliores efficisse. Insigne quoque ea in re est quod de Sepulchro S. Felicis, quod Nolae in nostro Regno neapolitano est, scribit in ipsius Natali VI S. Paulinus, ubi inter alia infinita et stupenda miracula, fugatos daemones testatur. Valent praeterea Sanctae Reliquiae contra fulmina, tempestates, grandines, ac maris procellas, quas non semel ipsarum Reliquarum virtute sedatas legimus. Quantum sacrae ipsae Reliquiae contra pestes, contra corruptum aerem, et mortes hominum, atque animalium valent, Ecclesiastici Scriptores, atque auctores Vitarum Sanctorum fidem luculentissimam faciunt. Sacrarum Reliquiarum S. Sebastiani beneficio evanuisse pestem, per varias Italiae Regiones crudeliter grassantem, affirmant quidem et perspicue ostendunt Bollandiani ad diem XX

Januarii. Contra fures et latrones gestatas Sanctorum Reliquias docet nos Bernardus Monachus in Consuetudinibus suis Cluniacensibus, Cap. XXIV. Consuevisse Reges Francorum in expeditione secum ferre Sanctorum Reliquias, Sacerdotesque eidem muneri mancipatos dictos esse Cappellanos, testatur Epistola Carlomanni Ducis Francorum data anno Domini DCCLII quae descripta habetur in Capitularibus Regum Francorum Lib. I Cap. II pag. 214. Principibus civitates obsidentibus, ad eorum animos sedandos occursum eis cum sacris Sanctorum Reliquiis, docent nos Ecclesiae Scriptores. Hinc antiquissima Christianorum est consuetudo, ut Sanctorum Imagines, Reliquiasque ob ingentia facta ad ipsas miracula, ac varias aegritudines illorum praesidio ac patrocinio depulsas, appensis donariis ornarint. Quantum vero ipsae Reliquiae Sanctorum adversus impetum ignis valeant, experta est non semel nostra urbs Neapolis, ope scilicet Sanguinis Sancti Januarii Martyris, totius Regni Neapolitani Patroni.

V. Oratio *Domine Deus Omnipotens* habetur tum in Ordine antiquo Romano, tum in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi. Probantur ex ipsa oratione piae sacrarum Reliquiarum translationes, quae in Ecclesia antiquissimae sunt. Et re quidem vera quum Sanctorum Corpora Stephani Protomartyris, Gamalielis, Nicodemi, et Abibonis, quae diu in obscuro ac sordido loco jacuerunt, Luciano Presbytero divinitus admonito, inventa essent prope Hierosolymam, S. Stephani Corpus magna cum pompa primum in Sanctam Ecclesiam illatum est. Agit de hac Inventione Gennadius in Libro *De Viris illustribus*, Cap. XLVI. In Martyrologio Romano die 27 Januarii fit commemoratio translationis Corporis S. Joannis Chrysostomi ad civitatem Constantinopolitanam. Inter antiquiores de hac translatione loquentes legi possunt Socrates, Libro septimo Capite 44; Theodoretus, Lib. V Capite 36; Nicephorus Callistus, *Historia Ecclesiastica* Lib. XIV Cap. 36; et ex recentioribus Baronius ad annum 438 num. 1. In Bulla dedicationis Ecclesiae S. Remigii, et Translationis Corporis ejusdem, factae a S. Leone Papa IX apud Baronium tom. II pag. 818 habetur, pretiosissimum cor-

pus sanctissimi viri ab eo propriis manibus translatum fuisse in locum ei praeparatum. Alia id genus exempla videri passim possunt apud Bollandianos. Ipsae thecae et capsae, quae sacras Reliquias aliquando continuerunt, in profanos usus convertere nefas est; debent enim comburi, ac cineres, in Sacrario, vel in fossis Ecclesiarum recondi, idque constat ex Canone *Ligna*, XXXVI *De Consecratione*, Distinctione 1. Constat insuper ad inanes, atque veteres Reliquiarum loculos, in quibus aliquando Sanctorum exuviae jacuerunt, insignia patrata fuisse miracula. Vide Bollandianos ad diem XXI Januarii.

CAPUT XIV.

DE BENEDICTIONE SACERDOTALIUM INDUMENTORUM IN GENERE, MAPPARUM, SEU LINTEAMINUM SACRI ALTARIS, ET CORPORALIUM.

I. Usus benedicendi vestes (1) sacras est plane antiquissimus et roboratur auctoritate Librorum Pontificalium, inter quos recensemus Sacramentorum Libros a SS. Gelasio I et Gregorio I Pontificibus Maximis editos, in quibus passim legimus benedictiones sacrarum vestium in usum Sacrificii. Extant in antiquo Romano Ordine variae de ea re orationes, ubi agit de dedicatione Ecclesiae. Meminit quoque inter alios antiquus Codex Ratoldi Abbatis, in quo etiam ad singula illa verba, *purificare*, *benedicere*, *sanctificare*, singulae Cruces appositae sunt, quos etiam videre est in Gulielmi Durandi Pontificali, et in aliis antiquis Ritualibus multis. Orationes *Omnipotens sempiterne Deus etc.* et *Deus invictae virtutis*, quae in benedictione Sacerdotalium Indumentorum leguntur in nostro Pontificali, extant in nonnullis aliis antiquioribus Pontificalibus, quos longum esset hic recensere. Apud Graecos tametsi Le-

(1) Georgi, *Liturgia Romani Pontificis*, Liber secundus Caput XIV; Catalano, *Pontificale Romanum commentariis illustratum, pars secunda* Titulus XXI et LXII; Quarti, *Rubrica Missalis Romani commentariis illustrata*, Pars. 1 Tit. 20 Dubium 8.

viticis Sacerdotalibusque indumentisque semel et generatim cultui divino dicandis benedictiones Euchologium nullas assignet; sua tamen quoties Diaconus induit, Sacerdoti benedicenda offert; propriaque Sacerdos assumpturus benedictionis expertia nusquam relinquit. Est sane is apud ipsos Graecos ritus antiquus, de quo in Ordine Sacrae ac Divinae Missae S. Joannis Chrysostomi ita circa initium legimus: *Ingressi autem in Sacrarium* (Diaconus scilicet et Sacerdos) *accipiunt in manibus suis tunicam sibi propriam*. Statimque haec de Diacono subdit: *Deinde Diaconus inclinato capite accedit ad Sacerdotem, et manu dextra tenens Dalmaticam cum stola dicit: Benedic, Domine, Tunicam cum stola.*

II. Sciendum nunc illud est, teneri Sacerdotes sub peccato laethali adhibere in Sacrificio vestes sacras et rite benedictas, idque ex communi Ecclesiae consuetudine et omnium Doctorum sententia. In vestibus sacris conservatur benedictio semel accepta, quamdiu ipsae retinent eamdem formam, seu figuram, sub qua sunt aptae ad sacrum ministerium, et sub qua benedictae fuerunt. Contra vero si ita dissolvantur, vel scindantur, ut eam formam mutent, ita ut sacro ministerio cui sunt destinatae reddantur ineptae, deperdunt et amittunt benedictionem, ut colligitur ex Capite de *Consecratione Ecclesiae*. Dicitur vero forma mutari, quum tanta pars amota est, ut non liceat sine illa celebrare, nempe si medietas, vel tota manica Albae. Sacerdotales vestes benedictas non posse in usus profanos converti, sed, si vetustate consumptae sint, comburi debere, et cineres in loco sacro sepeliri, docent passim Canonici Juris Consulti, allegantque celebrem illam Juris Canonici regulam: *Semel Deo dicatum, non est ad usus humanus ulterius transferendum.*

III. Mappae, vel Linteamina, quae etiam aliis nominibus *lintea, velamina, pallae, mantilia* in pervetustis Libris appellari solent, tegumenta Altaris sunt, spectantque ad sacram suppellectilem pro Missae celebratione necessariam. Hujusmodi linteaminum, seu mapparum usus, quibus Altare sternitur, apud antiquos receptissimus fuit. Optatus Milevitanus Libro VI contra

Parmenianum haec scripsit: *Quis fidelium nescit in peragendis Mysteriis ipsa ligna*, (Altaria scilicet, quae in Africa erant lignea) *linteamine operiri?* Et Victor Vitensis de Persecutione Vandalica Lib. 1 narrat, Procolum quemdam ab impio Genserico adversus Catholicos missum vastitatem rebus eorum omnibus attulisse, et e linteis Altaris *subuculas* et *femoralia* sibi confecisse. Certe vero simillimum est, quod viri plerique docti tradunt, Apostolos pro sua in pretiosum Christi Corpus et Sanguinem reverentia, non in nudo Altari, sed quod linteamine coopertum esset, Missae Sacrificium peregisse. Pluribus Mappis consuevisse vel olim cooperiri Altare, supponunt Liber Sacramentorum S. Gregorii Papae, vetus Ordo Romanus, et antiquissimi Libri Pontificales atque Missales, in quibus hic Titulus plurali numero legitur: *De Benedictione Linteaminum;* quod plura scilicet *Linteamina* super Altare sternerentur. His temporibus tres Mappae, seu Linteamina requiruntur, ut deducitur ex Canone, *Si per negligentiam, de Consecratione Dist. 4.* Vestes autem Altaris significant gloriam Sanctorum, quorum Reliquiae ibidem sunt, ita Amalarius Lib. 1 Cap. 12. Ut Altaris Mappae mundae ab omni pulvere, cera, aliave sorde conserventur, finitis Missis, contegantur tela viridi. Quod Benedictionem spectat Mapparum Altaris, consuevisse et illas una cum aliis Ecclesiae ornamentis ab Episcopo benedici, ubi Ecclesiam dedicabat, constat plane ex Libro Sacramentorum S. Gregorii Papae, et antiquissimis Libris Pontificalibus. Oratio *Exaudi Domine* quae adhibetur pro Benedictione Mapparum, extat in Ordine antiquo Romano, ubi is praefixus est Titulus: *Benedictio Linteaminum, aliorumque in usum sacri Ministerii.* Altera oratio quae incipit: *Domine Deus Omnipotens, qui ornamenta, et Linteamina* etc. legitur in pervetusto Gelasii Papae Sacramentario, et in antiquo Romano Ordine. Et hinc est, quod qui scienter celebrat extra casum necessitatis super Altare coopertum cum Mappis non benedictis, non est immunis a culpa, ut advertunt Gavantus, par. 1 tit. 20; et Iordanus, T. 1 Lib. IV; quia Rubrica est praeceptiva et imperativa, ut clare patet ex verbis in Praeparatione

Altaris: *Altare operiatur tribus Mappis, ab Episcopo, vel alio habente potestatem, benedictis.*

IV. Quod hodie *Corporale* dicitur, *palla* olim *linea*, seu frequentius *palla corporalis* dicebatur, quia scilicet in ipsa Corpus Christi consecratur. Corporalia, quibus veteres in Sacrificio peragendo utebantur, ampliora fuisse et longiora iis, quae modo a nobis adhibentur, manifeste colligitur ex antiquo Romano Ordine, Titulo 1. Consueverunt jam olim Corporalia, antequam in Missae Sacrificio adhiberentur, ab Episcopo consecrari. Quod mirum videri non debet, si is ritus passim in antiquis Sacramentorum Libris inveniatur, cum constet, jam olim sacrari debuisse alia inferioris dignitatis ornamenta, nempe linteamina Altaris, Candelabra, et alia quae hic necesse non est recensere, quaeque non ita divinissimae Eucharistiae proxima sunt, ut Corporale. Cujus nominis non modo saepe ac saepius vetus Ordo Romanus et prisci Libri Pontificales meminere, verum etiam varias exhibent ad ipsum benedicendum orationum formulas. Qualis sit finis Ecclesiae, cum ipsa benedicit Corporalia, addiscere licet ex ipsis orationibus, quae leguntur in nostro Pontificali. Notatu illud hic dignum censeo, summa semper veneratione habitum fuisse ipsum Corporale, et quidem loco Sanctarum Reliquiarum.

V. Ex sacris Romani Missalis Rubricis illud profecto cautum est, ut Corporale ipsum, totum debeat ex lino esse intextum, totumque album, *et ab Episcopo, vel alio habente facultatem simul cum palla, benedictum.* Quae verba expendens Gavantus, neque benedici pallam separatim docet, quia est unum quid et veluti pars Corporalis, neque in Pontificali dari distinctam benedictionem. Antiquitus haec passim apud omnes disciplina servabatur, ut non solum sacrae Hostiae, sed et Calices quoque eodem Corporali cooperirentur: hodie Carthusiani quidem Monachi veterum usum tenacissimi, dum sacris dant operam, non palla, sed Corporali Iesu Christi Corpus aeque ac Sanguinem cooperiunt. Non potest autem de regula ordinaria Corporale a saecularibus tangi, neque a Monialibus, sed hoc spectat Subdiaconis. Corporale exprimit

illam mundam Sindonem, qua Joseph ab Arimathaea Corpus Christi involvit: Joseph enim legitur emisse linteum mundum, ubi Dominicum Corpus involveret. Graeci in medio Corporalis pingunt Calvarium montem cum Cruce superposita, et subtus montem effigiant Christum jacentem mortuum, et circumdatum Angelis; in quatuor vero angulis formant quatuor animalia symbola Evangelistarum. Corporale cum complicatur, nec initium, nec finis ejus apparet. Duplex Mysterium in hoc agnoscunt Scriptores Liturgici. Primum in complicatione Corporalis nec initium, nec finis ostenditur, quia Jesu Christi Divinitas initio caret, et finem non habet. Secundum ita complicari dicunt, ut melius repraesentet sudarium, seu linteum in sepulcro, in quo nec initium nec finis apparebat.

CAPUT XV.

DE BENEDICTIONE CAMPANAE

I. Campanarum diversa sunt (1) nomina ob diversas causas, quas quidem in iisdem nominibus recensendis diligenter, quoad fieri a nobis poterit, explicare conabimur. Inter tot diversa Campanarum nomina *Tintinnabulum* primo loco sese nobis offert explicandum, tamquam hujus generis nomen magis antiquum, et Campanae sonitum, quem *Tinnitum* vocant, perbelle repraesentans; tinnitus enim est proprius metalli sonitus. Est autem *Tintinnabulum* nomen factitium, a sonitu vel tinnitu quem edit dum pulsatur, ita vocitatum. *Nolae* quoque nomine Campana olim vocabatur, sed cur ita diceretur, non satis constat; etiamsi nonnulli Campanam dictam fuisse *Nolam* crediderint a Nola civitate Campaniae. *Squillae* ad hanc usque diem *Campanulae*, sive parvae Campanae in Italia nominantur, ut videre

(1) Rocca, *De Campanis Commentarius*, Cap. I et seqq.; Mauri, *Dissertatio De Campanis*; Zech, *De Campanis et Instrumentis Musicis; Cancellieri*, *Campane del Campidoglio*, Cap. III et seqq.

licet apud Stephanum Durantum, et Gulielmum Durandum, et alios. *Crotalum* item pro Campana sumebatur apud antiquos; graece autem Κροταλον, quod latine *Crepitaculum* vocitatur, a crepitu dictum. *Clocca* etiam germanico verbo appellatur Campana, ut videre est in Capitularibus Caroli Magni. *Signum* item appellatur *Campana:* hinc in Pontificali Romano, aliisque priscis Pontificalibus inscribitur Titulus: *De benedictione signi, vel Campanae.* Veteres *signi* nomine Campanam metonymice intelligebant, quod per eam datur signum Divini Officii. Campana denique a *Campania* Italiae regione nomen traxisse creditur, praesertim propter aes Campanum, cui Plinius palmam tribuit, cum ex eo ollae, ac lebetes aenei, et Campanae conflentur: aes namque Campanum optimum inter omnia aeris genera esse censetur, ut ait Isidorus in decimosexto Etymologiarum.

II. In Veteri Testamento apud Haebreos fit mentio de *tintinnabulis* quae ex praecepto Dei appensa esse debebant vestibus summi Sacerdotis, ut audiretur sonitus, quando ingressurus erat Sanctuarium, uti patet ex Capite XXXIX Exodi. Circa originem et inventionem ipsarum Gulielmus Durandus in Rationali, Libro primo, capite quarto, num. 1, putat Campanas esse vasa aenea in Nola civitate Campaniae primo inventa. Si Angelo Rocca fidem habemus, S. Hieronymus, qui ineunte saeculo V decessit, Campanas primus invexit, sed cum praeclarus Auctor Capiti 31 et 39 *Institutionis pro Monialibus* innitatur, quae S. Hieronymo merito non adscribitur, hinc difficile est eam sententiam tueri. Plurimi Scriptores unanimi consensu Campanarum usum S. Paulino Episcopo Nolano tribuunt, qui circa medium saeculum V vita defunctus est. Verum S. Paulinus nihil de Campanis, neque de Turri Campanaria commemorat Epistola XII ad Severum, in qua singillatim Ecclesiam, quam a fundamentis extruxerat, ejusque singulas partes explicat. Polidorus Virgilius, Lib. VI *De Inventoribus Rerum;* Onuphrius Panvinius, in *Epistola de Romanis Pontificibus;* Ciacconius, aliique plurimi ad Sabinianum Pontificem Campanarum usum primo referunt, qui initio Saeculi VII Summi Pontificis dignitatem obtinuit;

sed cum Anastasius Bibliothecarius in ejus vita nullam omnino de hac re mentionem faciat, qua ratione id affirmari queat, nemo intelligit. Illud solum dici potest, Campanas ante saeculum sextum ab Ecclesia Occidentali usu receptas fuisse, cum ex vita S. Columbani Abbatis, quae Saeculo sexto exarata fuit, ac postea a doctissimo P. Mabillonio in lucem edita *Saeculo primo Benedictino*, deprehendatur ipsum sub mediam noctem *pulsante Campana* ad Templum se contulisse,ceterosque monachos somno excitatos ad Templum pariter convenisse, ut Martene, in *Tractatu de antiqua Ecclesiae disciplina in Divinis celebrandis Officiis* Capite II num. 11; et Franciscus Pagius, *In vita Sabiniani* tom. 1 pag. 379 unanimes conveniunt.

III. Finis ob quem ab Ecclesia Campanarum usus inductus est, constat ex duobus versibus, qui ad Campanas sonantes referuntur:

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego Clerum,
Defunctos ploro, nimbum fugo, festa decoro.

Sonus Campanarum designat praedicatorum voces. Campanae ipsae mystice significant ora praedicatorum. Consuetudo dandi signa salutationis Angelicae, Campanasque pulsandi mane et vespere ducit originem ab Urbano II Summo Pontifice, ut fideles excitentur ad orandam Virginem, et ejus patrocinium implorandum pro Terrae Sanctae recuperatione. Mos iste ab Urbano institutus abierat in desuetudinem: at a Gregorio IV anno 1236 renovatus est, et iisdem Campanae signis voluit excitari fideles ad orandum et implorandum patrocinium Beatissimae Virginis contra persecutores Ecclesiae, qui tunc vigebant vexabantque fideles. Postmodum anno 1456 Callistus III ad reprimendum furorem Turcarum obsidentium Hungariae Regnum, decrevit recurrendum esse ad ejusdem SS. Virginis tutelam, et confirmatis signis salutationis Angelicae, addidit tertium, edixitque, ut etiam meridie Campanarum signa darentur. Ter die praedicta signa dari convenientissime institutum est, mane, meridie, et vespere, ut praecipuis horis diei cuiuslibet Redemptionis Mysterium

recolamus, iuxta illud Psalmi LIV: *Vespere, et mane, et meridie narrabo, et annuntiabo.* Preces recitandae cum dantur signa, sunt ipsa salutatio Angelica ter repetita, et Antiphonae interpositae cum versibus, et oratione *Gratiam tuam.* Ter autem dicitur *Ave* ad laudem SS. Trinitatis. Non quolibet anni tempore eaedem preces eodemque modo recitandae sunt. Per annum, dum dantur signa, flexis genibus dictae preces recitari debent, exceptis sabatis vespertino tempore, et diebus Dominicis, nec non toto Paschali tempore. Haec de ritu pulsandi Campanas Vespere, Mane, ac Meridie in Sancta Dei Ecclesia recepto. Nunc superest, ut caeteros ejusdem Ecclesiae usus pulsandi Campanas explicemus.

III. In diebus festis et in sacris Processionibus ad laudem et gloriam Dei Omnipotentis, et honorem Sanctorum pulsari solent, ut ad earum pulsum mentes hominum interius excitentur ad laudandum Deum, et ad Sanctos honorifice invocandos eleventur. Adde etiam, quod Campanae etiam ad festivitates, et Processiones indicandas pulsantur ut; fideles ad eas rite celebrandas animum ad Deum elevatum praeparare studeant. Usus pulsandi Campanas pro defunctis perantiquus est, ut excitentur fideles ad praestanda officia defunctis, vel saltem pro illis ad Deum preces effundant. Venerabilis quidem Beda qui vivebat labente saeculo VII Lib. IV *Historiae* Capite XXIII ubi describit obitum Hildae Abbatissae, tintinnabulis, vel Campanis populum convocari solitum ad funerum deductionem prodidit. De eo ritu fidem faciunt luculentissimam antiqui auctores, Joannes Belethus, in *explicatione Divinorum Officiorum*, *Capite CLXI;* et Gulielmus Durandus, in suo *Rationali Lib.* 1 Cap. IV; et Honorius Augustodunensis, in sua *Gemma animae Lib. IV* Cap. CXVI; qui de hoc ritu his verbis loquitur: *Pro mortuis autem ob duas causas Campanas sonamus, ut videlicet viventes pro eis orent, et ut se etiam morituros cogitent, seque ad Regna Coelorum ituros praeparent.* Notari quoque et illud hoc loco juvat: Campanas olim pulsari solitas pro iis fuisse, qui in agone mortis constituti erant estque is ritus hodie in usu apud varios Monachorum Ordines. Protestantes nobis exprobant, quod tempestatibus exortis

Campanas pulsemus. Audiri non debet inter alios nequissimus Hospinianus, cum ait multo plus nos Campanis eorumque tinnitui tribuere, quam piorum hominum precibus. Non enim plus ipsi Campanae, vel ejus sono nos praecise tribuimus, sed precibus Ecclesiae quibus consecrata est. Itaque effectus expellendi procellas et tempestates per sonitum Campanae, ut scite docet Gretserus Lib. II *De benedictionibus*, Cap. XLVI, minime expectatur a sono Campanae, quatenus naturalis quidam clangor est, sed ut ab instrumento variis precibus consecrato procedit; quarum precum, et obsecrationum memor Deus praedictos effectus per sonum Campanae tanquam per organum producit. Et re vera an non Hebraeis dilectis a Deo, in capienda et evertenda Civitate Jericho, praesidio fuere septem buccinae, quarum clangore muri corruere? Jam exempla in vitis Sanctorum et in Historia Ecclesiastica non desunt, quibus constat Campanarum benedictarum sonitu non modo tempestates sedatas, sed et mortuos etiam vitae restitutos. Etsi autem Ecclesiae preces in benedictione Campanae eo tendant, ut illius virtute tempestates sedentur, addiscimus tamen ex vitis Sanctorum mirabiles sonoro huic aeri effectus Deum concedere ob merita etiam illorum Sanctorum, in quorum Ecclesiis Campanae sunt erectae, imminentibus tempestatibus, cum pie atque cum fide pulsantur.

IV. Duo sunt tempora, quibus Ecclesia vetat pulsare Campanas. Primum est tempus Interdicti localis. In Ecclesiis enim interdictis non possunt publice celebrari Divina Officia. Insuper in signum maestitiae et detestationis delicti, quod fuit causa Interdicti, Ecclesia praedictum sonum prudenter prohibet, et silentio Campanarum excitat fideles ad detestationem ejusdem delicti. Ex Capite autem *Alma Mater* permittitur, ut in Festis Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, et Assumptionis B. M. Virginis celebrentur Divina Officia solemniter cum pulsatione Campanarum. Et hanc concessionem fuisse per Martinum V, Eugenium IV, et Leonem X ampliatam ad Corpus Christi; et Virginis Conceptionem cum tota octava, refert Volpi *Resolutio 93.* Angelus Rocca in suo de *Campanis Commentario* do-

cet ipso Interdicti tempore Campanarum pulsationem non prohiberi mane, meridie, et vespere, ut nimirum fideles Beatissimam Mariam Virginem Angelicae Salutationis recitatione venerentur. Tempus alterum est triduum majoris Hebdomadae, quando celebrantur Mysteria Passionis et Mortis Salvatoris nostri. Earum sonus communiter est signum laetitiae, adeoque bene prohibetur eo tempore quo Ecclesia est in luctu et moerore ob Jesu Christi mortem. Praeterea silentium Campanarum eo tempore mystice designat silentium Apostolorum, qui tunc a Jesu Christi praedicatione cessarunt. Eadem et alii docent, praesertim vero Gulielmus Durandus qui Libro VI sui *Rationalis Divinorum Officiorum*, Capite LXXII, varias ea de re mysticas affert rationes. Ducange, et Bocquillot hujusmodi sonitum per eos dies omitti testantur ejusque loco strepitum quemdam lignorum subrogari, ut primorum saeculorum apud posteros memoria conservetur, quibus fideles non ullo tintinnabulo, sed iisdem lignis obstrepentibus ad Divina Officia accersiri consueverunt: cui etiam sententiae congruere videtur Amalarius in suo Libro: *De Divinis Officiis*. Campanae in Sabbato Sancto non possunt in aliqua Ecclesia pulsari, antequam Campana Ecclesiae Cathedralis vel Matricis pulsetur: Leo X in Bulla incip. *Dum intra* § *12*.

V. Quoad ritum benedicendi Campanas, scribit Baronius a Joanne XIII traxisse originem. In hoc videtur quidem magnus parens Annalium labi, cum eum ritum multo antiquorem esse ex Ritualibus Libris ante memoratum Pontificem conscriptis constet; in quibus formula benedicendi et ungendi Campanas reperitur, hoc praefixo titulo: *Ad signum Ecclesiae benedicendum*, ut eruditus Angelus Rocca observat in Commentario, *De Campanis* Capite quinto, quem deinde secuti sunt Joannes Bona Cardinalis, Martene, Pagius, et alii recentiores docti Scriptores. Certe in Capitularibus Caroli Magni, editis ducentis fere annis ante laudatum Joannem Pontificem, de Benedictione Campanarum fit sermo. Constat vero ex S. Caroli Decretis, ad Episcopum spectare Campanarum benedictionem quod et passim Doctores docent, et antiqua exempla confirmant, quae

a rerum Ecclesiasticarum Scriptoribus referuntur. Abbates, aliique Praelati usum Pontificalium habentes, Campanas pro solo usu suarum Ecclesiarum possunt benedicere, idque constat ex S. R. Congregatione in Patavina 5 April. 1620. Campana ex praecepto iuxta Pontificale Romanum, debet benedici antequam in Campanili ponatur. Ritus benedictionis Campanarum consistit in recitandis quibusdam Psalmis ac precibus. Episcopus sal et aquam benedicit, ipsisque permixtis Campana abluitur, quam Oleo Infirmorum et sancto Chrismate linit Episcopus ipse: thus subiicitur Campanae, et postremo Diaconus canit Evangelium S. Lucae, ut habetur in Pontificali Romano. Nihil itaque est in Benedictione Campanae, quod antiquitatem non redoleat, cum omnes pene ritus, qui in nostro hodierno Romano Pontificali circa ejus benedictionem praescribuntur, in antiquissimis Pontificalibus inveniantur. Canuntur plures Psalmi, ad impetrandam divinam misericordiam et protectionem, quiquidem antiquus est Ecclesiae ritus, licet vetus Ordo Romanus, et Pontificale Ecclesiae Barensis, aliaque nonnulla praecipiant, ut ad benedicendum Ecclesiae signum, nempe Campanam, in primis dicatur Litania, et postea Psalmi. Est insuper antiquissima lotio Campanae intus et foris cum aqua benedicta. Ejus ritus meminit vetus Ordo Romanus, et alii passim prisci recentioresque Pontificales Libri in Ordine ad benedicendum Ecclesiae signum. Per illam lotionem Campanae significatur nobis primum illius dedicatio ad usum sacrum, et ab aliis signis profanis separatio. Mirum porro haereticis minime videri debet, Campanas a nobis non solum benedici; sed etiam sacro Oleo et Chrismate inungi, ac praeterea nomen eisdem imponi; est enim haec antiquissima Ecclesiae disciplina, cui mirifice suffragatur argumentum ex Capite XXVIII Geneseos ductum, ubi Jacob memor visus scalae ad caelum usque pertingentis, tulit lapidem quem capiti suo supposuit, et erexit in titulum, fundendo oleum desuper, appellavitque nomen urbi Bethel, quae prius Luza dicebatur. Nec incongruum videri debet praescriptum in benedictione Campanae ut legi Evangelium; ibi enim praecipue de verbo Dei

audiendo, atque aliis ad animae salutem spectantibus, ad quae nos Campana sonitu suo invitat, expressa fit mentio.

VI. Juxta Ecclesiae morem Campana Sancti alicujus nomine insignitur. Hujusce rei causam exponit P. Martinus del Rio : *Nomen illi in Beati alicujus honorem imponitur, ut illius quasi commendetur tutelae vas metallicum, Divinae laudis instrumentum*. In multis quoque Campanis nomina ipsa incisa leguntur tam Dei ac Deiparae Virginis, quam aliorum Sanctorum in hanc verborum formam : *Ad Dei, et Beatae Mariae Virginis honorem ;* vel hunc in modum : *In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Ad honorem Dei, ac Beatae Mariae Virginis, et Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, Verbum Caro factum est :* et id genus alia ; praesertim vero verba illa de Incarnatione Salvatoris, quatenus Daemonibus majorem in modum sunt formidanda. Advertendum est huic Benedictioni nomen Baptismi concedi, quod quidem Ecclesia non cooptavit, sed tantum aequo animo patitur, ut aliorum fidei ac simplicitati indulgeat. Id autem ex eo praesertim dimanavit, quod populus in Campanarum benedictione aquam adhiberi, nomenque imponi perspexit, et alia quaedam peragi, quae in administrando Baptismo consueverunt. Baptismi nomen pro benedictione Campanarum ab Ecclesia perferri diximus, ne fidelium simplicitas minuatur. Siquidem in veteri Ordine Romano, in Pontificali pariter Romano, cunctisque Ritualibus peculiarium Ecclesiarum, per Thiers Lib. II *Tract. De Superstitionibus* Cap. 7 accurato studio collectis, nunquam Baptismi, sed Benedictionis nomine Campanarum consecratio nuncupatur. Ecclesia vero pro certo habet, non ideo Catholicos existimare, gratiam infundi, peccatum remitti, sed Benedictionis loco Baptismum vocare, eo prorsus modo quo dedicationem Ecclesiae Baptismum Ivo appellavit: *Ipsum Templum*, inquit Serm. *De Sacra Dedicatione, suo modo, et ordine baptizamus*. De his consentiunt Rocca, Theophilus Raynaudus, Ducange, Macrius, et alii plures.

VII. Campanarum usus in Ecclesia Orientali prorsus ignotus fuit, in qua populus percussis malleo tabulis ligneis ad preces et officia divina convocari so-

lebat. Id multis adstruit Leo Allatius in Dissertatione de *Recentiorum Graecorum Templis* pag. 104. Postremis tamen temporibus Campanas in usu fuisse apud Graecos, quem accepisse a Venetis sub anno 874, auctor est Sabellicus Ennead. 9 Lib. I. Locus in quo Campanae pendent, *Campanarium*, *Campanaria Turris Ecclesiae*, *Campanile* vocatur. In summitate Crucis, quae Campanario vulgo imponitur, galli gallinacei effingi solet figura, quae Ecclesiarum Rectores vigilantiae admoneat. Praeter Campanas benedici olim alicubi consueverunt et Turres Campanarie. Quod mirum videri nemini debet, cum in Chronico Casinensi Lib. III Cap. XXX manifestum sit, quod ubi dedicata est ab Alexandro II Summo Pontifice Ecclesia Casinensis a Desiderio Abbate constructa, dedicatum pariter fuit ipsius Ecclesiae Campanarium, seu Campanile, variis ibidem reconditis Sanctorum Reliquiis. Adde, non solum sacras Reliquias, in Turribus ipsis reconditas fuisse, sed Altaria insuper ibidem erecta, ut innuit Martenius Lib. II *De antiquis Ecclesiae Ritibus*, Cap. XXII.

CAPUT XVI.

DE BENEDICTIONE ARMORUM, ENSIS ET VEXILLI BELLICI.

I. Armorum benedictio antiqua (1) est in Ecclesia, extat siquidem in Ordine antiquo Romano, et in plurimis manuscriptis Libris Pontificalibus. Fuit quidem antiqua Christianorum militum pietas, ut non modo arma, sed et ipsi praesertim qui ad bellum proficiscebantur, Episcopali benedictione munirentur. Epiphanium Patriarcham Constantinopolitanum non solos milites benedixisse, sed etiam classem, diserte scribit Nicephorus Callistus: id quod de aliis alii scriptores tradunt. Viguit haec semper apud Graecos pietas, quorum Euchologium hosce hodieque habet Titulos: *Canon supplex ad SS. Deiparam in rumore Belli. Oratio in Imperatorem, ac ejus exercitum.* Quanta sit apud La-

(1) Lupus, *De antiqua disciplina Christianae militiae*. Caput. 1 et seqq.

tinos benedictionis Episcopalis virtus, expertus fuit Ludovicus I Francorum Rex in bello contra Gothos. Episcopalis militum benedictio fecit non modo civitates capi, sed et muros ipsarum sine tormentis corruere. Afferri plurima exempla possent, sed brevitatis causa omittimus. Orationes *Benedictio Dei omnipotentis* et *Deus omnipotens* etc. extant in manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali.

II. Est et antiqua Ensis benedictio in Ecclesia Christiana. Ex orationibus nostri Pontificalis, et aliis plurimis quibus ad benedicendum Ensem variarum Ecclesiarum Episcopi utebantur, satis jam liquet quam ob causam Ensem benedicerent, ad defensionem scilicet Ecclesiarum, atque ad confusionem inimicorum Crucis Christi, et Fidei Christianae. Frequentissimae praesertim fuerunt post annum Christi millesimum istiusmodi benedictiones, propter bella quae adversus Infideles, et Haereticos Christiani olim Principes suscipiebant. Ex antiqua Romanae Ecclesiae consuetudine Summi Pontifices nocte Nativitatis Domini Ensem benedicere cum quodam Capello Ducali solent, cujus mentio reperitur in Rituali Codice Jacobi Gaetani, quem Bonifacius VIII Cardinalem creavit. Porro quod vel nostris temporibus Ensis ipse ac Pileus non modo in nocte Natalis Domini, sed et alio quocumque Festo solemni benedici consueverit, docet nos exemplum Clementis Papae XI qui Ensem, Pileumque quos anno MDCCXVI ad Principem Eugenium de Sabaudia misit ob victoriam ab eo de Turcis ad Varadinum eodem anno relatam, benedixit in Ecclesia S. Mariae de Populo die VIII Septembris. Quod orationem autem spectat in Pontificali Romano descriptam, et quae incipit, *Benedicere digneris etc.* compacta et ipsa cst ex antiquis Orationibus, seu verborum formulis, quae in traditione Ensis dici jam olim consuevere, ubi Imperatores Regesque coronabantur. Per Ensem significatur Justitiae exercitium; benedictione autem ille sacratur die Natali Salvatoris, ut Reges intelligant a Christo Domino Ensem se accipere qui Justitiae Rex a Prophetis nuncupatur.

III. Est haud dubie antiqua Vexilli bellici Benedictio, et quidem sub praescripta verborum formula in

Pontificali Romano, *Omnipotens sempiterne Deus, qui es cunctorum etc.* legiturque in variis antiquis Pontificalibus Vaticanis. Hanc Episcopalis benedictionis virtutem plerique Christiani Reges ac Principes experti sunt, ad praelium contra Christiani nominis, et Fidei hostes profecturi. Neque insuper exempla desunt, quibus Ecclesiastici Scriptores ostendunt, quam fructuosa et utilis fuerit plerisque istiusmodi Ecclesiastica benedictio Vexillorum. Fuisse antiquorum Regum Gallorum morem, ut cum deberent ad bella procedere, post celebrationem Missarum, Vexillum S. Dionysii acciperent constat, ut alia omittam, ex S. Ludovici vita: quem morem laudat Romanum Breviarium die XXV Augusti. Finita benedictione Vexilli, antequam ipsum tradatur, non modo cum aqua benedicta aspergitur, sed et incenso adoletur, deinde vero hastae infigitur. Adnotandum superest, Vexillum quod mittebatur Principibus a Romano Pontifice, benedici ab ipso jam olim consuevisse; ejusque formulam legere est apud Augustinum Patricium Lib. I *Sacrarum Caeremoniarum.* Solitos etiam fuisse Episcopos in suis Diocesibus Vexilla benedicere, suisque Principibus profecturis ad bellum tradere, immunera pene exempla nos docent. Quod ipsa benedicantur, eos procul dubio spectat, qui sunt illis usuri; ut nimirum Deus det ipsis prosperum belli exitum, et secundet consilia suscipientium praelium, ut scite docet Theophilus Raynaudus in suis *Heteroclitis spiritualibus.* T. II pag. 218.

LIBER QUARTUS

DE PROCESSIONIBUS.

CAPUT I.

DE PROCESSIONIBUS GENERATIM.

I, Processio dicitur quasi progressio (1) a procedendo in publicum, ex Lege, *Ordinem* et *Lege*, *Sancimus*, Cod. *De Consulibus etc*. Lib. XII. Hinc *Processio* sacra, sive ecclesiastica, de qua in praesenti agimus, non est aliud, nisi pia Cleri, vel Christiani populi, vel utriusque precabundi, cum certo ritu, ac caeremonia progressio, ut eam definit Busaeus. Processio, juxta Serarium, est supplicantis coetus, certo cum ritu, et caeremonia, circuitio, seu obambulatio. Sed de hisce, et aliis Processionis sacrae, sive ecclesiasticae definitionibus fuse inter alios disserit Paulus Maria Quarti Clericus Regularis, in Tractatu: *De Processionibus Ecclesiasticis*, *Sectione prima*, *Puncto 11*.

II. Porro ab ipsis precibus, quarum causa institutae sunt Processiones, dictae sunt etiam Litaniae, idest, Supplicationes; unde apud Graecos λιτανευειν idem est, quod Processionem obire. Inter Latinos quoque Sidonius Apollinaris, Libro V, Epistola XIV ad Aprum,

(1) Eveillon, *De Processionibus*, Cap. I et seqq; Gretserus, *De Sacris Processionibus*, Cap. III et seqq; Quarti, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. II et seqq; Serarius, *De sacris Processionibus*, Cap. IV et seqq; Lupus, *De Processionibus*, Cap. V et seqq; Sanderus, *De ritu Catholicarum Processionum*; Catalano, *ad Rituale Romanum*, Titulus IX Cap. IX; Barrufaldus, *Commentaria in Rituale Romanum*, Titulus IX Cap. IX.

Litaniam, seu Processionem supplicationem vocat. Notat praeterea Durandus Lib. VII *Rationalis Divinorum Officiorum*, Capite primo, num. 20 et ex eo Eveillon in Opusculo: *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. I Processiones ipsas appellari aliquando etiam *Stationes*, sumpto nomine a veteri Ecclesiae Romanae ritu, quo cum *Statio* apud aliquam Ecclesiam haberetur, populus cum Clero in aliam vicinam aedem conveniebat, expectans Pontificem; quo adveniente, solemni ordine inde ad locum Stationis procedebatur, ut ex pluribus locis antiqui Romani Ordinis planum est, itemque ex Anastasio in vita Leonis Papae III ex Panvinio in Libello: de *Stationibus Urbis Romae*, et ex aliis plurimis priscis aeque ac recentioribus Ecclesiasticarum rerum Scriptoribus. Processiones enim ut plurimum celebrabantur ad eas Ecclesias, in quibus *Statio* publica erat, vel ratione Festi solemnis, vel specialis sanctitatis loci, vel venerandarum sacrarum Reliquiarum, vel alias invocandi patrocinii ejus Sancti, in cujus honorem Deo Ecclesiae illae dicatae rite fuerunt.

III. Sed ut rem a prima origine repetamus, licet Joannes Diaconus in vita S. Gregorii Papae dicat, illum Stationes Romae ordinasse, id nequaquam intelligi potest de prima illarum institutione. Nam S. Hilarus Papa, qui multo ante Gregorium sedit in Pontificatu, ut in ejus vita scribit Anastasius, *in Urbe Roma constituit Ministeriales, qui circuirent constitutas Stationes*. Ubi nota, quod Stationes quae vel longe ante Hilarum, qui cepit Pontificatum anno CDLXI, in usu fuerant S. Gregorius certis diebus in suo Sacramentario addixit; atque ita sane intelligendum est, quod scribit in illius Vita Joannes Diaconus Libro III Cap. XVIII, ubi ait *ordinasse* Gregorium *Stationes per Basilicas, vel Beatorum Martyrum Coemeteria*. Etsi autem fixae, ac ratae essent in Sacramentario Gregoriano Stationes, eas tamen populo denunciari mos erat, idque fiebat ab Archidiacono in publica Missa praecedente. Postquam enim Pontifex communicaverat, veniebat *Archidiaconus cum Calice ad cornu Altaris, et adnunciabat Stationem;* quae verba leguntur in Ordine primo Romano apud Mabillonium Tomo secundo *Musaei Italici*. Denunciari consuevisse

sequioribus saeculis futuram Stationem a Subdiacono Regionario, docet nos Ordo Romanus XI. Ad locum Stationum deferebantur ex Patriarchio Lateranensi vasa sacra, praeeunte Cruce Stationali Pontificem in Sella gestatoria, quam eo portari mos erat. Interdum tamen equo vehebatur, ut ex antiquis Romanis Ordinibus addiscere licet.

III. Processiones Ecclesiasticae antiquae adeo sunt, ut earum originem repetere possimus etiam a Veteri Testamento. Esdrae Cap. XII, instaurata Hyerosolima post captivitatem Babilonicam, legimus indictam fuisse Processionem solemnem cum interventu Sacerdotum, Levitarum, et populi in gratiarum actionem pro tanto beneficio cum choris canentium Deo laudes debitas. Omissis aliis Veteris Testamenti Processionibus, quas recensent Gretserus, Eveillon, et alii auctores permulti in Tractatu: *De Sacris Processionibus*, in Testamento Novo primum exemplum habemus Josephi et Mariae cum puero Jesu, qui, uti legitur in Evangelio Lucae, Capite secundo, ascenderunt ad diem festum Hierosolymam; tenebantur enim omnes Judaei quotannis, secundum Legem Moysis expressam in Exodo et in Deuteronomio, ter revisere Hierosolymitanum Templum. Ceterum, ut ait Eveillon *De Processionibus*, Capite secundo pag. 12 et seqq. habet etiam insignem quandam speciem Processionis Ecclesiasticae egressio illa populi Hierosolymitani in occursum Domini Salvatoris, quae describitur Matthaei Capite Vigesimo primo, Marci Capite undecimo, Lucae Capite decimonono. Christianus Lupus in suo Tractatu: *De Processionibus* et alii tenent sacras Processiones in Christiana Religione fuisse ab ipsis Apostolis institutas, qui eas a Synagoga mutuatas in Ecclesiam traduxerunt. Certe fuisse eas in usu saeculo Christi secundo, ex Tertulliano patet, qui variis locis ejus ritus meminit, praesertim vero Libro II *ad Uxorem*. Fateri vero illud cogimur, post datam a Magno Constantino Ecclesiae pacem, publicas Processiones factas esse solemnes ac frequentissimas. Dividuntur insuper Processiones, ut ajunt, in laetas, et tristes, seu lugubres, quarum meminit Durandus Lib. II *De ritibus Ecclesiae Catholicae*, Capite decimo num. 8. Lae-

tas dicimus, quas in modum caelestis cujusdam exercitus ducimus, de Jesu Christi gloria, et triumpho exultantes, et canentes; itemque illas, quas ad gratiarum actionem, ob res bene ac feliciter gestas, celebramus. Tristes autem appellamus, quas solliciti agimus in tribulatione, quam patimur, veniam peccatorum et misericordiam deprecantes, ut tribulationem ipsam avertat Deus, quales sunt illae ad petendam pluviam, ad postulandam serenitatem, et ad repellandam tempestatem, et quae ex antiquo ritu, et ex nostri Ritualis praescripto fieri solent tempore penuriae, et famis, mortalitatis, et pestis, et in quacumque tribulatione. Neque vero omittendum hoc loco illud, ad Episcopum scilicet spectare preces publicas, supplicationesque instituere, ipsique Clero; ac populo modum in iis servandum praescribere. Plenam Episcoporum auctoritatem in indicendis, dirigendisque Processionibus, utpote publicis precibus populum spectantibus, supposuit quidem, confirmavitque Concilium Tridentinum Sessione XXV *De Regularibus, Capite decimotertio.*

IV. Crucem sacris Processionibus praeferri antiquus est Ecclesiae ritus, a priscis Patribus religiose observatus. Crucis in Processione praeferri solitae meminit Gregorius Turonensis non uno in loco, praesertim vero in Libro *De gloria Confessorum*, Capite LXXCX. Antiquissimus est Ecclesiae ritus, qui hodieque religiose servatur, ut ad Crucem in sacris Processionibus duo lumina adhibeantur. Hunc ritum memorant quamplures Synodi, et variarum Ecclesiarum Ritualia, quorum loca supervacaneum puto hic recensere. Quamquam vero Rituale Romanum simpliciter mandet, ut in Processionibus *praeferatur Crux*, nulla facta expressione Crucis cum imagine Crucifixi; invaluit tamen usus, qui generatim servatur, ut Crux ipsa Imagine Christi Cruci affixi sit insignita. In solemnioribus Processionibus, uti animadvertit Bauldry *Manuale Sacrarum Caeremoniarum* Caput XIV. *De Processionibus*, quae fiunt in festivitatibus et pro gratiarum actione, aut similibus cum populi concursu, praeter Ceroferarios Thuriferarius cum thuribulo fumigante, et navicula cum thure boni odoris praecedit Crucem. Non-

nulli quidem Ordines Regulares, ad ostendendam magis magisque suam paupertatem atque humilitatem, nudam Crucem ligneam solent deferre; sed hic tamen peculiaris eorum censendus est ritus, qui minime debet in aliorum exemplum transire. Quicquid sit de hoc peculiari ritu, certum illud est, debere ab omnibus Religiosis familiis, atque a Confraternitatibus Crucem deferri cum Palliolo seu Velo pendente, Sacris Imaginibus picto Sanctorum Titularium sui Ordinis, seu Ecclesiae, ut moris est; ut sic distinguatur a Cruce Cleri Saecularis, quae sine ullo Palliolo defertur, ut docet Gavantus in Rubricas Missalis, et Breviarii Romani, Parte prima, Titulo XIX: ubi etiam affert eam in rem Sacrae Rituum Congregationis Decretum: *Crux autem a Regularibus defertur cum Velo pendente*, ex Decreto Sacrae Rituum Congregationis 14 Januarii 1617 ad indicandam subjectionem, respectu Cleri Saecularis. Citant et ipsum Decretum Macri, in suo *Hierolexico verbo Crux;* et Baruffaldus, in Commentariis *ad Rituale Romanum* Titulo XXXVI. Crux demum ubi in Processione praefertur, ut scite notat Gavantus, Christi Imago Cruci affixa terga debet vertere Clero sequenti, quasi Christus praeire videatur, nisi sit Crux Archiepiscopalis, vel Papalis, in qua Imago Crucifixi respicit Archiepiscopum, vel Papam, quasi ex illius aspectu in summa animarum cura recreentur; etiamsi inter Crucem, et Antistitem incedant Canonici, ut expresse habetur in Caeremoniali Episcoporum Lib. I Cap. XV contra recentiores quosdam ab ipso Gavanto notatos. Ecclesia praecipiens ut in Processionibus Crux praeferatur, intendit aspectu illius coetum fidelium ardentius excitare ad orandum, ut ita facilius finem illum consequatur, ad quem Processio ordinata est. Praeferri etiam jam olim consuevit in Processionibus vas Aquae benedictae cum aspersorio, ex Decreto Concilii Nannetensis, quod citat Eveillon *De Processionibus* Capite tertio, ut ejus aspersione purificetur obvius quisque, et simul loca per quae transit Processio, ad effugandam omnem potestatem Daemonis. Ritibus huc usque enarratis adjungendus est ille, qui vel primis Ecclesiae saeculis in usu fuit, praeferendi nimirum una

cum Cruce Evangelii Codicem. Quod autem binario ordine incendendum sit, ritus plane antiquus est ab Ecclesia praescriptus, cujus rationem tradit S. Bernardus in Sermone: *De Purificatione Beatae Virginis*, ubi sic inquit: *Merito bini et bini incedimus; sic enim ob commendationem fraternae charitatis.* Theophilactus ad locum Lucae Cap. X ubi dicitur Christus misisse *Discipulos suos binos in omnem Civitatem et locum, quo erat ipse venturus,* sic inquit: *Bini incedimus, ut alter alteri sit auxilio, solatio, stimulo, et excitamento ad virtutes.* Ratio alia naturalis est, ut in psallendo, et orando cum praescriptis precibus quisque habeat socium suum, qui psalmodiam alternet, et sibi respondeat.

VI. Quod ad colorem paramentorum spectat, erit regulariter coloris convenientis Processioni, mysterio, aut festo, aut necessitatibus. Si fiat Processio SS. Sacramenti, color albus adhibetur. Si item fiat pro gratiarum actione, regulariter albus, nisi deferatur insignis Reliquia ad id facta, quae alium colorem requirit. Si pro necessitatibus fiat, ut tempore Jubilaei, famis, pestis, etc., paramenta violacea adhibeantur. Idem adhibetur in Litaniis majoribus, et minoribus. Esse antiquum ritum, ut sacrae Processiones *Hymnorum, Psalmorum*, aliorumque Canticorum spiritualium decantatione peragerentur, innumeris plane exemplis probari posset. Debent cantari in Processionibus pro necessitate Litaniae, aut Psalmi fini Processionis convenientes, ut in Rituali Romano. Cantores in medio regulariter procedere debent, ut ab omnibus audiantur, reliqui vero omnes simul vel respondebunt, vel si solemniter cantatur, eadem repetendo pariter cantabunt. Episcopus, vel alius Praelatus immediate sequitur celebrantem, Magistratus postea, inter quos dignior praecedit. Fratres autem, Monachique habitum gestant suae Religionis; Clerici superpelliceis, vel aliis sacris vestibus debent esse induti, ut docent passim Sacrae Synodi, ac praesertim Mediolanensis Prima Provincialis, Capite *De Processionibus, et Supplicationibus.* Curandum insuper est illud summopere, ut remoto risu, mutuoque colloquio, et vano oculorum aspectu,

Processionem obeuntes, Populum etiam ad pie, devoteque precandum invitent. Id sane generatim omnes docuit Christus Dominus, praesertim vero Apostolos, ac Sacerdotes, ubi in Evangelio Matthaei, Capite quinto sic ait: *Vos estis lux mundi, sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in Coelis est.* Quando Processiones fiunt intra Ecclesiam, eas inchoare convenit a sinistris Ecclesiae ad dexteram, ita ut egressus sive initium sit a latere Epistolae, regressus sive finis sit ad latus Evangelii Altaris principalis. Processio enim est typus nostrae peregrinationis ad Patriam caelestem: sinistra denotat vitam praesentem, dextera caelestem atque aeternam. Per ritum, qui in Processionibus servatur, nobis innuitur rectus ordo in peregrinatione nostra servandus, et monemur per dolorem, et poenitentiam peccatorum ad iustificationem, et amicitiam Dei procedendum esse, et a mortificatione carnis, et passionum iter nostrum esse inchoandum.

VII. Cur institutae sint publicae sacraeque Processiones; seu Supplicationes et quidem ex antiquissimo Sanctorum Patrum instituto, et Catholicae Ecclesiae praxi, docet nos Rituale Romanum; *vel ad excitandam,* inquit, *Fidelium pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eique gratias agendas, vel ad divinum auxilium implorandum.* Plura salutaria documenta abscondi in Processionibus docent auctores. Hoc ritu Ecclesia voluit monere fideles, ut serio advertant se esse in hoc saeculo viatores, et peregrinari a Domino, totumque eorum negotium esse pergere ad caelestem Patriam. Processiones sunt quaedam breves peregrinationes: in ipsis corporis pedibus pergimus e loco sacro in sacrum locum, ut moneamur, viventes piis animi affectibus pergere debere de virtute in virtutem, donec videre mereamur Deum Dominum in Sion. Per musicos cantus in Processionibus adhibitos demonstratur concordia omnium fidelium ad laudem et honorem Dei. Delatio candelarum accensarum designat exemplum bonorum operum, quo omnes Jesum Christum sectemur, sed praesertim Sacerdotes qui debent praeire populo, eumque in viam salutis dirigere, iuxta illud

S. Gregorii Magni Hom. 13 in Evangelium Lucae: *Lucernas ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus.* Utitur pariter Ecclesia in Processionibus candelis accensis, ut significet flammas orationum et precum. Hoc pio ritu accendendi candelas Ecclesia etiam protestatur, se vera Fide, et luce verae doctrinae esse illuminatam a Salvatore qui fuit lux vera illuminans omnem hominem in hunc mundum venientem. Sunt propterea Processiones valde utiles populo Christiano, ob magnam vim, quam habent impetrandi a Deo gratias, quarum indigemus: unde multa ab auctoribus adducuntur exempla comprobantia fructus innumerabiles provenientes fidelibus a Processionibus rite et recte factis. Vide Quarti *De Processionibus punct.* 8 num. 25 26.

CAPUT II.

DE PRECIBUS IN PROCESSIONE PRO GRATIARUM ACTIONE, ET DE PROCESSIONE IN TRANSLATIONE SACRARUM RELIQUIARUM INSIGNIUM.

I. Aequum est ac necessarium omnino, ut accepto a Deo insigni aliquo beneficio ad bonum praesertim commune et publicam utilitatem spectante, reddatur illi debita gratiarum actio, uti recte adnotavit Barrufaldus ad Capitis hujus Rubricam. Ingratos enim odit Deus, atque indigni fiunt qui novas gratias accipiant; ut inter alios testatur S. Bernardus Sermone LII in Cantica. Quapropter statim ac precibus populi sui indulserit Deus, eumque ab aliqua calamitate liberaverit, vel illi gratiam singularem satis desideratam elargitus fuerit, cura erit Episcopi, sive ejus Vicarii indicere Processionem pro gratiarum actione. Color paramentorum adhibendorum in hac Processione erit Albus in signum laetitiae, atque concordat cum solemnitate, quae incipit ab Hymno, sive Cantico *Te Deum Laudamus.* Viae quoque designari debent ampliores et commodiores a magistro sacrarum Caeremoniarum, quae si tapetibus et aulaeis velisque coloratis ornarentur, maxime concordarent cum communi laetitia,

et magis ostenderent accepti Beneficii gaudium. Hymnus *Te Deum Laudamus* plenus est laetitiae, et propterea in signum gaudii pro gratiis obtentis cantatur, etiamsi illa die reticendus esset in officio, eo quia ratio solemnitatis id postulat, nec Processio in hoc concordare debet cum Missa. Praeter Hymnum *Te Deum Laudamus*, ubi longa est via, per quam transit Processio, ex praescripto Ritualis dici poterunt Psalmi, nempe *Jubilate Deo omnis terra*, *Exultate Deo adiutori nostro*, et *Laudate Dominum omnes gentes*. Preces et orationes praescriptae spectant quidem et ipsae ad Deum laudandum, eique gratias agendum pro beneficiis ab eo acceptis.

II. Finis Processionum translationis Reliquiarum, sanctior est: intendit enim Ecclesia fideles et omnem populum excitare ad eorum sequenda vestigia. Multiplici ratione fieri potest sacrarum Reliquiarum translatio, semper vero ab Episcopo, uti observat Fagnano in Cap. II Tit. 45 n. 15, nec non ob justam causam, sive agitur de revelatioue alicuius sancti corporis, quod venerationi et cultui exponi debeat, vel de translatione ab una ad aliam Ecclesiam ut ibi perpetuo adservetur, vel demum de Processione solummodo cum sacris Reliquiis ab una ad eamdem Ecclesiam. Circa hujusmodi Processiones,. Translationesve sacrarum Reliquiarum plura scitu hic digna adnotanda censemus. Primo itaque requisita fuit, ad eas celebrandas Processiones, Episcoporum et Praelatorum licentia, ut patet ex Reinerio in Libro Miraculorum S. Gisleni et ex aliis plurimis monumentis Ecclesiasticis. Secundo praemissum fuisse hujusmodi Processioni, Translationive Reliquarum, jejunium, constat ex actis Sanctorum, quae passim occurrunt apud eruditos socios Bollandianos. Tertio sacras Reliquias in earum Processione a praecipuis, et senioribus delatas fuisse. Corpus S. Filiberti *Sacerdotum, Levitarum, simul ac Monachorum humeris elevatum*, et delatum dicitur in ejus Translationis Historia. Quarto cum ipsae Processiones ante aliquod Monasterium, aut Ecclesiam pertransirent, aut accederent, sacris Sanctorum Reliquis tam Clerici, quam Monachi certatim procedebant obviam,

ejusque disciplinae plurima nobis occurrunt exempla in Actis Sanctorum. Quinto cum sacrae Reliquiae aliqua pernoctarent in Ecclesia, nusquam sine Sacerdotum psallentium et orantium custodia dimittebantur; quod videre est in Libro Miraculorum S. Columbani. Cap. XI.

III. Notandum est, non omnes Reliquias a nostro Rituali designari, sed tantummodo *Insignes*. Quaenam vero dicantur Reliquiae insignes, habemus ex Gavanto *Manuale Episcoporum. Verb. Reliquia* n. 45; suntque Corpus integrum, Caput, Brachium, Crus; quibus Sacra Rituum Congregatio addidit partem illam Corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra, et non parva. Hoc prae ceteris animadvertendum praemittendumque est: ante omnia debere fieri recognitionem Reliquiae per Ordinarium, et bene perpendi, an de authentica veritate constet ejusdem, et de his omnibus publicam descriptionem et documentum per Notarium fieri debere, ut tuto, et sincere possit Reliquia transferri, et exponi publico cultui. Ornanda autem est Ecclesia, prout videbitur illius Rectori, vel illi, cui praecipua hujusmodi translationis cura incumbit. Viae vero juxta pietatem, devotionemque fidelium ornentur, quorum industria erit trophaea et insigna Sancti illius, de quo fit translatio, exponere, nec non symbola eidem congruentia, uti observat Barrufaldus. Quod ait Rituale de vestibus albi rubeique coloris adhibendis a Sacerdotibus, et Ministris, puto equidem ad eos referri, qui trophaeum Sacrarum Reliquiarum gestant; nam reliquus Clerus cum superpelliceo, quod est ecclesiasticum Clericorum indumentum, procedit.

IV. Duo tantummodo colores, ex quinque Ecclesiasticis, sunt qui adhiberi possunt in Processione, et Translatione sacrae Reliquiae; demptis enim Martyribus, et illis Reliquiis, quae ad Dominicam Passionem pertinent, ceteri Sancti cujuscumque ordinis hierarchici sint, colore albo consociandi sunt atque ideo Rubrica dicit Albi, vel Rubri coloris. Luminaria accensa in manu omnium procedentium esse debent: cum enim triumphalis sit haec Processio, haec lumina speciem triumphi renovant. Antiphonae, Hymni, et Psalmi de-

cet ut sint laetitiae et solemnitati convenientes. *Te Deum* vero cantabitur eo tempore quo Reliquiae Ecclesiam intrant. Ritum esse antiquum, ut Hymnus ipse *Te Deum Laudamus* in Translationibus, Processionibusve sacrarum Reliquiarum decantaretur, ex Sanctorum actis atque Translationibus addiscimus. Una cum Hymnis, et Canticis, Psalmos praesertim cantari consuevisse in ista sacra ac publica Reliquiarum Translatione, multis probari potest exemplis, quae passim occurrunt apud Bollandianos. Constat illud quoque ex actis Sanctorum, permultis cereis, luminibusque translatas vel olim fuisse eorum Reliquias, et aliquando etiam non sine miraculis ultro accensis, uti contigit Reliquiis S. Benedicti in Processione delatis apud Bollandianos die XXI Martii. Occursum praeterea antiquitus cum solemni pariter Processione sacris Reliquiis, cum transferrentur, certum quoque est atque exploratum. Atque hic observa alium ritum, qui hodieque servatur, ut nempe Campanae Ecclesiarum, per quas transit sacra Reliquiarum Processio, sono festivo pulsentur. Qui quidem ritus non modo variis antiquis exemplis probatur, verum etiam in variis Synodis, Ritualibusque fuit praescriptus.

CAPUT III.

DE PROCESSIONE AD PETENDAM PLUVIAM, ET AD POSTULANDAM SERENITATEM.

I. Antiquissimae sunt in (1) Ecclesia, et quidem longe ante datam Ecclesiae pacem usitatae a Christianis ad impetrandam pluviam, Supplicationes, eumque pium morem omni aevo servavit Ecclesia, ubi pacem, tranquillitatemque recuperavit, ut innumeris pene exemplis probari posset, quae in Historia Ecclesiastica, et in Vitis Sanctorum occurrunt. Eliae exemplum, quod Vetus aeque ac Novum Testamentum celebrat, a majoribus nostris summopere commendatum est in hujus-

(1) De Processionibus in die Festo Purificationis B. Mariae, de Processione in die Palmarum, et in Festo S. Marci, et in Festo Sanctissimi Corporis Christi, vide Tractatum de Festis.

modi ad impetrandam pluviam Supplicationibus. Unde S. Augustinus in Sermone XXII de Tempore sic inquit: *Oratio justi clavis est Caeli. Ascendit ad caelum precatio, et descendit miseratio.* Quod si non statim fluant aquae, perseverare oportet in oratione; saepe enim vult Deus experiri spem nostram in Eum, et perseverantes exaudire. Quod ejusdem Eliae exemplo comprobatur, septies enim ille oravit ad impetrandam pluviam, et septies misit puerum ad videndum, num caelum nubibus obtegeretur, cumque puer nihil se videre diceret, Elias ferventius orabat, donec septima vice voti compos effectus est, uti legere est Lib. III Regum, Cap. XVIII in fine.

II. Quum haec Processio ad impetrandam pluviam poenitentialis sit, jam fieri omnino debet in paramentis violaceis. Cum Litaniae majores pro publica poenitentia institutae fuerint, hinc ad omnes actus poenitentiales illas inservire decrevit Ecclesia. Deprecatio: *Ut congruentem pluviam*, etc. duplicatur, quia in hac Processione de hac re specialiter agitur, et propterea illam fideles praecipue poscunt: ita pariter in aliis publicis necessitatibus fit. Completis precibus post Litanias Majores et omnibus recitatis orationibus, cantatur psalmus 146 qui juxta Bellarminum est exhortatio ad laudandum Deum ob ejus beneficentiam, de qua fit mentio in versiculo; *Qui operit caelum nubibus, et parat terrae pluviam* ad hanc necessitatem accommodato. Romanum Sacerdotale mandat, ut *dicatur Missa ad pluviam postulandam, ut habetur in Missali* antiquo scilicet, nam in Missali correcto jussu Pii Papae V desideratur hujusmodi Missa, sed extant tamen tres orationes ad *pluviam petendam*, dicendae in Missis currentibus, ubi scilicet proprius Episcopus ab agricolis rogatus id jusserit. Ut aliquid demum de ritu Orientalis Ecclesiae dicamus, longe prolixiores sunt preces, quas ipsa adhibet.

III. Quemadmodum congruae pluviae donum universam terram laetitia implet, ita incessantis pluviae flagellum obumbrat horrore; et propterea sicut ad impetrandam pluviam habetur ad Deum recursus, et supplicatio; ita ad eam compescendam, ad eumdem, qui

omnium bonorum dator est, fieri debet accessus per publicas preces, et supplicationem, seu Processionem. Consuevisse olim vel primis Christi saeculis sanctos Episcopos variis uti precibus ad coercendam inundantiam imbrium et fluminum, docent nos antiqua exempla, quae in sanctorum Episcopornm Vitis occurrunt. Praeter preces, fieri etiam consuevisse olim publicas Processiones, Supplicationesque, depellendis nimiis pluviis, et aeris serenitati recuperandae, innumeris probari posset exemplis, veterumque Scriptorum testimoniis. Sancta Mater Ecclesia itaque instituit hanc Processionem de more aliarum Poenitentialium faciendam, ut hoc pacto fideles iram Dei averterent, et aeris serenitatem impetrarent. Ut ergo hic de iis Processionibus, Supplicationibusque disseramus, quae depellendis nimiis pluviis, obtinendaeque optatae serenitati peraguntur, jam illud monemus, sollicitiores fuisse prae caeteris Romanos Pontifices ad eas indicandas riteque celebrandas. Neque vero priscis tantum saeculis ipsi Romani Pontifices pellendis nimiis pluviis Supplicationes instituerunt. Elapso saeculo, ut alios omittam, Summi Pontifices non sine elogio nominandi, Benedictus XIII et Benedictus XIV, ad postulandam aeris serenitatem, ipsas Supplicationes celebrarunt, summa religione, ac pietate admirabili. Advertendum est in hac Processione facienda, quod cum plerumque fiat pluvio tempore, prudentis magistri sacrarum Caeremoniarum erit onus assignandi viam breviorem et commodiorem. Eoque magis erit breve iter assignandum, si Reliquiae Sanctorum processionaliter afferantur. Canitur psalmus sexagesimus sextus, in quo imploratur divina misericordia, confitetur divinam bonitatem, et justam peccatorum nostrorum punitionem. Per illud *Terra dedit fructum suum:* aliquo modo innuitur, ut cessata pluvia, terra germinet, et fructus consuetos producat Versiculi, seu Preces in fine positae, ex Sacra Scriptura desumptae sunt, et praesertim ex Genesi, ubi de Diluvio universali sermo fit. Orationes ex Missali Romano transcriptae sunt.

CAPUT IV.

DE PRECIBUS AD REPELLENDAS TEMPESTATES, DE PRECIBUS TEMPORE PENURIAE ET FAMIS, DE PROCESSIONE TEMPORE MORTALITATIS ET PESTIS, DE PRECIBUS TEMPORE BELLI, ET DE PROCESSIONE IN QUACUMQUE TRIBULATIONE.

I. Quum tanta verno praesertim, aestivoque tempore soleat esse vis tempestatum, ut non modo sternat agros, sternat sata laeta, bovumque labores, sed et domos ipsas, earumque habitatores, merito Ecclesia varias preces ad eas avertendas instituit ordinavitque. Variis precibus, modisque religiosis consuevisse Episcopos, sanctosque homines tempestates cohibere, Scriptores vitarum ipsorum passim nos docent. Orationum formula jam non una usi sunt sancti homines ad tempestates repellendas. Longum esset peculiares preces hoc loco referre, quibus Sancti ea tempestatis occasione usi sunt. Multum valere orationem, signum Crucis, ac intercessionem Deiparae, ad tempestates depellendas, a nemine in dubium revocari potest. Longum esset varia ex Ecclesiastica Historia Vitisque Sanctorum exempla referre, quibus docemur, candelis stata Ecclesiae caeremonia, peculiarive Sanctorum prece benedictis, sive cereis Agnis rite a Summo Romano Pontifice benedictis, vel Sanctorum Reliquiis, sedatas plerumque tempestates fuisse. Sed non omittendus est antiquus Exorcismi usus, qua olim Episcopi et Sacerdotes tempestates ipsas compescere consueverunt. De ritu est, ut tempore tempestatis pulsentur Campanae, quia ratione benedictionis illis elargitae virtutem habent sedandi tempestates. Quamquam vero ad repellendas tempestates adhibendae sint preces, quas praescribit Rituale, servandae nihilominus si quae sint aliae probatae locorum sunt consuetudines. Litaniae et ceterae preces orationesque dicendae sunt ad ipsum Altare. Recitatur Psalmus *Lauda Jerusalem* etc. in quo mentio fit Benedictionis Adipis, Frumenti, Nivis, Nebulae, Frigoris, Aquae. Praeterea iste Psalmus excitat fideles ad Deum laudandum

ob multa beneficia, uti observat Bellarminus. Orationes in Rituali praescriptae sunt poenitentiales, et in tertia earum ad signum Crucis Sacerdos manu vel sacra Reliqia benedicit aerem. Insuper aquam benedictam adhibet, quia inter virtutes aquae benedictae illa enumeratur, fugandi tempestates et procellas.

II. Est quidem fames unum ex atrocioribus Dei peccata populi punientis flagellum, tempestatisque nomine appellata fuit a Ieremia Propheta Cap. V, ubi populi sui afflictiones recensens, in oratione quam ad Deum habuit, sic inquit: *Pellis nostra, quasi clibanus, exusta est a facie tempestatum famis.* Officium in primis Episcopi erit, Rectorumque Ecclesiarum, ubi nempe extrema necessitas urgeat, vel sacra ipsa Ecclesiae vasa confringere, pretiumque in alimoniam pauperum erogare, exemplo SS. Ambrosii, Augustini, aliorumque veterum Patrum, quos recenset laudatque Thomassinus Parte III *Veteris, ac Novae Ecclesiae Disciplinae,* Lib. III Cap. XXVI et seqq. Sane refert Sozomenus Lib. IV *Historiae Ecclesiasticae,* Cap. XXIV a Cyrillo Hierosolimitano Episcopo divenditos fuisse thesauros, atque sacros ornatus Ecclesiae, quo plebi adesset annonae penuria et fame laboranti. Ad impetrandam annonam tempore penuriae et famis, recte Ecclesia preces instituit et quidem poenitentiales. Praeter Litanias et Preces tempore penuriae et famis ex praescripto Ritualis dicendas, consuevisse olim ad eas avertendas fieri a Clero et Populo Processiones, ex variis Historiae Ecclesiasticae exemplis constat, easdemque praescribit S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi V Capite inscripto: *Quae ad Processiones pertinent.* Bis autem in earum precibus dicendum praescribitur, *ut fructus terrae dare, et conservare digneris*, ut ea scilicet obsecratione, Divina misericordia dignetur nobis fructus terrae largiri, et conservare, pro quorum penuria facta est fames in populo. Post Litanias ex praescripto Ritualis dicitur Oratio Dominica et Psalmus XXII *Dominus regit me etc.* Oratio Dominica consuevit semper dici ante alias Preces, peculiari tamen ratione dicitur in Supplicatione ad depellendam penuriam et famem; nam inter alias ejus petitiones ro-

gatur Deus, ut det nobis panem quotidianum; qui quidem a Sanctis Patribus non modo accipitur pro pane Eucharistico, verum etiam pro communi cibo.

III. Omnium malorum teterrimum est procul dubio pestis flagellum, quae peculiari ratione dici assolet Dei flagellum et gladius Dei, uti habetur Lib. I Paralipomenon, Cap. XXI. Bis dicitur obsecratio a *peste*, ad demonstrandum, quod enixe preces ad hoc fiunt. Psalmus est sextus in ordine Psalterii, et primus poenitentialium, in quo tractatur de infirmitate, de sanitate, et de aliis ad rem praesentem facientibus. Orationes vero omnes poenitentiales sunt. In prima Oratione mentio fit primum intercessionis Deiparae Virginis, quod illa potissimum valeat ad profligandam pestem, ut testantur templa in ejus honorem erecta variis locis, ac praesertim Romae et Neapoli, ob urbem ac regnum a peste servatum. Omnibus notum est, quanta sit prae ceteris Sanctis Deiparae apud Deum intercessio ad avertenda mala, quibus Dei iram provocamus ad ulciscendum. Praeter Sanctissimae Virginis invocationem fit et in praedicta Oratione Sancti Sebastiani Martyris mentio, ob pestem ejus cultu sedatam Romae, et in aliis nonnullis Italiae civitatibus anno DLXXX, Sancto Agathone Pontifice Maximo. Morem ipsum erigendi aras ac Templa in S. Sebastiani honorem ad pestem propulsandam, probavit quidem Sacerdotale Brixiense, Distinctione VI Cap. IV, ubi quaerens, quid agendum a Parocho tempore pestis, inter alia num. 7 ait: *Progrediente morbi calamitate, vota Sancto Sebastiano per populum fieri urgeat.* Probarunt et Sancti Antistites, qui in dira apud ipsos grassante peste, ut ab ea liberarentur, ad intercessionem ejusdem S. Martyris confugerunt.

IV. Cum multae oriantur ex bello calamitates, ut tot malis occurratur, ante omnia recurrendum est ad Deum per Orationem ac Preces Supplicationesque ut bellum avertat. Psalmus dicendus post Litanias est quadragesimus quintus, qui scriptus fuit in gratiarum actionem pro victoria Davidis ab inimicis suis, Deo auxiliante, reportata. Preces post psalmum, atque Orationes in Rituali notatae, eodem tendunt, ut nempe Ec-

clesiae hostibus profligatis, Ecclesiae tranquillitas donetur.

V. Quamquam vero ex repetitis Sacrae Scripturae oraculis, ac Patrum testimoniis, aequanimiter perferendae sint tribulationes, ex eisdem nihilominus passim docemur, ut, dum ipsis affligimur, ad Deum clamemus, eumque obtestemur per preces publicas supplicationesque, ut ab iis nos dignetur eripere ac liberare. Ait enim Deus ipse in Psalmo XC *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.* Ex quibus verbis forte desumptus est ritus ille antiquus, ac fere communis, dictus, *Clamor pro tribulatione*, quo nomine, ut tradit Martene Lib. III *De antiquis Ecclesiae Ritibus*, Cap. III vocabant majores nostri nonnullas preces, quas Sacerdos inter sacrosancta Missarum solemnia post Dominicam Orationem, sanctam in manibus tenens Eucharistiam proferebat. Has preces comitabatur universalis Ecclesiae luctus, quem in extinctione luminarium in templis accendi solitorum, denudatione Altarium, Officio et cantu submisso, aliisve hujusmodi tristitiae argumentis palam faciebat. Numerus calamitatum cum innumerabilis sit, quibus potest universa terra afflictari, et singulis velit occurrere pia Mater Ecclesia; hinc est, ut, expositis jam nonnullis calamitatibus, et pro earum liberatione, aliquibus assignatis precibus, sub uno titulo omnes alias evocare curaverit, Orationes, et Preces assignando *pro quacumque Tribulatione.* Inter generales autem tribulationes, quibus humanum genus affligi solet, recenseri quidem potest Terraemotus, cui avertendo indici potest Processio cum designatis Precibus Poenitentialibus, juxta antiquum et usitatum Ecclesiae ritum, in Historia Ecclesiastica ac in Vitis Sanctorum frequenter memoratum atque expressum. Praeter Terraemotus sunt et aliae multae calamitates, ut arborum arescentia, locustarum, murium, et brucorum copia, fluminum intumescentia et hujusmodi alia. Hinc optime factum est, ut generatim ad eas omnes propulsandas ritus instituеretur, idest *Processio in quacumque tribulatione.*

CAPUT V.

DE ORDINE AD RECIPIENDUM PROCESSIONALITER PRAELATUM VEL LEGATUM.

I. Praelatorum nomine eos in hoc capite intelligimus, qui in coetu hominum ecclesiastico, sub quo etiam religiosum vel monasticum comprehendimus, dignitate, auctoritate, et officio ceteris sunt praepositi, nempe Episcopi, Abbates, Generales Ordinum religiosorum, et alii id genus homines dignitate, et auctoritate praestantes. Quod autem Legatos spectat, eos etiam intelligimus in hoc Capite, quibus Romani Pontifices legationis officium demandant; estque triplex ipsorum genus; alii enim sunt Legati a Latere, alii Missi, alii Nati: de quibus Canonistae fere omnes agunt in Cap. I *De officio Legati*, et alii complures in peculiaribus Tractatibus *De Legatis*. Mos olim fuit, ut Episcopis, sive Apostolicae Sedis Legatis ad aliquem locum venientibus Clerus et populus, honoris et officii causa, praelato Crucis vexillo, obviam procederet, quod non unum nos docet exemplum. S. Athanasio Alexandriam ab exilio redeunti occurrisse Alexandrinos, variis agminibus per sexus, aetates, et artes divisis, egregie narrat in oratione sua in laudem ipsius Athanasii S. Gregorius Nazianzenus. In honorem S. Porphyrii Constantinopolim reducis instituisse cives Majumae, et Gazenses Christianos solemnem processionem. testatur in ejus Vita Marcus Diaconus. Apud Latinos morem fuisse, ut Clerici et Virgines, quae castitatem professae erant, Episcopo in Ecclesiam procedenti cum cantu omnes occurrerent, testatur in Epistola sua CCIII S. Augustinus. Certe, quod solemni cum processione, cum Crucibus ac cereis atque Psalmodia soleret olim Clerus, ac populus obviam ire Episcopo, multis exemplis ostendi posset. Praeter faces ac Cruces, adhibitum etiam fuisse in Episcoporum adventu thuris suffitum, docet nos Epistola S. Cyrilli Episcopi Alexandrini ad Clerum et populum Alexandrinum. Episcopis

praeterea tamquam praeconibus verbi Dei, a Clericis aeque ac Monachis cum sacris Evangeliorum codicibus occurri, antiqui moris fuit. Enarratos hucusque atque alios id genus ritus, servatos olim praesertim ubi novus Episcopus ad suam Ecclesiam recipiebatur, addiscere licet ex variis Ecclesiarum Ritualibus. Extant innumera apud Ecclesiasticos Scriptores exempla, quae nos docent, ritum alium occurrendi Episcopis, nempe cùm Sanctorum Reliquiis.

II. Maximo cum honore excepti semper fuerunt Legati Sedis Apostolicae. Cereos et Cruces ferre solitus erat Clerus et populus: quo honores posterioribus saeculis a variis Regibus exhibitos fuisse Apostolicae Sedis Legatis, in suis Annalibus enarrat Baronius, in eorumque Continuatione Odericus Rainaldus, et ex eisdem Ludovicus Thomassinus in sua veteri ac nova Ecclesiae Disciplina, Parte I. lib. II Cap. CXIX num. IX. Recens minime est institutum in solemni receptione Episcoporum, seu Legatorum, super eorum caput baldachinum, seu pallium, ut ajunt, deportari, Baldachinus, seu baldekinus, tametsi alia significet apud mediae, et infimae Latinitatis Scriptores, hic tamen pro umbraculo sumitur, seu umbella, sive mappa, vel mappula, quae deferri supra caput Episcopi consuevit, dum ad altare Sacra facturus procederet, seu Stationem faceret; eratque diversis imaginibus ornata, quatuorque baculis, seu hastis innixa, quam quidem ii qui deferebant, *Mappularii* dicebantur. Apud nostrates umbraculum istud appellatur etiam Pallium, eoque Magistratus locorum quos honorare volebant viros sanctitate seu dignitate conspicuos, dum civitates ingrederentur, laetantibus animis excepisse docent nos non pauca exempla. Praelatus vel Legatus hoc modo juxta nostrum Romanum Pontificale recipitur. Processio enim ante fores Ecclesiae ordinata, Reliquiae vel Crux, et Praelatus Ecclesiae, paratus pluviali, mitra et baculo pastorali, cum majoribus ipsius Ecclesiae paratis pluvialibus eum expectant. Accedens vero Praelatus, vel Legatus recipiendus, genua flectit coram Cruce, vel Reliquiis super tappetum paratum, et Crucem, vel Reliquias osculatur. Deinde surgit, tunc Praelatus, vel, eo absente,

major ipsius Ecclesiae offert illi aquam benedictam, ut se et circumstantes aspergat, et thus in thuribulo ponendum. Quo facto, idem Praelatus, vel major Ecclesiae, incensat illum solum. Deinde procedens ad Altare major Ecclesiae, et ibi dum super faldistorio orat Praelatus, seu Legatus, Praelatus Ecclesiae dicit orationem *Omnipotens sempiterne Deus.* Postea Praelatus vel Legatus ascendit ad Altare, dicit orationem de Sancto Patrono, et dat benedictionem solemnem populo. Quae in hoc nostro Pontificali praescripta sunt, extant quidem in Pontificalibus ante Clementem VIII editis. Posse Legatum, ubi Summus Pontifex hanc ei facultatem tribuit, etiam plenarias Indulgentias concedere, docent Theologi passim. Quod vero ceteros Episcopos spectat, temporales tantum, et non ultra quadraginta dies, idque certis in casibus, indulgentias concedunt, ex praescripto Capitis, *Cum ex eo, extra., De poenitentiis, et Remissionibus*, quod ex Concilio IV Lateranensi sub Innocentio III sumptum est.

LIBER QUINTUS

DE EXEQUIIS ET SEPULTURIS.

CAPUT I.

DE EXEQUIIS.

1. Ab ipso Ecclesiae (1) exordio majores nostri certis et statis ritibus corpora Christianorum, ut animarum domicilia et templa Spiritus Sancti, sepeliri docuerunt, eorumque sepulturam congruis honoribus ornarunt. Pervetustum Ecclesiae ritum laudat inter alios Origenes qui Libro VIII contra Celsum sic ait: *Rationabilem animam honorare didicimus, et hujus organa sepulchro honorifice demandare.* Plura de hoc pietatis officio mortuis impendendo habet S. Augustinus in Libro: *De cura pro mortuis;* itemque *Sermone* CLXXII *De verbis Apostoli.* Quum non omnes plane homines eodem mortis genere obeant hinc, recte statuit Rituale, *ut nullum corpus sepeliatur, praesertim si mors repentina fuerit, nisi post debitum temporis intervallum, ut nullus omnino de morte relinquatur dubitandi locus.* Communis hodie praxis merito invaluit, ut etiam qui non repentine moriuntur, sepeliantur, absoluta hora vigesima quarta; praeterea ut Missa, cum mortui corpus sepelitur, quando scilicet commode fieri potest, pro eo pie celebretur; quia nimirum id et Canonum jure, et sacrorum rituum Libris cautum est, ut diserte edicit Sanctus Carolus in Concilio Provinciali VI Mediolanensi,

(1) Spondanus, *De Sacris Coemeteriis*, Cap. I et seqq; Catalano, *Rituale Romanum commentariis illustratum*, *De Exequiis Tit. VI.*

Capite, *Quae ad funera pertinent*. Et quidem, quod Missa praesente cadavere, antequam ipsum sepulturae demandaretur, ex antiquo Ecclesiae instituto celebrari consueverit, testatur Eusebius Lib. IV *De Vita Constantini*, Cap. 71, ubi ait Imperatorem ipsum cum Liturgia sepultum fuisse. Luculentissimum veteris hujus disciplinae testem habemus etiam S. Augustinum Lib. IX *Confessionum*. Longum esset Conciliorum tum veterum, tum recentium Canones, et Ritualium loca describere, quibus praescribitur, ut Sacrificium praesente cadavere offeratur, tametsi defunctus pauper sit.

II. Posse in diebus festis, praesente corpore, celebrari Missam solemnem de *Requiem*, statuit etiam Sacra Rituum Congregatio die 23 Maji anni 1608 apud Gavantum in Manuali Episcoporum, verbo *Missa*, num. 27 sed conceditur id quidem, ut ait nostrum Rituale, *dum tamen Conventualis Missa, et Officia divina non impediantur, magnaque diei celebritas non obstet*. Loquitur insuper textus de magna diei celebritate, uti festum Paschatis, et alia festa duplicia primae Classis, in quibus nec etiam praesente cadavere celebrari potest Missa solemnis Defunctorum, ex Decreto Sacrae Rituum Congregationis edito die V Iulii. Porro spectant haec ad recentiorem Ecclesiae disciplinam; nam alias juxta antiquum Monachorum ritum Missa Defunctorum praesente cadavere, non modo Dominicis festisque diebus, sed in celebrioribus solemnitatibus, quales sunt Natalis, Paschatis, et Pentecostes, praedicta Missa celebrari solita fuit. Ita Martene Lib. II *De antiquis Monachorum Ritibus*, Cap. VI num. 42. Ceterum sicut Clericis severe semper prohibitum fuit, ne super sepulturis, aut exequiis, aliisve similibus rebus paciscantur, ita quoque laicis demum inculcatum fuit, ne pias, et laudabiles, ac receptas offerendi aliquid consuetudines facile infringant.

III. Usus cereorum in funeribus defunctorum antiquissimus est apud Christianos. Isti cerei accenduntur non ex superstitione, ut effutiunt nonnulli haeretici, sed ad significandum animas vivere, et defunctorum corpora resurrectura. Praelatos fuisse defunctis cereos in signum triumphi ob peracti viriliter agonis cursum,

insinuat S. Joannes Chrysostomus, Homilia IV in Pauli Epistolam ad Hebraeos. Circa numerum cereorum standum est consuetudini, seu praescriptioni Taxae constitutae ab Ordinario. Teneri Parochos pauperes suae curae commissos, vita functos gratis sepelire, ac debita etiam lumina in eorum funere suis impensis adhibere, praeter praescriptum Ritualis mandant passim sacrae Synodi Provinciales aeque ac Dioecesanae. Neque vero in Coemeteriis utcumque Christiani humandi sunt, sed in iis, et quidem ex pervetusto ritu, quae fuerint prius ab Episcopo benedicta. Atque hic nota unum tantum pro ecclesiasticis hominibus assignari sepulcrum, sive ii Sacerdotes sint, sive alii Clerici inferiores. Quod si haec sepulcra pro Sacerdotibus, et Clericis haberi possint distincte, congruum videtur, ut etiam collocentur in decentiori et nobiliori loco, puta in choro, in Presbyterio, alioque simili situ. Immediate ac Cadaver aliquod sepulturae Ecclesiasticae traditum est, jurisdictioni Ordinarii subjacet: ideoque sine ejus licentia non potest exhumari quae quidem et asportari justis de causis potest ab illo denegari.

IV. Corpora defunctorum laicorum in Ecclesia ponenda sunt pedibus versus Altare, Presbyteri vero caput versus Altare habeant; non dubito tamen, quin antiquus sit hujusmodi ritus, cujus inter alios meminit Papalium Caeremoniarum Magister Burchardus in suo manuscripto Diario. Ratio est, quia, sicut inter alios notat Baruffaldus, pedes hominis sunt, qui praecedunt, dum intrat Ecclesiam, ita pedes semper primi esse debent versus Altare, ut nempe facies Altare aspiciat. Quae quidem regula fallit in Sacerdote, mandante nostro Rituali ut *Presbyteri habeant caput versus Altare*, ex privilegio dignitatis Sacerdotalis, per quod fit etiam, ut dum ad Altare celebrant, faciem vertant versus populum et terga Altari; quod quidem cum non faciant alii Ministri Altaris, ideo solis Presbyteris vita unctis concessum est poni in Ecclesia cum facie versa ad Altare, non vero aliis Clericis, etiamsi in Subdiaconatus, vel Diaconatus Ordine constituti sint. Neminem Christianum in communione fidelium defunctum, extra Ecclesiam ac Coemeterium rite benedictum sepeliri debere, antiquissi-

ma est Ecclesiae disciplina, quam passim Patres, Synodi, ac rituales codices probant. Ratio est tum quia sepulturae in locis sacris institutae sunt in honorem fidelium, ut qui pie vixerunt in fide Christi et Ecclesiae, etiam in morte ab Ecclesia excipiantur; tum etiam quia grave damnum censetur defuncto inferri, privare illum commodis et fructibus, qui percipiuntur ex sepultura in loco sacro et benedicto.

CAPUT II.

DE EXEQUIARUM ORDINE.

I. Sepeliendi ritus solemnes (1) ab ipso Ecclesiae exordio in uso fuerunt. Inter alios Sepulturae honores principem locum tenet Processio, qua defunctus ad Ecclesiam defertur. Eam antiquam esse in Ecclesia, ab antiquis Patribus addiscere licet, qui hujusmodi Processiones recensent. Meminit hujus ritus S. Hieronymus, de funere Paulae aliarumque Matronarum disserens. Multa funebrium Processionum exempla recenset Gretserus Lib. I *De sacris Processionibus*, Cap. XIII. Fuisse ipsae in ordinem et certa agmina dispositas, planum nobis facit Nyssenus in Vita S. Macrinae. Ceterum quod ipsa olim Processio funebris perageretur cum cantu et psalmodia ferentium Crucis vexilla, cum candelabris et aromatibus, docet nos auctor Vitae S. Huberti Episcopi Leodiensis, qui obiit anno DCCXXXI. Sacerdotes praesertim cereos gestantes, et Hymnos, Psalmosque canentes hujusmodi Processioni et officio funeris adfuisse, pervetusti Ecclesiae Scriptores testantur. Tintinnabulis vel Campanis populum convocari solitum ad funerum deductionem, prodidit Beda Lib. IV Cap. XIII apud Stephanum Duranti Lib. 1 *De ritibus Ecclesiae Catholicae*, Cap. XXII num. 12. Meminit et ejus ritus Gulielmus Durandus in suo *Rationali* Lib. I Cap. IV ubi ait, pulsari debere Campanas, aliquo moriente, ut populus hoc audiens oret pro illo.

(1) Catalano, *Rituale Romanum commentariis illustratum*, Titulus VI. Caput III.

II. Una tantum Crux est erigenda in funeralibus, quod fit devotionis causa, in memoriam Passionis Domini nostri Jesu Christi Crucifixi, et in signum quod homo ille, qui in funere defertur, mortuus est in signaculo Crucis. Circa quam Crucem multae ortae jam sunt, et in dies oriuntur quaestiones et difficultates ob praeminentiam, quibus tum Canones, tum Sacrarum Congregationum Decisiones, tum auctoritates Doctorum, nedum finem imponere valuerunt. Vide Gavantum, Pignatellium, Lavorium, Barbosam, et Anacletum. Juxta Bullam Summi Pontificis Benedicti XIII, quae incipit *Pretiosus*, sublata est omnis jurgii occasio, nam Crux valet intrare tuto et inoffenso pede quascumque Ecclesias, cum Crux sit in funeribus unice signum Christianae Religionis, non vero Jurisdictionis. Haec Crux in funeribus una erat tantummodo, sed post Bullas Pontificias et Decreta a sacris Congregationibus emanata, insurrexerunt diversa privilegia Regularibus et Confraternitatibus, quae hodie faciunt ut plures Cruces in uno funere associando eleventur. Hoc unum tantummodo usquemodo inconcussum remanet, quod in defunctorum associatione si Capitulum Cathedralis Ecclesiae invitetur, ipsum solum, et non alia Parochia defert Crucem. Clerici quoque deferre debent aquam benedictam in suo vase, ut eam adhibere possit Parochus cum ad domum defuncti pervenerit, cadaver aspergendo.

III. Quum vere in deductione funeris primas teneat Parochus, hinc est quod ad eum spectat declarare per quam viam sit deferendus defunctus, deciditque id etiam Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium. Circa praecedentiam in funeribus, per verba illa *Praecedentibus* a nostro Rituali indicatam, standum est consuetudini. Praecedentia in funere semper danda est Clero Saeculari supra Regulares, ut decrevit Clemens VIII in sua Bulla *Decet Romanum*. Responsorium, *Subvenite Sancti* etc. antiquum est in Exequiis Defunctorum, ejusque passim meminere Codices antiqui Rituales, priscaeque Monasteriorum Consuetudines. Preces et Psalmi qui cantantur in Processione, terminum suum habere debent ad fores Ecclesiae. De modo deponendi Cadavera, textus sa-

tis clare loquitur, dum dicit: *in medio Ecclesiae Cadaver in suo feretro collocatum supine jacens exponitur cum insignibus gradus sui, ad latera, et ad pedes depositis.* Porro in elatione funeris vix est, quem non tangant salutares de morte et humanarum rerum imbecillitate cogitationes.

IV. Locato cadavere in medio Ecclesiae mandat nostrum Rituale, ut, *nisi quid impediat, dicatur Officium Mortuorum cum tribus Nocturnis et Laudibus.* Notant plerique eruditi auctores, dici hoc Officium Vigilias Mortuorum, quia scilicet apud defunctorum corpora in Ecclesiis exposita fideles psallendo excubarent. Certe, ut alios omittam, testatur S. Gregorius Nyssenus, de obitu sororis suae Macrinae loquens, antequam corpus ejus sepulchro inferretur, per totam noctem fuisse productam psalmodiam. Quod ex traditione Apostolica decantari jam olim solerent Psalmi in funeribus vita functorum, testantur passim prisci Ecclesiae Patres. His vigiliis hodiernum officium Defunctorum, quod et vigiliarum nomen retinuit, respondere docent inter alios Bonartius, Libro I. *De Institutione Horarum Canonicarum*, Cap. XXXI num. 10; et Vanespen, Parte II *Juris Ecclesiastici*, *Titulo* XXXVIII Cap. I num. XXXVIII. Longum esset Rituales Codices de Absolutione defuncti describere. Fiebant istae absolutiones multis cum precibus, Responsoriis Orationibusque.

V. Aspergitur Cadaver Aqua benedicta, non ad tollenda peccata venialia, sed ut omnino immundorum spirituum praesentia arceatur. Tam incensatio, quam aquae benedictae aspersio adhibentur in signum societatis et communionis Sacramentorum, quam nobiscum habuerunt defuncti dum vixerunt, nec non ut ostendatur quod defunctus obtulit seipsum in odorem bonorum operum; seu quod defunctis prosit oratio quae est veluti incensum. In Missa autem solemni defunctorum non incensatur Altare ad Introitum, sed tantum ad oblata, et tunc non alii, sed solus Sacerdos celebrans, qui repraesentat Christum, thurificatur. Alii autem non incensantur, ad denotandum quod mortui nil posthac valent propriis orationibus promereri. Ritum ipsum spargendi terram super cadaver, non mo-

do Rituales Codices probant, verum etiam vetera ac recentiora exempla. Varios psalmos, preces, antiphonas orationesque dictas olim fuisse, non modo dum actu sepeliretur defunctus, verum etiam postquam humatus fuerat, docent nos plures Libri Rituales. Ne videatur Ecclesia, dum pro uno fideli defuncto orat, oblivisci etiam aliorum, qui in Christo obdormierunt, post persolutas exequias uni defuncto, breves preces fundit pro cunctis, dum a primis exequiis revertitur Clerus, ne otiose se conferat ad Sacristiam: atque hae preces terminantur cum solita Oratione communi *Fidelium.*

VI. Operae pretium ducimus, nonnulla de obsequiis dicere, quae Majores nostri defunctis statim post eorum obitum exhibere consueverunt. Simul enim ac efflaverat aliquis animam, clausis ejus oculis, corpus ipsius lavabant, pretiosis unguentis delibutum condiebant, congruis illi vestimentis induebant, ac tandem ipsius animam fusis ad Deum precibus, hymnorum et psalmorum decantatione Deo commendabant. Haec omnia paucis hic demonstranda sunt. Praevaluit semper apud Christianos praeclara illa S. Augustini sententia Lib. I *De Civitate Dei* Cap. 13 *Non contemnenda et abjicienda esse corpora Defunctorum, maximeque justorum atque fidelium, quibus tamquam organis et vasis ad omnia opera bona Sanctus usus est Spiritus.* Certe Christiani homines ejus ritus originem a Christo Domino ducere possunt, cujus sacrum corpus a Josepho ab Arimathaea ablutum fuisse, nonnulli Sancti Patres docent, inter quos Chrysostomus, Theodoretus et Epiphanius. Extat celebre ejus ritus exemplum in Actis Apostolorum, Cap. IX, ubi Tabithae religiosae feminae mortem describentes, illam exprimunt his verbis: *Factum est autem in diebus illis, ut infirmata moreretur, quam cum lavissent, posuerunt illam in coenaculo.* Eumdem ritum commendat Dionysius Alexandrinus apud Eusebium Lib. VII *Historiae Ecclesiasticae* Cap. 72 ubi agit de Christianorum caritate erga extinctos peste in civitate Alexandrina. Erat communis omnium Christianorum caeremonia, quae innumeris pene exemplis probari posset.

VII. Lotum cadaver antiqui variis unguentis et aromatibus condiebant. Maria Magdalena et Maria Iacobi et Salome emerunt aromata ut ungerent Jesum. Exemplo itaque Jesu Christi coeperunt Fideles Christianorum corpora cum aromatibus sepelire. S. Euplius Diaconus, qui sub Diocletiano et Maximiano Catanae martyrii palmam promeruit, *sublatum Corpus a Christianis et conditum aromatibus* sepultum tradunt ejus Acta apud Ruinartium. Narrant quoque Acta S. Callisti Papae, quod ipse Sancti Calepodii corpus *cum gaudio linteaminibus involvit, aromatibus condivit, et honorifice cum hymnis et laudibus sepelivit in Coemeterio ejusdem*. Neque vero solis Martyribus, sed aliis quoque fidelibus hoc honoris obsequium praestabant, cuius rei testis est Tertullianus qui Libro *De Resurrectione carnis* haec habet: *Proinde enim et corpora medicata condimentis sepulturae mausoleis et monumentis sequestrantur*. De hoc ritu loquuntur Clemens Alexandrinus, *Paedag.* Lib. VII; Prudentius, in *Hymno ad exequias Defunctorum*; S. Augustinus, Sermone 177 novae editionis n. 7. Ejusdem consuetudinis meminit etiam Liber Pontificalis in Vita Sixti III. Possem his adjungere Gregorium Nyssenum Oratione in funere Meletii, et Gregorium Nazianzenum Epistola 18. Neque vero existimandum est primis tantum Ecclesiae saeculis hunc ritum obtinuisse; nam et longe sequioribus postea obtinuit. Et re vera S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi facies balsamo peruncta legitur apud Eadmerum Lib. II n. 74 et apud Bollandum April. 22.

VIII. Veniamus nunc ad vestes quibus contegi corpora Defunctorum consueverunt. Vestes autem cuilibet mortuo erant propriae. Quapropter Episcopi cum Pontificalibus omnibus insignibus sepeliebantur. Sane id moris fuisse Romanorum Pontificum asserit Vita Adriani Papae I his verbis: *Sepulto itaque Summo Pontifice et universali Papa Adriano, apostolicis infulis involuto.* Ut Episcopi pontificalibus, ita Presbyteri alique Clerici congruis suis Ordinibus ornamentis induti sepeliebantur. Ratio autem, cur hujusmodi vestimentis Sacerdotes et Clerici induantur, est quia vestes tum sacerdotales, tum clericales, virtutes significant cum qui-

bus prae ceteris Ministri Altaris Deo sunt praesentandi. Ritus praeterea antiquus fuit, ut homines praesertim sacri ac religiosi cum chartula, Fidei confessionem continente, sepelirentur. De S. Joanne Gualberto Abbate ita in ejus Vita legimus die XII Julii: *In breviculo cui consepeliri voluit, jussit haec scribi: Ego Joannes credo et confiteor Fidem, quam Sancti Apostoli praedicaverunt, et Sancti Patres in quatuor Conciliis confirmarunt.* Aliam Fidei formulam pectori suo apponi jussit Mauritius Episcopus Parisiensis, ut scribit Rigordus in Vita Philippi Augusti. Licitum, ac pietati satis consentaneum, ut sacri homines vestibus sacris induti, ac benedictis sepeliantur, docet Suarez Tomo III *Disputatione LXXXI Sectione VIII.* Ritum quem ad nostra haec usque tempora servatum vidimus alligandi Calicem inter manus defuncti Sacerdotis, expressum reperies apud Amalarium Lib. IV *De Ecclesiasticis Officiis*, Cap. XLIX. Ritum collocandi Calicis, et Patenae super defuncti pectus Romae, atque alibi tum usitatum colligit eruditus Antonius Caracciolus Clericus Regularis, in Notis ad Regulas sui Ordinis, Parte I Cap. IX pag. 88. In Vitis Sanctorum Episcoporum apud Bollandianos frequenter reperies, sepultos ipsos cum Calice super pectus apposito.

IX. Quae hactenus de vestibus defunctorum dixi, ad Episcopos, Presbyteros aliosque inferiorum ordinum Clericos spectant. Laicos homines in habitu cuilibet ordini proprio sepultos constat. Nam Imperatores imperialibus insignibus redimiti, Reges regalibus, milites militaribus, alii suis, terrae mandabantur. Caeremoniis peractis, quas hucusque explicuimus, vestiti defuncti solebant in Coenaculo, seu Tricliniis primum exponi, uti constat ex Apostolorum Actibus Cap. X ubi ita legimus; *Cum Tabitam lavissent, posuerunt eam in Coenaculo*; id quod suo tempore Tolosae observatum, testatur Stephanus Duranti Lib. I *De Ritibus Ecclesiae Catholicae*, Cap. XXIII Num XIV. Non unum et idem fuit apud omnes intervallum obitum inter et sepulturae diem. Plurimi eadem qua obierant die sepulti leguntur. Mora seu dilatio erga Reges, Episcopos praesertim, Principes, nobiles, aut Abbates

observata fuit. Indicta ad sepeliendum defuncti cadaver die, omnes qui funeri interesse debebant, ad illius domum conveniebant; unde ad Ecclesiam primum, indeque ad tumulum illud efferebant. Efferendo cadaveri destinati fuerunt antiquitus juvenes, ut Acta Apostolorum innuunt Cap. V *Intrantes Juvenes invenerunt Saphiram mortuam*. Instituti fuere deinde Copiatae, de quibus diximus Tomo I nostri Operis cui titulus: *Antiquitatum Christianarum Institutiones*. Convocatos fuisse et invitatos in Christianorum funeribus nedum Sacerdotes et Religiosos sed et egenos, et pauperes, extra dubium est. Sanctus Ambrosius in Oratione funebri de obitu fratris sui Satyri *Fleverunt*, inquit, *et pauperes, et, quod multo pretiosius est, multoque uberius, lacrymis suis ejus delicta laverunt: illae sunt lacrymae redemptrices*. S. Joannes Chrysostomus frequens est in ea asserenda disciplina. Viget haec hodieque Neapoli consuetudo, ut in funeribus pauperes convocentur, quos Sancti Januarii vocant. In Episcoporum exequiis corpus defuncti per varias a Clero deducebatur Ecclesias, antequam deponeretur in tumulum, in quibus preces et absolutiones solemnes pro ipsius animae requie fiebant. Ita videre est in funere S. Wolfangi Episcopi. Notat Durandus in Rationale Lib. VII Cap. 35 secundum locorum quorumdam morem tres ab elatione e domo ad Ecclesiam per viam fieri pausas, in quibus tres super mortuum fiebant absolutiones. Delato in Ecclesiam defuncto, consuetae pro eo preces persolvebantur, Missaeque sacrosanctum sacrificium offerebatur, sine quo non solebant humari mortui. Spectat ad exequiarum ritum Oratio funebris, quae olim ut plurimum post Missam fiebat ad eos qui convenerant, vel in defuncti laudem, vel ad excitandos fideles, ut instantes ad Deum preces funderent pro ipsius animae requie. Morem esse Ecclesiae antiquissimum, priusquam defunctus sepeliretur, ipsum laudandi funebri Oratione, ex veterum Patrum exemplis liquet. Extant et veterum Patrum Orationes funebres, Eusebii in funere Constantini, Gregorii Nazianzeni in funere Basilii, Athanasii et Caesarii; et praeterea aliae innumerae aliorum Patrum orationes funebres in exequiis defunctorum illu-

strium recitatae. Plures id genus orationes scripsit S. Hieronymus, nempe in obitu Paulae, Fabiolae, Nepotiani, et aliorum. Quales in funeribus habendae sint orationes, edicit in 1 Provinciali Synodo S. Carolus, ubi agit de funeribus et exequiis; *Nemini quemquam in funere laudare liceat, nisi et eum quem laudare velit, Episcopus dignum censuerit, et laudationem scriptam ante probarit.* Quamvis ex Pontificalis Romani prescripto absolutiones quatuor, vel quinque in omnibus exequiis, quae post obitum agi solent, fieri conveniat, constat tamen Romae ipsas absolutiones quinque in solius Romani Pontificis funere celebrari. Pluribus ac variis diebus celebrari jam olim censuevisse defunctorum exequias, antiqui Scriptores narrant. Septimae diei mentionem faciunt Ambrosius et Augustinus. Diem nonum memorat S. Joannes Damascenus in Sermone de fidelibus defunctis, Theodorus Archiepiscopus Cantuariensis, et Auctor Constitutionum Apostolicarum, et alii. Ex recentioribus meminit diei nonae Augustinus Patricius. Celebratas quoque fuisse Defunctorum commemorationes aliis diebus a praenotatis, ex antiquis Patribus addiscimus. Inter dies a defuncti obitu celebrari solitos quadragenarius etiam recensetur ab Auctore Constitutionum Apostolicarum Lib. VIII Cap. XLII. De anniversariis, quae recurrentibus annis ipso obitus die celebrari solent, innumera pene extant veterum Patrum testimonia.

X. Deponebatur postea mortuus in tumulum. Tumulus autem ille vulgo erat lapideus, ut probant varia quae adhuc quotidie in antiquis Coemeteriis reperiuntur monumenta. Situs autem mortuorum in tumulo is erat, ut supini deponerentur, vultu ad coelum converso, quia solo in caelo spes nostra fundata est. Praeterea in tumulo una cum cadavere, inquit Guillelmus Durandus in Libro septimo Rationalis Capite 35, *in quibusdam locis ponitur aqua benedicta, et prunae cum thure: aqua benedicta, ne daemones qui multum eam timent, ad corpus accedant. Solent namque desaevire in corpora mortuorum, ut quod nequiverunt in vita, saltem post mortem agant. Thus vero ibi ponitur propter foetorem corporis removendum.* Depositi in tumulo

et operculo contenti, terra obruebantur. Is erat communis Christianorum sepeliendorum usus. Praeter salutiferum Crucis signum, in superiori aut in interiori lapide sepulchri incidebantur et imagines Christi aut Apostolorum, vel tituli nomen dignitatemque defuncti continentes. Affigebantur Epitaphia sepulcris, eorumque non pauca affert in suo de Coemeteriis opere doctissimus Marcus Antonius Boldetti, et Joannes Marangoni in appendice Dissertationis ad Acta S. Victorini Episcopi Amiternensis et Martyris. Est is sane antiquus mos personarum praesertim illustrium tumulis epitaphia affigendi, quae passim in Ecclesiis legere est.

CAPUT III.

DE EXEQUIIS PARVULORUM ET DE ORDINE EOS SEPELIENDI.

I. Parvuli hoc loco dicuntur infantes, vel pueri, qui baptizati, ante annos discretionis abierunt, quales sunt ut plurimum septennes. Porro Rituale Romanum antiquae Ecclesiae disciplinae inhaerens, peculiares ritus instituit hujusmodi pueris sepeliendis. Pertinent autem omnino ii ritus, qui illis deferuntur, aut ad honoranda Spiritus Sancti templa et baptismalis innocentiae reliquias, aut ad protestandam fidem resurrectionis futurae, aut vero ad agendas Deo gratias, qui infantulorum animas Baptismi Sacramento sanctificatas, sine ullo suo merito, sine periculo salutis, ad aeternam vitam illico dignatus est evocare. Recte edicit nostrum Rituale ubi de Exequiis parvulorum agit, admonendos in primis esse Parochos, ut juxta vetustam et laudabilem Ecclesiarum consuetudinem, parvulorum, qui scilicet baptizati decedunt, corpuscula non sepeliantur in communibus et promiscuis Coemeteriorum et Ecclesiarum sepulturis, sed ut pro illis in Parochialibus, aut illarum Coemeteriis, quatenus commode fieri potest, speciales et separatos ab aliis loculos et sepulturas habeant. Similia habent permulti codices Rituales. Similia his quoque legere est in plerisque Synodis antiquis pariter, ac recentioribus. In parvulorum

funere pulsentur quidem Campanae non sono lugubri, ut in adultis defunctis, sed potius festivo.

II. Mortuus puer Sacramento Baptismi insignitus, indui solet veste albi coloris. Insuper corona de floribus ejus caput redimiri solet. Ratio hujus coronae et hujusmdi florum ponitur ab ipsomet Rituali, dum dicit : *In signum integritatis carnis et virginitatis.* Sed aliam rationem assignat Lavorius, nempe ut in memoriam nobis revocent aevi hujus parvitatem, quia spectantissime florent, et celerrime marcescunt. Sane inspectione digna est Crux, quae sine hasta in parvulorum funere defertur et forte ob mysticam rationem, quam Barrufaldus tradit; quia scilicet cum Crux, quae generatim in Processione defertur, significet Ecclesiam in hoc mundo peregrinantem et militantem cum vexillo Domini, et Ducis sui, non omnino hoc verificatur in infantulis qui per brevissimum temporis spatium militiam seu peregrinationem in hoc mundo sustinuerunt, ideo brevis est Crux, quia brevis fuit eorum in hac terra peregrinatio.

III. Quum hujusmodi parvulorum Exequiae festivae sint ac laetae, rite Parochus in eis peragendis Stola coloris albi utitur, tum vero potissimum, quod vestis alba laetantium et gratulantium propria sit, ut pluribus docet Petrus Morettus in aurea disceptatione: *De ritu variandi Chorale indumentum.* His accedit, quod quum ipsi parvuli virgines sint, jure ac merito in eorum funere, veluti die natalitio, color albus adhibetur. Psalmi, qui in sepeliendis parvulis cantantur, omnes sunt laudis et laetitiae, propter innocentiam Defuncti, quae moerore non indiget, quapropter in fine illorum non dicitur *Requiem aeternam*, quia jam requie aeterna illorum anima fruitur; sed *Gloria Patri*, etc. quia cum Patre, et Filio, et Spiritu Sancto vivunt in coelis. Quamvis nulla in nostro Rituali mentio fiat de cereis accensis una cum puero defuncto ad Ecclesiam deferendis, adhibendi ii nihilominus sunt ex antiqua, recentique Ecclesiarum praxi; ac nonnullorum etiam Ritualium praescripto, ac praesertim Caeremonialis Ambrosiani.

CAPUT IV.

QUIBUS NON LICEAT DARE ECCLESIASTICAM SEPULTURAM.

I. Ecclesiastica sepultura, quatenus loco sacro et exequiis constat, pars est ecclesiasticae communionis, in qua defuncti decesserunt. Etenim qui vivi cum Ecclesia communicabant, etiam mortui in communione perseverant. Quo illud S. Leonis Magni spectat in *Epistola* XCII ad Rusticum : *Quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.* Sane mortui cereis accensis, et solemni psalmodia in Ecclesiam deducebantur : inde eorum nomine ad Altare fiebant oblationes , eorumdem quoque nomina in Altare de more recitata, et in Sacrificio peculiares preces pro defuncto factae. Interest enim fidelium in locis sacris et religiosis sepeliri , cum prosint defunctis preces in Coemeteriorum benedictione ad Deum fusae , quibus Ecclesia fidelibus ibi sepeliendis peccatorum remissionem et spem beatae resurrectionis adprecatur. Quum, jure communi inspecto, Parochi sint Sepulturarum ac Funeralium parochianorum suorum ordinarii ministri , uti passim Canonistae docent , hinc merito Rituale nostrum Romanum , sicut et alia variarum Ecclesiarum Ritualia, atque Episcoporum Concilia, ubi de Sepulturis ac Funeralibus agunt, ad solos fere Parochos, tanquam ministros ordinarios, sua Decreta dirigunt, eosque monent et instituunt, quid agere, et quid cavere in his debeant.

II. Ecclesiastica itaque sepultura privantur: Primo Gentiles et Judaei, qui extra Ecclesiam sunt. Cum his una tumulari horruerunt majores nostri. Hilarius Pictaviensis in Matthaeum Cap. VIII Christum admonere scribit, non *admisceri memoriis Sanctorum mortuos infideles ;* additque infideles etiam eos esse *qui extra Deum vivant*, hoc est improbos Christianos. Secundo Infantes sine baptismo mortui , etiam sepultura christiana carent. Tertio Haeretici non gaudent privilegio sepulturae ecclesiasticae , et variae poenae ponuntur contra dantes eis sepulturam ecclesiasticam , et ipsa Ecclesia manet polluta quousque illorum corpora ab ea expellantur , et reconcilietur. Praeter Haereticos , veniunt

etiam fautores, receptatores, et defensores illorum, ac eis credentes. Quarto Apostatae item sepultura carent ecclesiastica. Hinc merito veteres Christiani, eos qui a Fide, quam semel professi fuerant, ad Paganismum, aut Judaismum defecissent, infami vocabulo Apostatas nominabant, quod scilicet a Christo, cui semel nomen dederant, ad Satanam, quem in lavacro Baptismi Sacrosancti abjuraverant, descivissent. Quintò Schismatici. Sexto Excommunicati, qui utpote ab Ecclesiae corpore praecisi, sacris membrorum ejus privilegiis indigni sunt. Synesius Epistola 83 Andronicum praefectum Aegypti, ejusque adseclas excommunicavit, edixitque, *ut neque viventes ipsos salutarent, neque mortuos funebri pompa deducerent.* Sed ex Martini V Bulla sepultura privantur nonnisi maiori anathemate perculsi. Septimo demum, interdictis nominatim, et iis qui sunt in loco interdicto, eo durante, dari non potest ecclesiastica sepultura.

III. Inter alios quibus ecclesiastica neganda est sepultura, sunt profecto et ii qui seipsos occidunt, et quidem *ob desperationem, vel iracundiam, non tamen si ex insania id accidat.* Esse hanc pervetustam Ecclesiae disciplinam, ut qui sibi voluntarie mortem consciscunt, ab ecclesiastica sepultura excluderentur, probari posset ex innumeris plane Synodis ac Ritualibus. Extat in Concilio Oecumenico Lateranensis III Canon XX adversus *torneamenta*, quae species erant duellorum, plerumque enim in iis homines interfici contingebat. Proscripta leguntur etiam *torneamenta* in Concilio Romano sub Innocentio II Can. 14; atque iterum damnata noscuntur in Remensi Synodo sub Eugenio III Can. 12 et in Decretalibus sub titulo *de torneamentis. Torneamentis* paria sunt singularia illa certàmina, quae hodie *duella* vocantur, de quibus agit Generalis Synodus Tridentina, Sessione XXV Cap. XIX *De Reformatione;* statuitque inter alia: *ut qui pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuae infamiae poenam incurrant, et ut homicidae juxta sacros Canones puniri debeant; et si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant ecclesiastica sepultura.* Hanc poenam Ritualia passim et Synodorum Decreta renovant; sed

addit tamen in hoc Rituale Romanum denegandum ecclesiasticam sepulturam *morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint signa poenitentiae*. Quam clausulam adjiciens Romanum Rituale respexisse videtur ad postrema verba laudati Canonis XX Concilii III Oecumenici Lateranensis, relati in Cap. I *De torneamentis*, quae haec sunt: *Quod si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti poenitentia non negetur ecclesiastica tamen careat sepultura*. Concilii Lateranensis Decretum confirmarunt postea passim aliae Synodi, in quibus etiam ea clausula legitur. Privantur nihilominus ecclesiastica sepultura, ut alii terreantur, et ab eo detestabili scelere abstineant, cum viderint illos a pia Matre Ecclesia reiici, et in loco, more paganorum, profano sepeliri.

IV. Excludendos esse ab ecclesiastica sepultura manifestos et publicos peccatores, qui sine poenitentia perierunt, recte edicit nostrum Rituale, nititurque variis Canonibus quos recenset Sacerdotale antiquum Ecclesiae Romanae. Ex praescripto S. Caroli in Instructionibus ad funera ducenda, denegatur ecclesiastica sepultura *cuilibet notorio peccatori morienti absque ullo signo contritionis*. Manifestis et publicis peccatoribus addi possunt manifesti raptores et violatores Ecclesiarum; itemque manifesti usurarii, qui, nisi poeniteant, excludendi sunt et ipsi ab ecclesiastica sepultura. Qui praeceptum Paschale non implevit, si decedat, antequam per Edictum declaretur incursus in poenam Interdicti, non est ecclesiastica sepultura privandus, sed sepeliendus in loco sacro, quia scilicet non subjacet poenae, donec declaretur in eam incursus, juxta Responsum Sacrae Congregationis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Episcoporum et Regularium praepositae. Jam omnes qui ecclesiastica sepultura privantur, si eam vi aut casu fuerint adepti, Canones exhumari jubent, inque profana loca abiici. Quum enim Circumcelliones quosdam ex sic creditis Martyribus suis in Ecclesiis sepelissent, Episcopus loci obstitit, sepultosque refossos ejici iussit. In Actis Concilii Cpolitani sub Menna Patriarcha legitur: *Effodiantur ossa Manichaeorum: exhumentur ossa Nestorianorum: exhumentur ossa Eutychianorum*.

LIBER SEXTUS.

DE JEJUNIIS ET EXORCISMIS.

CAPUT I.

DE JEJUNIO QUADRAGESIMAE.

I. Inter res spirituales (1) quae animae sanctificationi prosunt, Jejunium etiam adcensetur. *Bona est oratio* (Tobiae Cap. XII v. 8) *cum jejunio èt eleemosyna. Humiliaverunt animas suas* (Judith Cap. IX v. 8) *in jejuniis et orationibus. Humiliabam in jejunio* (aiebat David Psalmo XXXIX v. 13) *animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur*. Praecipuum jejunium quod singulis annis occurrebat, Quadragesimale dicebatur, graece τεσσαρακοντη. Jam vero id ipsum jejunium *ante-paschale* jam inde ab aevo apostolico ad exemplum jejunii a Jesu Christo, a Moyse, atque ab Elia servati, ad quadraginta circiter dies produci coeptum est: indeque Quadragesima, quae nunc est, suam originem traxit. Tertullianus Lib. de *Jejuniis* Cap. II ubi de Catholicorum jejuniis agit, sic loquitur: *Certe in Evangelio illos dies jejuniis determinatos putant, in quibus ablatus est Sponsus*. Dies quibus ablatus est Sponsus, sunt dies ante-paschales. Quot illi fuerint, non dicit Tertullianus; sed illos jejunio consecratos in Ecclesia fuisse, diserte asserit, et ex Apostolorum praecepto jejunium illud in commune fuisse Christianis omnibus obeundum. Sanctus Irenaeus in Epistola ad Victorem summum Pon-

(1) Valfredi, *De usu et institutione Jejuniorum*, Caput V et seqq.

tificem apud Eusebium Lib. V *Historiae Ecclesiasticae* Cap. 24. *Neque enim*, inquit, *de die solum controversia est, sed etiam de forma ipsa jejunii*. Dionysius Alexandrinus, qui tertio Saeculo nondum adulto scripsit canonicam ad Basilidem Epistolam, eam sic exorditur: *Misisti ad me, fidelissime et sapientissime fili, interrogans qua diei hora Paschae jejunium solvendum sit?* Igitur Dionysii aetate ante-paschale jejunium tanta religione celebrabatur, ut perdiligenter percortarentur, qua diei hora jejenium illud solvere liceret. Quum igitur Patres secundi ac tertii Saeculi ante paschalis jejunii antiquitatem adeo luculenter adserant, procul dubio apostolica illi institutio tribuenda est.

II. Idem jejunium ab ipsa Apostolorum aetate ad quadraginta dies fuisse productum, pluribus demonstratur. Origenes, contra Celsum Lib. VIII, non modo jejunium antepaschale, quod parascevas vocat, ab aevi sui Christianis servatum meminit, verum de Christianorum abstinentia loquens, *quadragesimam* expresse memorat. *Habemus enim*, inquit, *Quadragesimae dies jejuniis consecratos*. Sanctus Athanasius in *Epistola ad orthodoxos*, de Georgii Ariani in Sedem Alexandrinam intrusione agens, haec habet: *Haec autem sub Pascha, in sacra Quadragesima acta sunt, per quod tempus jejuniis dediti erant*. S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* I tempore Quadragesimae ad Catechumenos habita, *Tot annorum*, inquit, *circulos transegisti, mundo frustra operam navans; et quadraginta diebus non vacabis pro anima tua?* Sanctus Augustinus *Epistola* 119 *ad Januarium* Cap. 15, postquam praemisit Quadragesimam jejuniorum habere auctoritatem et in veteribus Libris ex jejunio Moysis et Eliae, et ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit, multa exponit quadragenarii numeri mysteria, et tandem sic concludit: *Ut quadraginta illi dies ante Pascha observentur, Ecclesiae consuetudo roboravit*. Sanctus Leo Magnus *Sermone III de Quadragesima*. *Unde quia*, inquit, *dum mortali carne circumdamur, non desinit nobis hostis antiquus laqueos peccati ubique praetendere..., merito doctrina Spiritus Sancti hac eruditione imbuit populum Christianum, ut ad Paschale Festum quadraginta dierum*

se continentia praepararet. Et Sermone II *Appropinquante*, inquit, *solemnitate Paschali*, *adest maximum sacratissimumque jejunium, quod observantiam sui universis fidelibus sine exceptione denuntiat.* Canones etiam sic dicti Apostolici gravissimis poenis quadragesimale jejunium praescribunt. Insuper Synodus Nicaena can. V duas quotannis in unaquaque provincia Synodos celebrari jubens, his verbis definit: *Synodi autem fiant, una quidem ante quadragesimam, secunda autem circa autumni tempus.* At Patres ea in Synodo coacti ad significandum prioris anniversarii Concilii tempus nomine Quadragesimae usi minime fuissent, nisi per omnes Ecclesias Quadragesimae jejunium, non secus ac autumni tempus innotuisset omnibus. Omnes quippe ubicunque gentium Ecclesiae ei decreto obnoxiae erant, Idem patet ex Synodo Laodicena, quae Quadragesimam supponit non recentis esse institutionis, sed antiquae traditionis, et multarum hedomadum jejunium complecti, cum Canone 50 ait: *Quod non oporteat in Quadragesima, in ultimae septimanae Quinta feria jejunium solvere, totamque Quadragesimam sine veneratione transire magisque conveniat omnem Quadragesimam districto venerari jejunio.* Atque hinc aliud, efficacissimum ad confirmandum quadragenarium jejunium, oritur argumentum. Quum enim quarto saeculo hoc jejunium ab omnibus Patribus inculcatum, atque ab universa Ecclesia observatum sit; quum magnum Nicaenum Concilium, ut notam signumque indubium, omnibusque compertum illud proposuerit, quo ad sanctas Synodos hyemali tempore quotannis ecclesiasticarum provinciarum convenirent Episcopi: qui quaeso tam constans ubique gentium Christianarum disciplina eodem tempore et nasci, et adolescere potuit, nisi antiquissimis temporibus, atque ab ipso Apostolorum aevo obtinuisset?

III. Causae ob quas jejunium Quadragesimae praeceptum esset ab Ecclesia, plures afferuntur. Prima ratio ea est, cujus Tertullianus meminit, nimirum ut memoriam recoleretur luctus atque aegritudinis Apostolorum ob Magistri sui mortem. Secunda ad justiorem Christianarum virtutum exercitationem. Tertia ut fideles se praepararent ad S. Eucharistiam digne accipien-

dam in Festo paschali. Quarta ut Catechumeni ad Baptismum, poenitentes ad absolutionem accipiendam se se praepararent. Sicut enim Pascha solemne tempus erat admittendi Catechumenos ad Baptisma, et poenitentes post expletas poenitentiae legis ecclesiasticae communioni restituendi; ita solemne Quadragesimae jejunium ad utrumque velut praeparatio erat. Ex quibus illud certo statuas, poenitentes licet per totum annum statis poenitentiae legibus obnoxii fuerint, per quadragesimalis tamen jejunii observationem vehementius poenitentiae agendae incubuisse, spe erectos vicinae absolutionis, per Paschalis dies obtinendae. Quo illa Hieronymi (*Commentaria in Jonam*) spectat observatio: *Quadragenarius numerus convenit peccatoribus, et jejunio, et orationi, et sacco et lacrymis, et perseverantiae deprecandi.*

IV. Quadragesimale jejunium semper in Ecclesia ea ratione fuit, ut fideles ab omni prorsus cibo ad vesperam usque abstinerent. Sancti Basilii *Homilia* 1.ª *de Jejunio: Expectas vesperam*, inquit, *ut cibum capias.* S. Ambrosius de *Elia et Jejunio* Cap. X Christianum ad jejunium adhortans, ait: *Differ epulas aliquantulum, non longe finis est diei.* Sanctus Benedictus Cap. 41 suae Regulae: *Ab initio Quadragesimae*, inquit, *usque ad Pascha ad vesperam reficiant.* Idem constat ex S. Bernardi Sermone V de *Quadragesima. Hactenus*, inquit, (idest a festo Sanctae Crucis ad Quadragesimam) *usque ad Nonam jejunavimus soli, nunc usque ad Vesperum jejunabunt nobiscum universi.* Idem probatur ex Monacho Sancti Galli, Lib. I *de Vita Caroli Magni* Cap. 12; *ex Regula Magistri* Cap. 24; *ex Micrologo, de rebus Ecclesiasticis* cap. 49. Verum decimo tertio saeculo ineunte, verus et canonicus jejunandi mos immutatus est, et hora nona solvi coeptum etiam in Quadragesima jejunium. Vigebat aetate Sancti Thomae illa consuetudo, ut videre est Secunda Secundae Q. 147 art. 7. Tandem labente saeculo XIV, ad meridiem jejunium solvi coepit. Cum autem ad meridiem comederetur, neque valerent Christiani ad aliam diem prandium differre, sensim post vesperam aliquid indultum est cibi atque potus, id quod refectionis non coenae no-

mine appellarunt, cum ob nimiam parvitatem id nominis ferre nequiret. Vulgo itaque tum Presbyteri, tum laici hujus refectionis nomen a Monachis mutuati sunt, qui circa idem tempus, dum ad vesperam conveniebant Scripturis vel antiquorum Patrum lectionibus audiendis, parum vini atque panis frustulum adhibebant diebus jejunii.

V. Quod vero ad ipsam ciborum abstinentiam spectat, in hac re illud primo constat, communem fuisse omnium Ecclesiarum praxim, ut fideles per Quadragesimam ab carnibus, vino, aliisque cibis lautioribus abstinerent. Sanctus Basilius *Homilia* 1.ª *de Jejunio* (quod non aliud quam quadragesimale ab eo intelligi constat ex totius Homiliae serie): *Carnes non edis*, inquit, *a vino abstines, vesperam expectas ut cibum sumas.* Ex usu itaque Ecclesiae conjuncta erat cum jejunio a carnibus abstinentiae. Theophilus Epistola III ad universos Aegypti Episcopos: *Qui autem*, inquit, *legum praecepta custodiunt, ignorant vinum in jejuniis, carnium esum repudiant.* Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi IV: Jejunamus*, inquit, *et a vino carnibusque nos abstinemus, non ea quasi piacula abhorrentes, sed mercedem expectantes, ut dum sensibus grata contemnimus, spirituali coelestique mensa fruamur: atque nunc seminantes cum lacrymis, cum exultatione mutamus in saeculo venturo.* Concilium Toletanum VIII quod anno 653 habitum est, Canone 9 sic decernit: *Quisquis diebus Quadragesimae, sine inevitabili necessitate atque fragilitate, vel etiam impossibilitate aetatis, esum carnium praesumpserit attentare, non solum erit Resurrectionis Dominicae, verum etiam alienus ab ejusdem diei sancta Communione; et hoc illi cumuletur ad poenam, ut ipsius anni tempore ab omni carnium esu abstineat gulam, quia sacris diebus abstinentiae oblitus est disciplinam.*

VI. De ejus duratione id juvat observare, unum idemque minime fuisse jejunii quadragesimalis tempus. Dies enim pro varia Ecclesiarum disciplina plures, paucioresve erant: nihilo tamen secius quadragesima dicti sunt, vel quod fideles eo jejunio Jesum Christum per quadraginta dies in deserto jejunantem imitari cuperent, vel

potius quod jejuniorum numerus ad quadraginta dies proprius accederet. Quod vero spectat ad IV et V saeculi disciplinam, ex Cassiano *Collatione XXI* Cap. XXIV et Chrysostomo *Homilia* XI in Genesim, aliisque colligere licet, quasdam Ecclesias sex hebdomadibus quadragesimam celebrasse, nonnullas septimam quoque addidisse; neutrum tamen numerum quadraginta dierum summam explevisse, quum apud illas omnes dies dominici jejunio exempti essent, apud istas etiam sabbata; ita ut triginta sex dies, non amplius, jejunio destinati essent. Illud autem praeter dubitationis aleam versatur, quarto nimirum saeculo Laodiceni Concilii Patres decrevisse Jejunium Quadragesimale a secunda feria post Quadragesimae dominicam incipiendum esse ad Sabbatum Sanctum usque, quod sane decretum legimus apud Gratianum *Cap. Non liceat 7 de Consecr. Dist.* 3 et in Canone 50 ejusdem Concilii apud Labbaeum. Dominicos autem dies atque Sabbati jejunio expertes habuerunt olim Orientales integra Quadragesima. Ex S. Gregorii scriptis patet ejus aetate Qnadragesimam a Dominica, non autem a feria IV initium sumpsisse: lubet heic adferre ipsius Gregorii verba: *De Quadragesimali tempore*, inquit (*Homilia decima sexta in Matthaeum*) *est adhuc aliquid, quod possit intelligi. A praesenti etenim die* (Dominicus is erat, ut ex Evangelica lectione apparet, quae eadem nobis est in prima Quadragesimae dominica) *usque ad Paschalis solemnitatis gaudia sex hebdomadae veniunt; quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt; ex quibus dum sex dies Dominici abstinentiae subtrahuntur, non plus in abstinentia quam triginta sex dies remanent.* Vide a Dominica coepisse Quadragesimam, alioqui quadragesimales dies quadraginta sex, non autem quadraginta duo fuissent; jejunium vero a secunda feria post primam Quadragesimae Dominicam initum fuisse, quod dilucidius ostendit numerus triginta sex dierum, quibus jejunis vacandum erat. Quam profecto disciplinam ad saeculum usque IX in Romana Ecclesia perstitisse, testis est Amalarius *de divinis Officiis*, Lib. I Cap. 7 cujus aevo adhuc Romae triginta sex diebus jejunio vacabant Christiani. Ab XI itaque Saeculo nova obtinuit

disciplina, ineundi nimirum jejunium a feria IV quae primum Quadragesimae Dominicam praeit, quae omnium est Latinorum, si unam excipias Mediolanensem Ecclesiam.

VII. Rigidissima fuit apud antiquos jejunii disciplina. Credebant quippe omnibus Christianis esse jejunandum, quod omnes aut peccarent, aut certe per jejunii asperitatem sanctiores fieri poterant; ut id egregie explicat Leo Magnus *Serm. II de Quadragesima*, neque aliam solvendo jejunio causam probabilem esse volebant, praeter unam corporis infirmitatem. Canon Apostolicus LXXX omnes quidem non jejunantes anathemate ferit, sed unos tamen excipit infirmos: *praeter quam si corporis infirmitate impediantur*. Ipsis vero infirmis hac demum lege jejunium remissum est, ut non continuo ob id crederent permissum sibi quavis hora, quovisque ciborum genere ventrem saginare; sed primo si convalescerent, statim illud resumerent; secundo ut si non omnino, aliqua saltem ex parte christianam temperantiam prae se ferrent. S. Gregorius Magnus quum deberet ob stomachi gravem infirmitatem singulis ferme horis cibum capere, aegre ferebat ne ipsam quidem majorem hebdomadam posse se jejunare: mox vero quum sabbato magno precibus sanctissimi viri aliquantulum convaluisset, jejunium ad vesperam produxit, ut ipse de se scribit *Dialog.* Lib. III Cap. 33. Ceterum si quidem per valetudinem eis liceret, omnes ad unum Christiani jejunabant. Hinc Basilius *Homilia II de Jejunio* testatur, universos Christianos generatim jejunasse, sive milites, sive juvenes, sive senes, sive feminas, sive navigantes, sive viatores. Ex Ambrosio *Serm.* XXXIV etiam eruitur, senes jejunii tenacissimos fuisse.

VIII. Tempore Quadragesimae ante Altare suspendebatur cortina inter Sanctuarium et Clerum, quae Altare et Ministros velabat, neque retrahebatur nisi Dominicis aut diebus festis. Plerique in Monasteriis legebantur ad Matutinum Sermones Patrum tantum, non vero de Scriptura, nisi in Dominicis. Multiplicabantur Officia, et prostrationes, lavabantur quotidie pedes stato pauperum numero, eisque erogabatur eleemosyna;

servabatur in Communitatibus silentium feria secunda, quarta et sexta; saepius nihil comedebatur; Missas solemnes non solum duas, sed etiam tres dicebant Ecclesiae nonnullae. Missa de jejunio in paramentis nigris celebrabatur. In quibusdam Ecclesiis dabatur absolutio generalis ter in hebdomada, quae in Missali Mozarabico signata est Feria quarta et Sabbato post offertorium. Lauduni singulis Quadragesimae diebus fiebat ad Vesperas precatio pro poenitentibus. Canonici manducabant simul in refectorio per totam Quadragesimam, etiam postquam facti sunt saeculares. Quam maxime commendebatur Fidelibus, ut jejunium per plura pietatis opera sanctificarent, quorum praecipuum habebatur conscentiae puritas, ut jejunium Deo magis gratum fieret magisque meritorium; quapropter praecipiebatur, ut hebdomada ante initium Quadragesimae peccata sua Sacerdoti aperirent, quo illi qui inter poenitentes constituti erant, ante Pascha reconciliarentur. Commendebatur etiam continentia per Quadragesimam, ideoque non celebrabantur eo tempore nuptiae, quod ann. 370 vetitum est a Concilio Laodiceno Can 72 *Non oportet in Quadragesima nuptias celebrare*. Singulis diebus Quadragesimae habebatur in Oriente Synaxis vel Congregatio in Ecclesia. Singulis quoque diebus Quadragesimae celebrabatur in Occidente Sacrificium, uti liquet ex Tertulliano et S. Ambrosio, qui in Psalm. 118 ait, quod diebus stationis statim post meridiem fiebat congregatio in Ecclesiis, ubi Sacrificium in commune celebrabatur. Theodulphus de Missis agit, quae singulis Quadragesimae diebus dicebantur. Pro singulis quibusque diebus Quadragesimae habentur Missae propriae in Sacramentario S. Gregorii; in Missali Gothico septem tantum habentur. In Oriente congregabantur singulis diebus; itemque communicabant, sed Sacrificium non celebrabatur nisi Dominica et Sabbato, ut adnotatum cernimus usque a tempore Concilii Laodiceni. Concilium Trullanum Can. 51 Sacrificium permittit die Annuntiationis Missamque memorat Praesanctificatorum. Multiplicabantur etiam officia in Quadragesima. In vita S. Udalrici Augustani Episcopi legitur, quod praeter Officium Divinum, quod ipse quotidie cum Canonicis

suis in suae Ecclesiae choro canebat, recitaret etiam privatim Officia B. Virginis, S. Crucis, et omnium Sanctorum, et Psalterium. Preces longiores in Quadragesima commendabantur, et Officio diei vel Officium Defunctorum, vel septem Psalmi Poenitentiales, vel Psalmi Graduales adjungebantur; ut Romae adhuc fit, et pluribus Ordinariis praecipitur.

IX. Singulis Quadragesimae et quatuor Temporum feriis, Romae habebatur Statio seu processio; in unam conveniebant Ecclesiam, in alteram ituri ad Missam celebrandam. In istis processionibus ibant nudis pedibus per viam, et Pontifex ipse se excalceabat. Pervetustus fuit usus nulla celebrandi festa in Quadragesima, qui quidem a Concilio Laodiceno circa annum 360 Can. 51 commendatus est: *Quod non oporteat in Quadragesima Martyrum Natales peragere, sed Sanctorum Commemorationes in Sabbatis et Dominicis.* Jejunii moestitia non videbatur conjungi posse cum solemnitate Festorum. Iste Canon Concilii Laodiceni viguit omni tempore apud Graecos, qui Festum solummodo Annuntiationis in Quadragesimam invexerunt. Balsamon duodecim Saeculi auctor refert, quod in Monasteriis hoc etiam aetate sua servabatur, a quibus anticipabantur solemnitates in Quadragesima occurrentes, et ante Quadragesimam celebrabantur. Idipsum et apud Latinos diutius servatum est, ut liquet praesertim ex Concilio Toletano an. 654 a quo Festum Annuntiationis statutum est octavo die ante Natale, ne scilicet tale Festum vel per Quadragesimam, vel per Paschale tempus impediretur, quo tempore, ut ait Concilium Can. I, antiqui Canones nulla alia festa celebrari permittunt. Radulfus Tungrensis Prop. 10 de ritu Romano loquens testatur, quod nullum fiebat olim Festum in Quadragesima; quod Annuntiatio celebrabatur ante Natale, Festum S. Gregorii Papae die tertia Septembris; Festum S. Benedicti mense Iulio; sed postquam Romae translata est Annuntiatio in mensem Martium, reliqua festa eidem mensi restituta sunt praeter S. Ambrosium, qui Mediolani et Romae remansit mense Decembri, licet obierit die quarta Aprilis. Apud Joannem Abrincensem undecimo saeculo degentem legitur, quod aetate sua nullum fiebat Festum per

totam Quadragesimam, sed tantum Dominica fiebat commemoratio eorum quae inciderant in hebdomadam. Monachi in Occidente mutarunt hunc usum, pluraque Festa invexerunt etiam in Quadragesimam tum jejunii, tum laboris laxandi causa, ut diebus Festis oportebat. De Festis in Quadragesima mentio fit apud S. Dunstanum. Lanfranchus in suis statutis Cap. I Sect. 23 asserit, quod si die cinerum occurrat Festum duodecim lectionum, in diem crastinum trasferatur.

CAPUT II.

DE JEJUNIIS QUATUOR TEMPORUM.

I. Quatuor temporum jejunia initio Quadragesimae, post Pentecosten, ac mensibus Septembri et Decembri, quarta ac sexta feria et Sabbato quotannis celebrantur. Sancto Callisto Pontifici, qui initio tertii saeculi martyrii palmam est assecutus, hujusmodi institutio tribuitur, vel saltem, cum jejunium ter in anno fieret veteri consuetudine, quartum ipse traditur adjunxisse. In Pontificali Libro, cujus Auctor Anastasius Bibliothecarius, cum de rebus gestis S. Callisti agitur, haec memorantur: *Constituit Jejunium quater in anno fieri, frumenti, vini, et olei gratia secundum prophetiam.* Hanc porro institutionem Callisto minime tribuendam contendit Petrus Coustant, qui Romanorum Pontificum Epistolas collegit, ac Parisiis anno 1721 typis mandavit: *Callisto,* inquit, *Isidorus Mercator duas supposuit Epistolas, genuino parenti aliquando cum reliquis ipsius foetibus reddendas.* Ab Apostolica traditione initium sumere hoc jejunium tradit Baronius ad an. 57 num. 209 *Ipsa quidem*, inquit, *quatuor anni temporum jejunia, quae in Ecclesia servari solent, ex Apostolica institutione sumpsisse principium S. Leo absque ulla dubitatione confirmat.* In hanc opinionem scripsit etiam Thomassinus. Cum deinde aliqua ex parte vetus disciplina immutata esset, et nonnullae Ecclesiae vernum jejunium mense Martio, aestivum vero in hebdomada quae post Festum Pentecostes sequitur, quodam proprio more celebrarent, Sanctus Gregorius VII Quadragesimae ini-

tio primum jejunium fieri, alterum vero in hebdomada Pentecostes perpetua lege constituit. Ita commemorat Micrologus Cap. 42 et 25. Concilium Claromontii habitum sub Urbano secundo decernit, ut, *jejunium semper, in hebdomada Pentecostes celebretur.* Confer Odericum Vitalem, *Historia Ecclesiastica* Lib. IX; Muratorium in *Anecdotis* Lib. II *Dissertatio de Jejunio quatuor temporum.* Praesertim autem videndus est P. Thomas Valfredi *de Usu et Institutione jejuniorum quatuor temporum.*

II. Plurimis de causis celebratur hoc jejunium. Primum quidem ne Judaei, qui publice indictum jejunium quater in anno religiose servabant, Christianos temperantiae virtute superarent. Insuper, cum a veteri Ecclesiae disciplina recedendum fuerit, ob quam sacrae Ordinationes mense Decembri tantum haberi solebant, ob idque alia tria tempora, vere scilicet, aestate, ac autumno ineuntibus, ad illas peragendas constituta fuerint, omnino rationi consentaneum visum est, ut jejunium pariter adhiberetur, quemadmodum ex Sacris Litteris deprehenditur, dum Barnabae, ac Sauli ordinationem commemorant. *Tunc* (*Act. Apost.* Cap. XIII) *jejunantes, et orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos.* Tertio ut pro frugibus Deo gratias persolvamus, cum iis praecipue temporibus vel terrae mandentur, vel maturescant, vel desectae in horrea congregantur.

III. Nonnullis in locis singulis etiam mensibus jejunia celebrabantur, Julio et Augusto exceptis. Profecto per Hispanias id obtinuisse constat ex Concilio Illiberitano, Can. XXIII quo sancitur: *Jejuniorum superpositione per singulos menses placuit celebrari, exceptis diebus duorum mensium Julii, et Augusti.* Superpositiones jejuniorum fortasse dicta sunt, aut quod rigidiora essent, quam illa feriae IV et VI, vel quod novae essent institutionis, atque ad Episcopi arbitrium indicenda; uti in hunc canonem recte observat Albaspinaeus. Jejunia IV et VI feriae ita semper in Ecclesia conjucta fuere, ut neutrum separatum unquam apud veteres legas. Neque vero ab hac disciplina abhorruerunt quarti et sequentium saeculorum Patres: immo et

vetustissimi quique, ut Clemens Alexandrinus, *Strom.* VII; Origenes, *Homilia X in Leviticum*; Tertullianus, de *Jejunio* Cap. VIV; ita quidem de iis jejuniis loquuti sunt, ut clare ostendant, ea non sua primum aetate introducta fuisse, sed veteri Patrum traditione accepta. Hinc jure statuas, haec jejunia merito plerorumque clarissimorum virorum sententia apostolicam sibi originem vindicare: praesertim quum in Hermae *Pastore*, saepe a Tertulliano, Clemente Alexandrino et Irenaeo laudato, velut antiquo Ecclesiae commentario, haud obscura ejus vestigia offendere liceat. Praeterea illud omnino notatu dignum, isthaec jejunia, utpote singulis quibusque peracta hebdomadibus, exceptis quinquaginta diebus a Paschate ad Pentecosten, minime ad vesperam usque, uti quadragesimalia, producta fuisse, sed hora diei nona desiisse. Porro cur isthaec jejunia instituta sint, explicat Augustinus *Epistola* LXXXVI ad Casulanum; nimirum quod feria quarta consilium ad occidendum Dominum inierint Judaei, et feria sexta passus sit. Eidem etiam caussae eorum jejuniorum originem referunt Petrus Alexandrinus, Cap. XV; Auctor *Constitutionum Apostolicarum* Lib. V Cap. XV; et Victorinus, de *Fabrica mundi*. Illis tamen diebus jejunium lege fuisse ab Ecclesia indictum, patet ex Tertulliano, Lib. de *Oratione*, Cap. 14; ex Canone 67 Apostolorum; ex Sancto Epiphanio, in *Expositione fidei*; ex Innocentio I, *Epistola I ad Decentium*; ex Isidoro Hispalensi, Lib. de *Ecclesiasticis Officiis* Cap. 42. Postremo illud observes, Ecclesiam Occidentalem primis quidem saeculis in hisce jejuniis cum Orientali consensisse, ut ex Victorino, Ambrosio, Hieronymo, et Augustino liquet. Verum quum quarto saeculo Sabbatum apud Occidentales jejunari coeptum esset, uti constat ex Synodo Illiberitana, atque Augustino, mox id ipsum jejunium Sabbati feriae IV jejunio antelatum est. Itaque sensim gradatimque omissum illud neglectumque fuit; donec tandem in omnibus Ecclesiis, quae Sabbato jejunare coeperant, feriae quartae jejunium prorsus abolitum est: quod observavit eruditus Albaspinaeus.

CAPUT III.

DE EXORCIZANDIS OBSESSIS A DAEMONIO.

I. Exorcimus ex S. Isidoro Lib. II (1) *De Ecclesiasticis Officiis*, Capite XX *est sermo increpationis contra immundum spiritum in energumenis, sive catechumenis factus.* Exorcistae autem, ut inquit Stephanus Eduensis Episcopus, *De Sacramento Altaris* Capite III, *sic vocati sunt a potestate adjurandi, quia in Fide Sanctissimae Trinitatis daemones expellunt de corporibus obsessis.* Ex antiquissimo plane Ecclesiae ritu exorcizantur adjuranturque obsessi a daemonio; non illi scilicet, qui exterius tantum a daemonio vexantur, cum multi sancti homines exterius diaboli vexationem sint passi, nec tamen obsessi dicendi sint; sed omnes illi qui a daemonio interius possidentur, variisque nominibus in Sacra Scriptura et Conciliis appellantur. Vocantur autem hujusmodi a daemonio obsessi, Primo *Daemoniaci* prout sunt constituti sub daemonis potestate. Secundo *Arreptitii,* quatenus a daemone arrepti sunt. Tertio *Pythonici,* seu *Pythones,* quando in corpore malum spiritum habent divinantem. Quarto *Vexati* propter tormenta, quibus a daemone afficiuntur. Quinto *Maleficiati, Facturati, Maliati,* quando a daemonio per maleficia, cooperantibus maleficiis, sunt obsessi. Sed frequentius nuncupantur graeco vocabulo *Energumeni;* procedit enim illud vocabolum ab εργον, quod est *labor,* et μενη, quod est defectus ut ait S. Bonaventura in Secundum Sententiarum, Disputatione VIII Parte II Articulo II Quaestione VI et S. Thomas Parte III Quaestione LXXI Articulo II ad I ubi diserte docet, *Energumenos dici quasi interius laborantes, ex intrinseca diaboli operatione.*

II. Dari autem homines a daemonio obsessos, certissimum est ex Sacra Scriptura, tum in veteri, tum in Novo Testamento. In Veteri quidem, nam Saul a malo

(1) Cardi, *De exorcizandis obsessis a Daemonio*, Cap. III et seqq.; Brognolo, *Manuale Exorcistarum*, Cap. IX et seqq.; Baruffaldus, ad Rituale Romanum Titulus nonagesimus.

spiritu, nempe daemone fuit vere obsessus, ut communis fert Patrum et Interpretum sententia. In Novo autem multa extant hujusmodi obsessorum a daemonio exempla. In ipsis Ecclesiae primordiis magna erat Energumenorum multitudo, ut undique etiam e Gentibus et Paganis ad Ecclesiam adducerentur suis exorcismis et precibus, invocato Iesu Christi nomine, liberandi; quemadmodum colligi potest ex Justino Martyre, qui passim testatur, exorcizandi munus fuisse commune omnibus Christifidelibus, eo quod omnes tunc ex gratia gratis data pollerent dono abigendi daemones e corporibus obsessorum per invocationem nominis Jesu Christi: id enim ad Ecclesiae aedificationem, et debitam Fidei propagationem tunc profecto erat necessarium. Restricta subinde fuit exorcizandi, et daemones abjiciendi potestas ad Exorcistas.

III. Quamvis ministerium exorcizandi quilibet Exorcista rite ordinatus exercere possit, Can. *Perlectis*, dist. 25, tamen, ex communi Ecclesiae praxi, ad Sacerdotes proprie ac principaliter pertinet, ob dignitatem adeo eminentem, per quam super Angelos et Daemones evehuntur. At vero recte docet Cardius, convenientius per Sacerdotem, quam per inferiores clericos fieri Exorcismos super vexatos a daemone, quia scilicet Sacerdotes majorem habent ex vi characteris Sacerdotalis dignitatem, potestatem et imperium super daemones, quique ministerio suo plenius satisfacere possunt, utendo nempe Stola, dicendo *Dominus Vobiscum*, cum super Energumenos Evangelium legunt, Missam prius celebrando, aliaque peragendo, quae a nostro Rituali Romano praescribuntur. Atque haec est communis et antiqua Ecclesiae praxis, ut soli Sacerdotes obsessos a daemonio exorcizent. Ipsi primitivi Ecclesiae Episcopi istam facultatem non solum suis delegabant Presbyteris, sed et ipsi exercebant, quod plane demonstrat antiqua et Latinae, et Graecae Ecclesiae Liturgia. Etenim post solemnem sermonem Episcopus rituales Orationes, atque manus impositiones dabat super Energumenos, Poenitentes, et Catechumenos; quae quidem non erant aliud, quam Exorcismi, et omnino fiebant per ipsum Episcopum. Id passim ostendunt Sanctorum Episcoporum

Vitae, et Ecclesiasticae Historiae Scriptores. Tria potissimum necessaria sunt in Exorcista: Pietas, ut fidem alteri instillare valeat; Prudentia, ut nonnisi quae fieri possunt, tentet; Vitae integritas. Exorcista non de sua, sed de Domini presumere debet virtute. Constantia quoque et humilitas necessariae sunt in Exorcista, cum enim maxima versutia diabolus praeditus sit, omnes vias tentat, ut Exorcistam taedio afficiat, obstinate permanendo in corpore obsessi: quare qui constantis et intrepidi animi virtutem habere desperat, non vincit, sed vincitur potius a diabolo pertinaci. Insignis constantiae exempla habemus quidem in Sanctis Viris permultis, qui in Energumenis liberandis multum frequenter temporis insumpsere. Humilitas autem, cum virtus sit ex diametro opposita diabolo, qui pater est superbiae, propterea contra eumdem magnam habet virtutem, vocaturque a S. Bernardo, Sermone LXXV, flagellum diaboli. Ne Exorcista in varios incidat errores, utque ne judicando de maleficiis caecutiat, praeter morales virtutes, quibus imbutus esse debet, necesse est quoque, ut artem hanc e libris ediscat. Cui rei plane inhaeret S. Carolus in Concilio Provinciali IV Mediolanensi Capite inscripto *Quae ad Sacramentalia*.

IV. Regulas quasdam ad dignoscendos veros Energumenos tradit Rituale, Primo *signa obsidentis daemonii esse: ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere*. Sed intelligi tamen primum debet de homine rudi, et ignotae linguae prorsus ignaro, nec sufficit, ut unum vel alterum verbum proferat, *sed loqui pluribus verbis, vel loquentem*, plura utique verba *intelligere debet*. Energumenos peregrinis linguis loqui solitos ait Sanctus Hieronymus in S. Hilarione. Secundo *occulta patefacere*. Frequens est in sacra Historia, et in Sanctorum Vitis hujusmodi signa legere. Porro praeter memorata hactenus signa, sunt et alia, quae, ut ait Rituale *cum plurima concurrunt, majora sunt indicia*. Duplicis generis sunt hujusmodi signa; alia nempe certa et evidentia, quae provenire non possunt a causa naturali humana, sed necesse est, ut proveniant a causa superiori, puta a daemone; alia conjecturalia, seu probabilia, ut sunt ea, quae sumuntur ab effectu,

qui saepius, vel ut plurimum procedit a daemone, tamquam a causa; aliquando tamen provenire possunt a causa naturali.

V. Daemones magis per quaedam verba, quam per alia torqueri, constat sane ex antiqua Ecclesiae praxi, cujus meminit inter alios Micrologus in Libro: *De Ecclesiasticis Observationibus*, Cap. VII Ex. gr. *Deum, qui te genuit, dereliquisti;* et *oblitus es Dei Creatoris tui*. Deut. Cap. XXXII: sive; *Ecce vicit Leo de Tribu Juda* ex Apocalypsi Cap. V et alia Symboli Apostolici, Christi Nativitatem, Passionem, Mortem, Resurrectionem, ac Judicium extremum denotantia. Hoc pro certo statuendum est, verba Sacrae Scripturae infestissima esse Daemoni. Quapropter maximae utilitatis erit, si Sacerdos Exorcista sit in tota S. Scriptura versatus, et praecipue in versiculis Psalmorum, e quibus formulas aptissimas huic proposito extrahere poterit. Insuper ad haec verba daemones facilius commoventur, et ideo facilius signum optatum praebent evidenter de eorum incolatu in humano corpore. Daemones conturbari, torqueri, uri Exorcismis, Patres Ecclesiae passim docent. Cessare non debet Exorcista ab Exorcismis, *donec viderit signa liberationis*. Signa probabilia, quibus egressus manifestetur, in primis sunt ipsius spiritus obsidentis confessio, qualis illa fuit, de qua scribit Marcus in suo Evangelio, Capite I versu XXIV *Et clamavit dicens: Quid nobis, et tibi Jesu Nazarene? Venisti ante tempus perdere nos*. Secundo in terram collisio et dejectio, ac si Energumenus mortuus videatur. Tertio ingentes clamores, aut ejulatus, vel belluarum voces, ut legitur Capite VIII Actuum Apostolorum versu VII *Multi eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant*.

VI. Innumerabiles esse artes fraudesque diaboli ad hominem decipiendum, fatentur passim Sancti Ecclesiae Patres. Ut itaque circa has magis magisque cautus reddatur Exorcista, necesse plane est, ut sciat quid possit diabolus facere sed ut easdem plene valeat advertere insidias, atque omnino confringere, necesse est quidem, ut ipse Exorcista Deum exoret, iuxta monitum S. Antonii Abbatis. Christus Dominus per ea verba

apud Matthaeum Cap. XVII *Hoc genus daemoniorum non ejicitur, nisi per orationem, et jejunium*, loquutus est de oratione ac jejunio adhibendo per Exorcistam. Hinc Sacerdotale Brixiense in Regulis Exorcistarum, Distinctione X Capite XXVII Num. I triduanum jejunium praescribit Sacerdoti ad se praeparandum huic ministerio, quia cum callidissimo hoste initurus est praelium. At vero S. Carolus in Concilio Provinciali IV Mediolanensi totum jejunium Exorcistae ad diem unum restringit. Idem monitum legere est quoque in multis aliis variorum Episcoporum Synodis Provincialibus, et Dioecesanis. Rituale Romanum mandat, ut Exorcista ad liberandum Energumenum, orationem ac jejunium tum per se, tum per alios curet adhiberi, praesertim vero per ejusdem propinquos.

VII. Vetus ac probata est Patrum disciplina, ut Energumeni exorcizandi ad Ecclesiam ducerentur, ejusque testem habemus S. Joannem Chrysostomum. Veteri quidem disciplinae inhaesit S. Carolus, qui in Concilio Provinciali IV sic inter alia statuit energumenum exorcizandum esse: *In Ecclesia, loco aperto, et conspicuo.* His plane concinunt variarum Ecclesiarum Concilia ac Ritualia; praesertim vero Sacerdotale Romanum, Parte III Capite IX. Juxta Rituale Energumenus perducitur ad Ecclesiam, et seorsim a multitudine exorcizandus est. Si veterem disciplinam spectemus, varia quidem hanc in rem illa antiquitus fuit. S. Chrysostomi aevo exorcizari consuevit energumenus in Ecclesia. Quod idem colligitur ex S. Prospero, sive ex antiquo Auctore Libri: *de Praedictionibus, et Promissionibus*, Parte IV Cap. VI ubi narrat, puellam in Ecclesia coram multitudine fuisse a daemone liberatam. Sed haec disciplina, alicubi saltem, variata etiam antiquitus fuit, uti nos docent exempla Sanctorum penes Bollandianos. S. Carolus in memorato Concilio Provinciali IV ita statuit · *Neque in conspectu multitudinis, non remotis tamen arbitris, sed praesentibus viris honestis, atque aetate gravibus, in iisque uno saltem, vel duobus Ecclesiasticis.* Idipsum praescribunt variae Synodi ac Rituales variarum Ecclesiarum, et rationes hujus disciplinae variae sunt. Nam primo daemones valde cupiunt numerum adstantium habere,

ut multa vana, et plura mendacia, ac subtiles deceptiones ipsis spectatoribus infundant. Secundo ut occulta crimina in proximorum injuriam revelent. Tertio tandem conantur daemones ipsi pravas cogitationes excitare, fingunt se quosdam de adstantibus metuere tamquam Sanctos, ut vanae gloriae peccatum incurrant.

VIII. Quum peccata ut plurimum sint causa, ob quam Deus hominem puniat daemonis obsessione, recte admodum statutum fuit, ut obsessus sacra Confessione se muniat; ut scilicet a diabolo obsidente se liberet, uti complures eo remedio se liberarunt. Multum quidem valere ad energumenorum liberationem Eucharisticam Communionem, pluribus probari potest exemplis. Varia tamen fuit olim Ecclesiae disciplina circa Energumenorum Communionem. Quod multis abhinc saeculis in utraque Ecclesia energumenis, qui scilicet lucidis intervallis fruuntur, Eucharistia consueverit dispensari, probat inter alios Iuveninus *de Sacramentis, Dissertatione IV Quaestione VI* Cap. II. Crucis signo Daemones repelli, et multo magis Imagine Crucifixi, qui per Crucem inferas potestates prostravit, habemus ex S. Paulo ad Colossenses. Quod vero ad Sanctorum Reliquias, mos apud fideles inolevit, eas adhibendi etiam ad fugandos daemones ab obsessis. Istae Reliquiae decenter exhibentur energumeno, ad evitandum contemptum, quia sicuti, viventibus Sanctis, daemones eorum hostes fuere, ita et post mortem eorum nominibus sunt infensi, multoque magis eorum exuviis, quarum tactu torquentur, clamant, infremunt, nec quiescere possunt.

IX. Ad interrogationes autem quod spectat, si quas fieri oporteat, debent et ipsae esse de rebus ad expulsionem daemonis conducentibus, quum solum ad hunc effectum data sit Ecclesiae spiritualis potestas exorcizandi, expellendique daemones, et consequenter etiam ad media, quae ad hunc finem conducunt. De numero obsidentium daemonum interrogatio facienda obsesso ab Exorcista iuxta praescriptum Ritualis, ad hoc conducere plane poterit, ut cognito daemonum numero, virtus Nominis Christi efficacius appareat; sicque haec interrogatio ad majorem Dei gloriam ejusque SS.

Filii Nominis cedat. Altera interrogatio, quae est de nomine spirituum obsidentium nititur Marci Capite V versu XX ac etiam Lucae capite VIII *Quod tibi nomen est?* inquit Christus Dominus apud Marcum Capite V: et *dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus.* Tertia interrogatio praescripta in nostro Rituali est de tempore, quo ingressi sunt, daemones scilicet in hominis corpus. Atque haec similiter interrogatio exemplo Christi probatur, qui ut habetur in Evangelio Marci, Cap. IX versu 20, cum ipsi oblatus fuisset quidam habens spiritum mutum, patrem ejus interrogavit: *Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit?* at ille ait: *Ab infantia.* Esse vero antiquum ritum, ut de ea re obsessus ipse ab Exorcista interrogaretur, addiscimus plane ex Vitis Sanctorum apud Bollandianos. Porro haec interrogatio necessaria est, ut sciat Exorcista quae media adhibere debeat ad disponendum vexatos, qui difficilioris sunt curationis, si a multo tempore sint obsessi, non quidem ex parte virtutis Sanctissimi Nominis Jesu, Exorcismorumque Ecclesiae, sed ex parte ipsius energumeni. De auctoritate et severitate, qua loqui debet Exorcista, illud sciendum est, maxima dominii signa daemones demonstrare. Aspere igitur cum tanto hoste loquatur. Mandat praeterea Rituale ut quoties viderit Exorcista *obsessum in aliqua corporis parte commoveri, aut pungi, aut tumorem alicubi apparere, ibi faciat signum Crucis, et aqua benedicta aspergat.* Quanta sit signi Crucis, aspersionisque Aquae benedictae ad expellendos daemones a corporibus obsessis virtus, docent passim Sancti Patres, Scriptoresque Ecclesiastici, antiqui pariter, ac recentiores, testanturque innumera pene exempla, quae in Historia Ecclesiastica et Vitis Sanctorum frequenter occurrunt. Quod Crucis signum spectat, celebre est quod ad nostram rem scribit Lactantius Lib. IV *Divinarum Institutionum*, Cap. XXVII *Quanto terrori sit daemonibus hoc signum, sciet qui viderit, quatenus adjurati per Christum, de corporibus, quae obsederint, fugiant.* Liberatos fuisse energumenos permultos aquae benedictae aspersione, docent frequenter vitae Sanctorum.

X. Post generales instructiones ad Exorcismos rite

que habet virtutem ad daemones expellendos, ut passim Patres testantur, qui Orationem ipsam exposuerunt. Secundo Salutatio Angelica, quae fuit origo Incarnationis Filii Dei, contremiscere et ipsa facit diabolum. Symbolum Apostolorum, cum Fidei professionem in se contineat, ac Fidem excitet, recte in exorcizatione adhibetur, ut per ipsos Fidei articulos in Symbolo contentos diabolus propulsetur. Juvabit praeterea super ipsum obsessum Canticum Deiparae Virginis recitare. Per hoc enim Canticum daemon reminiscitur victoriae super ipsum a Christo reportatae, et praecipue per illum versiculum, *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui*. Denique, peculiares selecti sunt psalmi ab Exorcista in exorcizatione obsessorum recitandi, quod in iis potissimum aliquid inest, quo Dei auxilium imploratur, vel diabolus deterretur, expelliturque.

LIBER SEPTIMUS.

DE ORDINE AD SYNODUM, DE ORDINE AD VISITANDAS PAROCHIAS, DE ORDINE EXCOMMUNICANDI ET ABSOLVENDI, DE ORDINE AD RECONCILIANDUM APOSTATAM, SCHISMATICUM ET HAERETICUM, DE ORDINE SUSPENSIONIS, RECONCILIATIONIS ET DEPOSITIONIS.

CAPUT I.

DE ORDINE AD SYNODUM.

I. Concilia sunt Congregationes (1) Praesulum Christianorum, ut simul collatis sententiis statuant quid opus sit pro Ecclesiae bono. Vox Concilium antiquissima est in Ecclesia Latina, occurritque apud Tertullianum, Sanctum Cyprianum aliosque Scriptores vetustissimos. Auctores Graeci quod nos Concilium vocamus, dicunt Synodum. Conciliorum seu Synodorum quatuor nunc genera passim auctores enumerant; *Generalia, Nationalia, Provincialia, et Dioecesana.* Generalia, quae et *Oecumenica* dicuntur, ea sunt ad quae vocantur Episcopi totius orbis, qui possunt et debent iisdem interesse, nisi legitime impediantur, et quibus praesidet Summus Pontifex vel per se, vel per suos Legatos. *Nationalia* sunt, in quae conveniunt Archiepiscopi et Episcopi unius

(1) Catalano, *Pontificale Romanum Commentariis illustratum, pars tertia*, Titulus V; et *Prolegomena in Concilia*, Cap. I et seqq.; Benedictus XIV, *De Synodo Diocesana*, Cap. I et seqq.; De Bottis, *De Synodo Episcopi*; Gavantus, *De Visitatione Episcopali et de Synodo Dioecesana*, Cap. I et seqq.

regni, vel nationis, praeside ejusdem nationis Patriarcha, vel Primate. *Provincialia* sunt, in quibus conveniunt Episcopi unius Provinciae sub eorum Archiepiscopo, seu Metropolitano. *Dioecesana* tandem nominantur, quae quilibet Episcopus congregat ex Parochis, Presbyteris aliisque Clericis suae dioeceseos, quibus ipse praeest. Notissima et pervulgata est haec Conciliorum divisio, eamque communiter tradunt doctores, praesertim Melchior Canus, Bellarminus, Cabassutius, Duvallius et Doujat.

II. Olim bis in anno Concilia Provincialia celebranda fuisse, constat ex Canone 38 alias 30 ex recensione Cotelerii Tom. I pag. 447 ex his, qui dicuntur Apostolici: *Bis in anno Episcoporum Concilia celebrentur*: cui consonat Canon quintus Concilii Nicaeni, ex versione Dionysii Exigui Tom. I Collectionis Harduini Col. 326. Idque religiose servari jussit Leo Magnus Epistola 12 ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum Cap. 7 relata a Burchardo Lib. I Cap. 43 et a Gratiano Can. 2 Dist. 18 inquiens: *De Conciliis autem Episcopalibus non aliud indicimus quam quod Sancti Patres salubriter ordinarunt, ut scilicet bini conventus per annos singulos habeantur.* Haec eadem disciplina in plerisque saltem provinciis perseveravit saeculo octavo. Quia porro Concilia Provincialia semper consectabantur Synodi Dioecesanae, ut edita in illis decreta a singulis Episcopis in his promulgarentur, sicuti cautum legimus a plerisque Conciliis, et praesertim a Toletano XVI anni 693 Cap. 7 Tom. III Collectionis Harduini, ut etiam advertit Thomasinus *De veteri et nova Ecclesiae Disciplina* part. 2 Lib. III Cap. 73 n. I; inde factum est, ut binae pariter Synodi Dioecesanae quotannis haberentur. Quinimmo in nonnullis Dioecesibus designati erant certi dies, quibus praedictae Synodi haberentur, nimirum feria tertia et quarta illius hebdomadae, in qua celebratur Festum S. Lucae; et feria tertia et quarta illius hebdomadae post Pascha, in qua cantatur Evangelium, *Ego sum Pastor bonus*. Verum cum in VII. Synodo statutum fuerit, ut semel in anno Concilia Provincialia fierent, quemadmodum habetur apud Gratianum *Canone 7 Distinct.* 18, huic sanctioni adhaerens In-

nocentius III in Concilio Generali Lateranensi decrevit, Synodos Provinciales ab Archiepiscopo, et Dioecesanas ab Episcopo quolibet anno esse cogendas, Cap. *Sicut olim, de accusationibus*. Quamvis autem non vetuerit Innocentius, ne saepius Dioecesana Synodus haberetur, plerisque tamen Episcopis satius visum est se Innocentii decreto accomodare, et unam quotannis Dioecesanam Synodum indicere: et re ipsa unam singulis annis esse indicendam, decrevere Concilium Ravennatense anni 1311, Salentinum anni 1322, Tarraconense anni 1329. Sed quoniam postea haec disciplina relaxata fuerat, et Synodorum celebratio intermissa, Tridentini Patres illam instaurarunt, et districte praecipiunt Sess. 24 Cap. 2 *De Reformatione*, ut a singulis Metropolitanis quolibet triennio Synodus Provincialis, et ab unoquoque Episcopo semel in anno Dioecesana cogatur: *Synodi quoque Dioecesanae quotannis celebrentur.*

III. Solet Dioecesana Synodus indici tribus modis. Primo solemniter in die Epiphaniae ex Caeremoniali Episcoporum Libro I Capite 31, nimirum intra Missarum solemnia, dum festivitates anni solemniores denunciantur populo, post Evangelium ab Archidiacono, seu Canonico, vel Beneficiato, aut alio, iuxta consuetudinem loci, pluviale induto, in pulpito, iuxta formulam, et cantum, quae habentur in Pontificali part. 2 Tit. *De publicatione Festorum mobilium.* Secundo in Calendario non pauci edici iubent Diocesanam Synodum, his vel similibus verbis: Feria II Dom. 3 post Pascha Officium fit etc. Hac die conveniant omnes de Clero ad Synodum. Tertio per Edictum, duos ante menses, vel unum saltem, ex Caeremoniali Episcoporum. Est et in Episcopi arbitrio eo quo ipsi libuerit tempore: in sua Cathedrali, vel alia Dioecesis Ecclesia, Synodum celebrare. Ex Decreto insuper Concilii Tridentini manifestum fit, ex mente ipsius Concilii esse, ut Dioecesanae Synodo hi prae ceteris interveniant, qui una cum ipso Episcopo curam animarum et regimen spirituale Ecclesiae sustinent. Neque vero praetereundum est praecipuum in Conciliis locum sacrosanctis Evangeliis attributum fuisse. Praeter Evangelii Codicem deferebantur etiam ad Concilia ex vicinis civitatibus Sanctorum Corpora, ut eorum

praesentia et vires acciperet zelus Episcopalis, et malignorum consilia retunderentur. Saeculo X ad Carofense Concilium S. Juliani Reliquias delatas fuisse perhibet Letaldus Monachus Miciocensis in Historia ab ipso ea de re scripta: in Concilio Remensi sub Leone Papa IX S. Remigii Corpus ante omnium cospectum super Altari expositum fuit.

IV. Ut Sacerdotalis consessus majestas splendidior foret, suique venerationem omnibus ingereret, pluribus et antiquis Conciliorum sanctionibus decretum fuit, ut quotquot Synodo interessent Clerici, aliquod induerent sacrum ornamentum, cujusque dignitatis seu Ordinis proprium. Ante Synodum, aliquot Congregationes pro ejusdem directione fieri solent in aedibus Episcopalibus, quibus Episcopus praesidet indutus habitu Praelatitio, Rocheto scilicet et Mozzetta: cum ad Ecclesiam accedit, Synodum incepturus, vel prosecuturus, incedit indutus Cappa: priusquam preces recitet, quae cujusque sessionis initio dicendae sunt, praeter superpelliceum Amictum et Stolam, induit Pluviale rubeum: in solemni supplicatione, quae cum universo Clero in Synodi initio et fine per urbem institui solet, pergit indutus Alba, Stola, Pluviali rubei coloris, Mitram pretiosam et Pastoralem Baculum deferens; easdemque vestes in sessionibus Synodalibus retinet: Abbates benedicti, pariter cum Pluvialibus et Mitris simplicibus: Dignitates et Canonici, Pluvialibus, Planetis, et Dalmaticis pro qualitate Ordinis. Ex praescripto Caeremonialis Episcoporum *paramenta omnia erunt coloris rubri,* quia scilicet color hujusmodi conveniens est Missae de Spiritu Sancto, quae ex antiquo ritu, et variorum Conciliorum praescripto, in Actione Synodali celebrari solet.

V. Teste Gavanto in Praxi Dioecesanae Synodi, Parte I Cap. XIV, duplex Processio fieri solet; altera scilicet pro initio Synodi, altera pro fine ejusdem, prout in Actis Ecclesiae Mediolanensis habetur. Ex praescripto Caeremonialis Processio Missae praemittenda est, eumque ritum probavit Synodus IV Provincialis Mediolanensis. Quoad ordinem sedendi in Synodo, extra omnem controversiam est, primum et spectabiliorem

locum deberi Episcopo, iuxta textum in Can. *Episcopus in Ecclesia, dist.* 95. Post Episcopum, ante ceteros assidere debet Vicarius Generalis, qui ratione jurisdictionis, quam in omnes exercet dioecesanos, omnibus dignitate antecellit, sicuti late ostendunt Sbrozzius, de Vicario Episcopi Lib. II q. 25, Leo; *in Thesauro For. Ecclesiastici* part. I cap. 10 n. 10 11 atque a sacra Congregatione Concilii decisum testatur Jacobus Gallus Cons. 62 num. 13. Tertium in Synodo locum occupant Dignitates et Canonici Ecclesiae Cathedralis, eo inter se sedendi ordine retento, quem in Choro, aliisque actibus servare solent. Quartus in Synodo locus, Ecclesiarum Collegiatarum, intra civitatem; quintus, earumdem in Dioecesi existentium, Canonicis assignatur.

VI. Litanias in Synodorum celebratione cantandas praescribunt quidem nonnulli manuscripti Libri Pontificales, praesertim vero Vaticanus Gulielmi Durandi. Cantari consuevisse Evangelia in Synodorum celebratione, docet nos Ordo antiquus Romanus, et Concilium Salegustadiense, ac bene multi manuscripti Libri Pontificales, Juxta Pontificalium diversitatem, diversae sunt Evangelii lectiones in celebratione Synodorum cum pompa decantatas. Quod spectat ad Hymnum, *Veni Creator Spiritus,* consuevisse et ipsum in celebratione Synodorum cani, ex cunctis pene Libris Pontificalibus liquet. Expleto hymno, Episcopus in hanc sententiam adstantes alloquitur: *Venerabiles Consacerdotes et Fratres nostri Charissimi* etc. extat haec allocutio Episcopi in Ordine antiquo Romano, et in Concilio Salegunstadiense. Est quidem ritus, quem passim antiqui pariter et recentiores Libri Pontificales inculcant, de Sermone habendo in Synodo; eaque in re varia possent afferri exempla sermonum habitorum in Synodis; qui etiam ut plurimum sunt de Ecclesiastica Disciplina, de divinis Mysteriis, ac de corrigendis moribus, praesertim Clericali militiae addictorum. Est mos Ecclesiae pervetustus, ut Patres initio Synodi Fidei formulam pro temporum necessitate editam profiteantur. Id enim passim et sacra Concilia, et manuscripti Libri Pontificales praescribunt, quorum testimonia luculentissima supervacaneum est hic

recensere. Fidei professionem juxta formam a Pio IV praescriptam in Conciliis emittendam mandat quidem inter alios in sua Romana Lateranensi Synodo anni MDCCXXV Benedictus XIII Tit. I *De summa Trinitate et Fide Catholica*. Cap. I.

VII. Synodali celebritati triduum veteri ritu praestitutum esse, S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi IV part. 3 affirmat: et Pontificale Romanum, Titulo *de ordine ad Synodum*, tribus sessionibus illam absolvi solere, ait, quamvis utrobique addatur, fas esse Episcopo, pro rerum gerendarum ratione, Synodum ultra triduum protrahere. Quid autem singulis diebus agendum sit, nostrum erit hic exponere. *Prima die Synodi Pontifex summo mane Cappam indutus ab universo Clero cum superpelliceis comitatus, ad Ecclesiam pergit; paratur in sede; celebrat Missam de Spiritu Sancto, et praebet Clero S. Comunionem*. Verba sunt Pontificalis Romani: eodemque ritu, post ultimam sessionem, praecipit Episcopum a Clero associandum, cum ab Ecclesia se domum recipit. Praeterea debet Episcopus Missam facere de Spiritu Sancto, et porrigere Clero sanctam Communionem, quam acceptis stolis rubeis, etiam Sacerdotes sument, qui forte ea die non celebraverint. Secunda Synodi die, mos est, inquit Gavantus De *Synodo Dioecesana* part. 2 Sess. 2 num. 2 ut unus ex Canonicis Missam solemniter faciat pro Defunctis, cui Episcopus assistat, eaque peracta, Stolam et Pluviale nigri coloris assumit, et consuetas orationes recitat pro Defunctis, post quas, vestes nigras in rubeas mutat, et accepto Pastorali Baculo, ad Sedem Synodalem ascendit. Tertia demum die unus pariter ex Canonicis Missam celebrat de Sanctissima Trinitate, addita Collecta in gratiarum actionem: Episcopus astat indutus Stola et Pluviali albi coloris. Missa absoluta, rubea accipit indumenta, ad consuetam sedem se confert, ultimae sessioni praesidet, et Synodo finem imponit.

VIII. Vetus institutum est, ut Episcopus in Synodo brevi gravique sermone Clerum alloquatur, et de iis admoneat, quae in illo corrigenda deprehenderit; quod saltem in postrema sessione omnino fieri voluere Pa-

tres Concilii Mediolanensis V part. 3 pag. 279. Extat veteris admonitionis formula sub nomine *Inquisitionis*, duobus Libris distincta apud Reginonem Abbatem Prumiensem, qui IX Christi saeculo floruit; aliaque occurrit in Pontificali Romano, ex variis Conciliorum decretis, Pontificiis sanctionibus et SS. Patrum sententiis concinnata. Faustae acclamationes frequenter occurrunt in Conciliis Oecumenicis. Eas quippe in Concilio Chalcedonensi, act. 1 act. 4 et bis act. 5, factas legimus. Quod vero attinet ad nostras Dioecesanas Synodos, in Caeremoniali Episcoporum Cap. 31 in fine habetur: *In Synodis Dioecesanis magis deceret, ut Acclamationes, et oscula pacis omitterentur.* Sed nihilominus Gavantus in praxi Dioecesanae Synodi part. II Sess. 3 num 27 ait; *acclamationes fiunt saltem in prima Synodo*: et re ipsa acclamationes factas comperimus in Synodo Dioecesana Sutrina, anno 1671 habita a Julio Cardinali Spinola, in Synodo Dioecesana Farfensi anno 1685 habita a Cardinali Barberino. Verum cum haec in Caeremoniali Episcoporum nec praecipiantur nec prohibeantur, liberum erit Episcopis ea vel facere, vel omittere; sicuti fert cujuslibet Dioecesis consuetudo.

CAPUT II.

DE ORDINE AD VISITANDAS PAROCHIAS.

I. Nihil adeo a Patribus (1), et Sacris Canonibus Episcopis inculcatum fuit, quam continua Dioecesium perlustratio et visitatio. Episcopi divinis et apostolicis imbuti regulis toti olim fuerunt in Visitationis officio. Augustinus frequentibus ad castrum Fussalense itineribus, ejus cives schismate Donatistarum infectos ad Catholicam Fidem reduxit. Similiter Theodoretus Dioecesim lustrans suam, quae octingentis constabat paroeciis, omnibus haereticis erroribus eam liberavit. Singula visitationis capita recensent Sacri Canones, quae ad do-

(1) Catalano, *Pontificale Romanum commentariis illustratum*, Pars tertia, Titulus XXI; Fontana, *il Vescovo in visita*, Cap. I et seqq.

ctrinam, mores et disciplinam referuntur. In aliquibus Orientis regionibus ad paroecias invisendas stabile et fixum officium videtur institutum, quique eo donabantur, Περιοδευται, *circulatores* dicti sunt. In Concilio Constantinopolitano Act. I Sergius quidam Presbyter tamquam Περιοδευτης Monasterii Gindari subscripsit. Praeterea cum praecepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, *oves suas agnoscere*, uti loquitur Synodus Tridentina Sess. 23 Cap. I *De Reformatione*, nullatenus ex mente Patrum Concilii est, quod Episcopi unica Dioeceseos visitatione *annua* aut *biennali* obligationi suae semper satisfaciant.

II. Edictum generale proponitur pro generali Visitatione cum electione et publicatione Coadiutorum. Praemonitiones fiunt per litteras ad Parochos. Quando Episcopus ad civitatem, vel oppidum accedit, visitationis peragendae gratia, progreditur solemni pompa, seu, ut ajunt, processionaliter, Clerusque illi tenetur occurrere. Ferat secum Decreta postremae visitationis, Concilium Tridentinum, Pontificale Romanum, Decreta Provinciae suae, Indicem Librorum Prohibitorum, Libellos distribuendos de doctrina Christiana, Numismata sacra a Summo Pontifice benedicta, cereos *Agnus Dei*, sacras imagines, et eiusmodi ad pietatem excitandam. Praemittat Episcopus, si opus est, Concionatores, Confessarios, et Caeremoniarum Magistrum. Recepto Clero ad manus osculum, si tempus patiatur, debet Episcopus celebrare, vel Missam audire, et in ea sermocinari, proponendo ea, quae a Rubrica recensentur, nimirum causas suae visitationis. Si sermonem per se habere nequeat, curare debet, ut per alium adimpleatur, eo quod omitti nequeat: Gavantus, *in Manuale Episcoporum*; Genuensis, *in Manuale Pastorum*; Pax Jordanus, Lib. II Tit. 18. Indulgentiae quoque in Caeremoniali praescriptae publicandae sunt.

II. Sacri Canones et Ecclesiasticus Ordo, uti habetur in Pontificali Romano, Visitationem praecipiunt propter multa. Primo ad absolvendas animas Defunctorum. Absolvere animas Defunctorum nihil aliud est, quam orationes et quaevis alias preces pro defunctis dicere, thurificationes quoque, aspersiones, aliasque id genus

caeremonias peragere circa corpora Defunctorum. Forma et ritus praedictae absolutionis habetur in manuscripto Caeremoniarum Codice Monasterii B. Mariae Deauratae Tolosanae. Secundo ut sciat, et videat, qualiter Ecclesia ipsa spiritualiter et temporaliter gubernetur; quomodo se habeat in ornamentis; qualiter Ecclesiastica Sacramenta ministrantur; et Divina officia peraguntur; qualis sit vita Ministrorum. Synodus Tridentina, quae veterum canonum dici compendium potest. postquam sessione XXIII *De Reformatione*, Capite III declaravit, quando Episcopi et alii quibus jus visitandi Ecclesias competere consuevit, visitationem instituere debeant, ita subjungit: *Visitationum autem omnium istarum praecipuus sit scopus, sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis haeresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum Cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamque accendere, cetera prout locus tempus, et occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere.* Ubi nota visitationem praecipue versari debere circa interiorem Dioeceseos statum, ut nimirum Episcopi diligentiam omnem in visitando adhibeant, non modo in Ecclesiarum cultu, et ornamenta tuendo, augendove, sed maxime in omni et Cleri, et populi Christiana disciplina restituenda. Hausit hanc doctrinam S. Carolus ex antiquis sacris Canonibus, qui quidem mandant, ut in Visitatione observentur quae pertinent ad curam animarum et administrationem Sacramentorum, ad cultum, et ornatum ac refectionem Ecclesiarum, ad Clericorum correctionem, et cetera hujusmodi in Pontificali praescripta. Tertio ad adulteria, fornicationes, sacrilegia, divinationes, et similia publica in populo punienda, ut diligenter moneatur populus quam damnabilia et detestanda sunt crimina ipsa. Synodus Tridentina Sessione XXIV *De Reformatione*, Cap. X volens providere ne Episcoporum visitationes suo frustrarentur fructu, atque ut visitationes ipsae ad mentem Ecclesiae instituerentur, statuit quidem, ut Episcopi quo aptius populum quem regunt, possint in officio, atque obedientia continere, jus et potestatem habeant, etiam tamquam Apostolicae Sedis Delegati.

III. In visitandis maxime Parochiis suam explicuisse olim Episcopos jurisdictionem adversus homines criminosos, affirmant sacri Canones. Tum enim potissimum eorum zelum saevisse in homicidas, et in omnes denique publicis criminibus irretitos, constat ex Tomo secundo Conciliorum Galliae, pag. 248. Quarto propter casus, qui de Jure vel consuetudine ad Episcopum dumtaxat pertinere noscuntur, qui in Constitutionibus Synodalibus continentur. Posse summos Ecclesiarum Antistites, multoque magis omnium supremum Romanum Pontificem, inferiorum Sacerdotum jurisdictionem ita coarctare ut a quibusdam gravioribus culpis, quas sibi, suoque judicio relaxandas reservant, ne in foro coscientiae quidem, et coram Deo, illi absolvere valeant, Catholicum dogma est, quod contra Wiclefum strenue propugnavit Waldensis Tom. II *de Sacramentis* Cap. 149. Praeterea ad relaxanda etiam in foro interno, peccata, praeter potestatem Ordinis, necessaria est potestas jurisdictionis, quae a Superiore potest ad plures personas, et causas extendi, atque ad pauciores restringi, prout ei visum fuerit. Hanc Catholicam veritatem, iterum a Luthero impetitam, non solum validis argumentis fulseruut Theologi, sed etiam validius autem, contra Lutheri conatus, sancivit Tridentinum Sess. 14 *de Sacramento Poenitentiae* Cap. 7. Binas praesertim ob causas consuevisse jam olim Episcopos reservare sibi quorumdam peccatorum absolutionem constat. Prima est, ut hominum propensio ad peccandum quodam verecundiae freno coerceatur, dum Summus Pontifex, vel Episcopi sunt adeundi ad obtinendam absolutionem. Altera causa est, ut morbi graviores medicis peritioribus curandi serventur. Hinc plane constat, ubi Episcopi Dioecesim lustrabant, eorum fuisse officium reservatis sibi peccatis absolutionem impertiendi. Quinto ad exhibendum Sacramentum Confirmationis. Ex Sanctorum tum veterum, tum recentiorum Praesulum vitis illud plane constat, diligentissimos ipsos fuisse in administranda baptizatis Confirmatione, dum Dioecesim visitarent. Frequentissime inculcata est haec disciplina in Conciliis.

III. Potissimum Visitationis Episcopalis scopum fuis-

se, ut Evangelica praedicatione Parochiae omnes imbuerentur, ex Canone X Concilii IV Lateranensis apertissime declaratur; mandat enim Episcopis, praedicatores doctos, et probatos, eligere, per quos Dioeceses lustrarent, quando ipsi per se non possent. Explicatis sigillatim causis adventus sui, ex praescripto non modo editorum Pontificalium, sed ex manuscripto Codice Pontificalis Durandi fit populi confessio, et absolutio generalis, et Indulgentia datur per Episcopum publicanda per aliquem ex suis, vel Beneficiatis illius Ecclesiae, prout in Missa Pontificali post Evangelium ponitur. Post haec Episcopus, deposita Cappa, induitur amictu, Stola, Pluviali violacei vel nigri Coloris, et stans iuxta Altare cum Mitra incipit antiphonam: *Si iniquitates.* Post Defunctorum absolutionem, depositis Stola, et Pluviali nigris, seu violaceis et assumptis albis incipit visitationem à Sanctissima Eucharistia; ad Baptisterium, inde ad sancta Olea; ad sacras Reliquias, ad Altaria, et Capellas, et sacras Imagines, item ad Sacristiam, et Coemeterium se confert; post ad aedes Canonicales, Hospitalia, Confraternitates et alia loca pia. Quo apparatu, ac ritu ipsa Eucharistiae visitatio peragenda sit, docet quidem in Pontificalibus caeremoniis, ac sacris ritibus apprime versatus Lucas Antonius Resta Episcopus Andriensis, Parte II *Directorii Visitatorum* etc. Capite III ait enim educto, ea quae decet reverentia, Sacramento a loco, ubi custoditur, debere ipsum, qui illud eduxit, per se, vel Cantores primum canere Hymnum, *Tantum ergo Sacramentum* tum vero observare locum, ac pyxidem in qua asservatur, aliaque ad illius cultum spectantia; iisque diligenter visitatis, reliquum Hymni dicere, *Genitori Genitoque*. In visitatione fontis baptismalis dimisso pluviali, et assumpta *mozzetta* primo bene lustratur vas fontis, ex qua materia illud sit, an sit rotundum; nitidum bene clausum, coopertum ac in cospicuo loco. Proceditur ad visitationem Oleorum sacrorum, an decenter, ex tuto custodiantur, visitantur SS. Reliquiae cum duobus ad minus intortitiis incensantur, Fuscus, *de Visitatione* Lib. I Cap. 8; Gavantus, *in Praxi Visitationis* § 8 num. 2; Pax Jordanus, Lib. C num. 1115. Et inspicitur index ipsarum,

armarium in quo asservantur, an sit decens et mundum, de illarum custodia, et clavibus. Post Reliquias visitantur Imagines Sanctorum, neque pro Sanctis publice coli, qui canonizati non fuerint, praesertim post Decretum Urbani VIII. Postmodum visitantur Altaria, et considerandum, ex qua materia sint constituta, an habeant debitam altitudinem, et longitudinem an habeat Crucem, Candelabra, Iconem, Tabellam Secretarum? Pallia omnium colorum. Sequitur deinde Visitatio Coemeterii, an clausum sit, ut impediatur hominibus transitus per illud, aut apertum, an habeat Crucem lapideam, seu ligneam erectam in loco patenti accedituṙ exinde Sacristia, in qua debent examinari plura, ubi locus, inventarium omnium bonorum, sacra vasa umbellae, Altarium paramenta, linteamina, tobaleae, vestes sacrae, Crux processionalis, Missalia cum signaculis, Calendarium, et rubrica colorum, Instrumentum ad conficiendas hostias, Legilia, Libri et Rituale. Missae an describantur in speciali libello. Peracta demum visitatione illius loci, et omnibus expeditis, uti habetur in Pontfficali, in suo habitu communi accedit ad Ecclesiam, et stans ante Altare in cornu Epistolae, versus ad illud, dicit Psalmum, *De Profundis* cum Oratione *Deus, cujus miseratione etc.* Praescribunt quidem hunc ritum editi Libri Pontificales, quibus praeivit manuscriptus Codex Pontificalis Durandi, ut terminata visitatione migrare alio volens Episcopus, primo ad Ecclesiam jam visitatam accedat, ibique pro defunctis precetur, juxta modum in nostro Pontificali praescriptum.

CAPUT III.

DE ORDINE EXCOMMUNICANDI ET ABSOLVENDI.

I. Excommunicatio est censura (1) per quem fidelis, ab Ecclesia abscinditur; atque a Fidelium communione, et consortio separatur; quocirca Divus Cyprianus

(1) Catalano, *Pontificale Romanum Commentariis illustratum*, pars tertia Titulus XVII; Selvaggi, *Antiquitatum Christianarum Institutiones*, Lib. IV Cap. 1 § 8; Raynaudus, *De Monitoriis Ecclesiasticis*, Parte II Cap. VII.

Epistola 62 eam appellat *gladium spiritalem, quo superbi, et contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur*. Quare, cum rationis, et aequitatis principia suadeant, poenam esse commensurandam culpae, et pro culpae modo imponendam; consequens inde est, nonnisi propter graviorem culpam esse excommunicationem ferendam. Id jampridem edixerant Concilium Aurelianense V, an. 549 Can. 2, et Arvernense II, paulo post celebratum, Can. pariter 2 relato a Gratiano in Can. 42 II quaest. 3, et Concilium Meldense, anni 845 Can. 56. Jam alia Concilia afferre possem, quibus admonentur passim Antistites, ne per proclivitatem, ac frequentiam ferendae excommunicationis, occasionem contemnendi censuras laicis potissimum praebeant: sed sat erit hoc loco describere monitum Patrum Concilii Tridentini qui Sessione XXV Cap. III *De Reformatione* haec habent: *Quamvis excommunicationis gladius, nervus sit Ecclesiasticae disciplinae, et ad continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen, magnaque cum circumspectione exercendus est.*

II. Triplex est excommunicatio, videlicet, minor, major, et anathema. Minor Excommunicatio, ex communi Theologorum, et Canonici Juris Consultorum sententia incurritur propter communicationem cum innodato majori excommunicatione per quam aliquis a suscipiendis Sacramentis, obtinendisque Beneficiis arcetur. Haec excommunicatio, veteribus plane fuit incognita. Sunt enim qui existimant, primam ejus excommunicationis mentionem fieri in Cap. ultimo, *De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante*; itemque in Cap. *Si quem* LIX *De Sententia Excommunicationis*. Est quidem utriusque Decretalis Auctor Gregorius IX. Christianus Lupus, Tomo II Operum, in dissertatione: *De latrocinio Ephesino*, Cap. IV postquam describit excommunicationis, et depositionis sententiam, quam S. Flavianus adversus Eutychetem edidit, ita statim subjicit: *Antiquitus enim nulla erat excommunicatio minor, sed quivis excommunicato communicans incurrebat idem penitus vinculum, quomodo nunc communicans in crimine*. Praeterea communicantes cum excommunicato majori excommunicatio-

nem minorem incurrere perpetuum non est. Nam ex Gregorii VII Bulla in Can. *Quoniam*, Causa XI ab ea eximuntur uxores, servi, ancillae, itemque peregrini propter necessitatem, et qui humanitatis intuitu aliquid dant excommunicatis. Ceterum ex Martini V Bulla quae incipit, *Ad evitanda*, nemini interdictum est, communicare excommunicato antequam hic specialiter et expresse denunciatus sit a judice, vel manifeste constet, eum incurrisse excommunicationem, ita quod nullo tergiversari possit. Causae ob quas cum excommunicatis communicare licet, egregie explicantur a Divo Thoma in IV *Sententiarum, Distinctione XVIII* quaestione II articulo IV quaestiuncula prima eoque versiculo exprimuntur

Utile, lex, humile, res ignorata necesse.

Illud insuper minime dissimulandum est, quod de absolutione ab excommunicatione minori, posse ab illa simplicem Sacerdotem absolvere. Quamvis autem in nostro Romano Pontificali tertium Excommunicationis genus *Anathema* dicatur; sciendum tamen et illud est, idem re ipsa esse *Anathema*, ac major excommunicatio, solumque ab ista illud distingui quantum ad solemnitatem, quia scilicet solemni ritu, ac caeremoniis majorem terrorem incutientibus peccatorem contumacem Ecclesia exsecretur. Hinc olim excommunicationis, et anathematis vocabulum promiscue accipiebatur. In antiquis Canonibus, atque in omnium damnatione haereticorum sane frequens est anathematis nomen. Concilium Gangrense singulos canones suos concludit verbis *Anathema sit*, hoc est ab omni Ecclesiae communione sejunctus, et ab omnibus exsecratus habeatur, qui Concilii legibus non obtemperaverit. Iisdem pleraque Concilia verbis utuntur; id autem sumptum videtur ex ea Divi Pauli formula ad Galatas Cap. VIII *Etiamsi nos, aut Angelus a coelo evangelizet vobis praeter id, quod vobis evangelizavimus, anathema sit.* Verum ipse Apostolus 1 ad Corinthios Cap. XVI v. 22 vocabulo *Anathema* addit et alterum *Maranatha*, quod et interdum veteres Synodi praestiterunt. Genus erat anathematis apud

Judaeos, quod S. Paulus in eos pronunciat, qui Jesum Christum non diligunt 1 ad Cor. Cap. XVI v. 22 *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, maranatha* vulgo tradunt Interpretes anathema illud omnium esse maximum apud Judaeos.

III. Per excommunicationem majorem Excommunicatum a Corpore Christi, quod est Ecclesia, separari et abiici, et tanquam ethnicum et publicanum e fidelium albo expungi, manifeste significant verba Salvatoris quibus hanc potestatem Ecclesiae expressit, etc. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Finis excommunicationis primarius est honor Dei, ne scilicet nomen ejus apud infideles blasphemetur, Christianaque Religio in contemptum veniat, si gravissima Christianorum hominum crimina impune grassari videant. Secundus est ecclesiastica disciplina, cujus justa severitate caeteri a similibus criminibus deterrentur. Unde *Excommunicationis gladius nervus* ecclesiasticae disciplinae vocatur a Concilio Tridentino Sessione XIV *De Reformatione*, Cap. III et a S. Augustino *Misericors severitas Lib. de fide et Operibus* Cap. III appellatur. Tertius est custodia et salus aliorum, qui contagione morbi infici possent. Nam *modicum fermentum totam massam corrumpit.* Quartus est salus ejus qui excommunicatione percellitum ut scilicet pudore, et spiritualium bonorum privatione, omniumque fidelium execratione commotus, et *traditus Satanae* 1 Cor. Cap. V *in interitum carnis ad cor tandem redeat, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.* Sed explicandum est quibus bonis privet major Excommunicatio. Privat itaque primo participatione Sacramentorum, ut docet Innocentius III Cap. *Cum illorum, Extra De Sententia Excommunicationis.* Secundo privat Excommunicatio communibus suffragiis et orationibus, quae pro Ecclesiae membris fiunt, ut colligitur ex Cap. *A nobis* et Cap. *Saevis Extra De Sententia Excommunicationis.* Tertio privatur Excommunicatus auditione Missae, Divinorumque Officiorum, ut constat ex Cap. *Illud Dominus*, item ex Capite *Responso, Extra De Sententia Excommunicationis.* Quarto Excommunicatus privatur ecclesiastica sepultura, ut constat

ex Cap. *Sacris, Extra, De Sepulturis.* Quinto Excommunicatus fit incapax Beneficiorum et Dignitatum Ecclesiasticarum in futurum obtinendarum, quamdiu excommunicatione ligatus permanserit, quamvis ante impetrata retinere possit.

IV. Maxime antiquitus formidabant Christiani Excommunicationem, utpote quam sententiam esse futurae a Jesu Christo separationis judicabant. Quum poena haec sit gravissima, et qua nulla major Crhistiano homini timenda foret, qui inde a portione Christi, et spe vitae eternae excluditur, propterea non ob qualecumque crimen, sed grave, manifestum, et probatum irroganda est, et quidem adhibitis prius omnibus aliis remediis ad sanandum adcommodatis. Canones, Patres, totaque antiqua Ecclesiae disciplina consentit. Ita praescripserat Christus apud Matthaeum Cap. XVIII v. 15 *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum.... si autem te non audierit, adhibetecum adhuc unum vel duos.... quod si non audierit eos, dic Ecclesiae: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus.* Inde consuevit Ecclesia a primis usque saeculis trinam adhibere monitionem in peccatorem, ut ita centumacem, et non audientem excommunicaret. Sequentibus temporibus, tum pro trina unica etiam aliquando monitio usurpata est; tum in gravibus quibusque delictis excommunicationem *ipso jure, et ipso facto*, sine praevia monitione infligi obtinuit. Mos erat in veteri disciplina, ut lata Excommunicatio contra aliquem in una Ecclesia, per litteras *encyclicas*, seu *circulares*, ceteris quoque Ecclesiis nuntiaretur. Quippe ne Excommunicatio parvipenderetur, statuerat Concilium Nicaenum Canone V, ut qui in una provincia communione privarentur, ab aliis non recipiantur. Idem poene observandum praescribitur in Pontificali Romano.

V. Cautum est quidem ex sacris Canonibus, ut qui ab excommunicatione absolutionem petit, primum juret parere mandatis Ecclesiae. Sic enim in Cap. *Exteaore X De sententia excommunicationis.* Secundo quoad reconciliationem excommunicatorum spectat, ritus jam olim fuit, ut ii non modo prostrati, sed etiam nu-

dis pedibus absolutionem peterent. Fit et in variis Libris Pontificalibus ejus quidem ritus mentio. Praeter alios ritus in reconciliatione excommunicatorum usitatos, mos olim fuit, ut septem integri Psalmi poenitentiales recitarentur, adessentque una cum Episcopo duodecim Presbyteri, qui eum hinc inde circumstarent. Saeculo praeterea XIII consuetum erat, ut absolvendi ab excommunicatione flexis genibus, vel prostrati ante januam Ecclesiae, ab Episcopo vel ab alio qui eos absolveret, ad quemlibet versiculum Psalmi *Miserere mei Deus*, virgis percuterentur. Quamvis autem multis ab hinc saeculis Sacerdos absolvens ab excommunicatione non caput, sed scapulas virgis percutiat, mos tamen olim fuit, ut non scapulae, sed poenitentium capita in sua ipsorum reconciliatione virgis verberarentur. Preces et orationes praescriptae in nostro Pontificali, et ritus apprehendendi absolutum per dexteram manum, eumque introducendi in Ecclesiam, extant in manuscripto Vaticano Gulielmi Durandi Pontificali, et in aliis nonnullis. Excommunicatio alia est a Canone, sive a Jure, alia ab Homine. A jure infertur, cum quis ipso facto sine judicis ministerio excommunicationi subditur; quae idcirco latae sententiae excommunicatio nominatur. Ab Homine infertur, cum Praelatus vel alius judex Ecclesiasticus inobedientem, sive contumacem sententia sua excommunicat. His notatis, mandet Romanum Pontificale, ut absoluto ab excommunicatione, fieri debeant justa et rationabilia praecepta, ut nimirum, si excommunicatio a Jure, sive a Canone sit, injungatur ipsi, ut satisfaciat ei quem laesit, ulterius contra Canonem illum nihil faciat etc.

VI. Primis Ecclesiae temporibus nulla specialis legitur excommunicationis forma, aut certi ritus praescripti, sed in hoc unum erant Praelati, ut accurate examinarent causam excommunicationis. Episcopus itaque, adhibito Clero suo, sententiam excommunicationis simpliciter, nullo servato externo aut speciali ritu, pronuntiabat. Ut ergo auctoritas major ipsis censuris conciliaretur, terrorque populo incuteretur, coeperunt certae formulae et ritus introduci, quae et sensim maius incrementum acceperunt. Ubi anathema, idest solemnis

excommunicatio pro gravioribus culpis ferri debet, cautum est quidem ex Sacris Canonibus, et variis Pontificalibus Libris, ut Episcopo excommunicationem ferenti duodecim Presbyteri assistant, candelas ardentes in manibus tenentes. Ritus candelas ardentes in manibus tenendi, easque, pronuntiato anathemate, in terram projiciendi, quemadmodum Pontificale praescribit, est recentioris instituti, solis Latinis notus, Graecis hactenus ignotus, uti notat Christianus Lupus Tomo V *Scholia in Canones* pag. 829. Eum non esse antiquissimum fatetur ibidem pag. 830 Lupus, dicitque se ignorare vetustiorem ejus memoriam, quam a Lemovicensi Synodo celebrata anno 1031. Licet fateamur ritum hunc primis Ecclesiae saeculis fuisse ignotum, nihilominus eum fuisse in Ecclesia notum ante dictum Synodum, evincitur ex Reginone Abbate Prumiensi qui floruit circa initium seculi X; adeoque integro facile saeculo ante dictam Synodum. Hic autem Lib. II *De Disciplinis Ecclesiasticis* Cap. 402 refert formulam excommunicationis cum hac clausula: *sicut hae lucernae extinguuntur in oculis vestris, ita gaudium eorum extinguatur in conspectu SS. Angelorum, nisi ante mortem ad satisfactionem venerint.*

VII. Sed age explicemus singula solemnis excommunicationis adjuncta, quae quidem egregie enarrat eruditus P. Raynaudus in Libro: *De Monitoriis Ecclesiasticis*, Parte II Cap. VII. Episcopus, inquit, et duodecim Sacerdotes, Christum et duodenarium numerum Apostolorum repraesentant; significaturque, eorum auctoritate ac in ipsorum persona vibrari anathema. Rursus cerei ardentes significare primo possunt horrendam maledictionem, qua feriuntur qui percelluntur anathemate. Nam etiam Psalmo LVII irrogatio poenae gravissimae significatur verbis illis: *Supercecidit ignis, et non viderunt solem.* Eo itaque pertinere potest cerei ardentis projectio, ut significetur quam atrox supplicium maneat excommunicatum, quasque in se advocet poenas et maledictiones, quae in multis olim Ecclesiis anathemati adjungebantur. Sed hisce obiter explicatis, potest praeterea cerei projectio, quemadmodum docet laudatus Raynaudus, significare mysticam

hominis intersectionem, per gratiae, quae interni hominis lumen ac splendor est, exclusionem ab eo factam, in quem anathema intorquetur. Praeterea uti anathemata cum imprecationibus vibrabantur, ita quoque mos olim fuit, ut ubi ipsa absolverentur, variae benedictionum formulae a Sacerdote absolutioni adjungerentur. Plura, ac lectu digna videri de ea re possunt apud eruditissimum Aloisium Novarinum Ordinis Clericorum Regularium, in Opere cui Titulus: *Schediasmata sacro-prophana*.

CAPUT IV.

DE ORDINE AD RECONCILIANDUM APOSTATAM, SCHISMATICUM ET HAERETICUM.

I. Apostasia a Latinis proprie *desèrtio* appellata est; idemque sonat apostata ac *desertor*: uti conjicere licet ex *leg. Desertorum § de re militari*. Quamvis autem apostatae dicantur, qui relicto Clericali ministerio, et regulari professione, cui voto adstricti sunt, ad secularem vitam transeunt; in praesenti tamen pro illis accipiuntur, qui susceptam Christianam Fidem deserentes, ad nefarios Judaicae, vel Paganae superstitionis ritus deflectunt, et sanctum Baptisma profanant. Schismatici a scissura dicuntur, quia scilicet ab unitate Ecclesiae Catholicae, quae est in Romano Pontifice tamquam in Capite, se praescindunt; Can. *Schisma.* Nam qui discedunt a centro in quo unitas existit, ii profecto ab unitate discedunt; nec cum Ecclesia conjucti esse possunt, qui ab ejus Capite disjuncti ac dissociati sunt. Haeretici tandem sunt illi, qui quolibet modo ab Orthodoxis dissentiunt, et in Catholica Fide cum Ecclesia Romana non conveniunt.

II. Vetus est Ecclesiae mos, ut qui in haeresim semel inciderunt, etiam ad communionem Ecclesiae redeuntes, non temere suscipiendi sint, sed prius diligenti examinatione probandi, an vere se et ex animo corrigentes revertantur. Illud autem ex sacris Canonibus, et priscis Patribus constat, pro varietate haeresum, ac temporum, atque locorum, varios olim servatos Ri-

tus fuisse admittendi haereticos ad Ecclesiam. Antiquam Ecclesiae disciplinam in reconciliandis haereticis nobis egregie repraesentavit S. Gregorius Lib. IX Epistola 61 ad Quirinum ceterosque Hiberniae Episcopos, scribens in haec verba: *Ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut qui apud haeresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad Sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione Fidei ad sinum Matris Ecclesiae revocentur.* Primus antiquissimus modus fuit manuum impositio, prioribus jam in Ecclesiae saeculis usitata, ubi constat ex Eusebio Lib. VII *Historiae* Cap. 2 et ex plurimis Patribus et Conciliorum Canonibus. Verum post exortam Arianam haeresim, qui errores abjurare cupiebant cum sacri chrismatis unctione plerumque recipiebantur, sive illa Sacramenti Confirmationis, quod forte haeretici praetermittebant, vicem habuerit, sive simplex caeremonia fuerit, id quod Theologis discutiendum relinquo. Venio ad tertium recônciliationis modum qui in sola errorum ejuratione et fidei Catholicae publica professione situs erat, locumque praesertim habuit post Nestorii et Eutychetis haeresim exortam. Eo recepti fuere omnes Episcopi, qui in Ephesino Concilio secundo Eutycheti et Dioscoro adhaeserant. Ita Paulum Emissenum, qui favebat Nestorio, non prius ad synaxim admisit Cyrillus Alexandrinus, quam dato libello Nestorii dogmata suo scripto anathematizasset, uti testatur ipse Cyrillus in Epistola ad Donatum Nicopolis veteris Epiri Episcopum. Nec aliud petit S. Leo ab haereticis ad Ecclesiam redeuntibus, Epistolis 1 6 8 14 et 27 novae editionis.

III. Episcopus Apostatam, Schismaticum, vel Haereticum reconciliare volens, de Fide interroget, dicens: *Credis duodecim articulos Fidei?* Quia scilicet Fidei Symbolum, quod nobis ab Apostolis non litteris, sed viva voce traditum est, in duodecim capita, sive sententias dividitur. De his S. Leo in Epistola XXVII ad Pulcheriam Augustam, Capite quarto scribit: *Ipsa Catholici Symboli brevis, et aperta confessio, quae duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa sit munitione caelesti, ut omnes Haereticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari.* Recte insuper

in reconciliatione hujusmodi hominum exorcismus adhibetur, quo daemon ab ipsis fugetur, ejusque ritus non modo Ecclesiae Scriptores, Librique antiqui Rituales meminere, sed et sacrae Synodi jam olim habitae, inter quas videri potest prima Constantinopolitana quae est secunda Oecumenica, Can. VII. Ceterum cum ipsa reconciliatio haereticorum sit veluti novus Baptismus, non mirum si ritus in hoc usitati, etiam in illa adhibeantur. Et re vera signum Crucis sub formula: *Accipe signum Crucis Christi, atque Christianitatis, quod prius acceptum non custodivisti, sed male deceptus abnegasti*, praescribit manuscriptus codex Gulielmi Durandi. Sunt enim hujus furfuris homines, ut eos appellat Apostolus in Epistola ad Philippenses, Cap. III, inimici Crucis Christi. Quanta autem sit signi Crucis virtus, testati non semel sunt ipsi daemones, quos eo signo fugatos sancti Ecclesiae Patres commemorant (1). Porro quemadmodum sanguis in postibus aedium Hebraeorum distinxit Hebraeos ab Aegyptiis et servavit ab Angelo percutiente, uti habetur Exodi Cap. XII, sic nos per Crucem et distinguimur ab alienis, et munimur contra percutientem Angelum. Hinc etiam Christianorum sepulchris ac coemeteriis Cruces apponimus, ut ea distinguamus ab alienis.

IV. Formula introducendi reconciliandum haereticum in Ecclesiam cum orationibus *Omnipotens sempiterne Deus*, et *Deus qui hominem ad imaginem etc.*, est antiquissima. Sunt istae orationes profecto antiquae; extant enim in bene multis Libris Pontificalibus, semper tamen cum aliqua verborum mutatione. Interrogationes in nostro Pontificali descriptae, extant in Vaticano Gulielmi Durandi Pontificali et in editis ante Clementem VIII Pontificalibus. Nihil enim frequentius antiqui sancti Patres memorant, quam varios dolos et simulationes haereticorum; eamque ob causam sapientissime iidem statuerunt, non temere ipsos ad Ecclesiam admittendos, sed facta prius errorum abjuratione, et Fidei confessione. Quod ritum spectat impositionis manuum in re-

(1) Vide opus nostrum cui titulus: *Antiquitatum Christianarum Institutiones*, Volumen secundum, Liber nonus, Caput. V.

conciliatione haereticorum adhibendae, est plane is antiquissimus. Impositio manus, uti observat Lupus, est omnino poenitentialis; probatque auctoritate S. Augustini, qui Libro III *De Baptismo contra Donatistas*, Cap. XVI sic inquit: *Manus autem impositio non sicut baptismus repeti non potest. Quid enim est aliud, nisi oratio super hominem?* Manum istam licet poenitentialem majores nostri vocarunt passim manum in Spiritum Sanctum, ut ita omnes ad Ecclesiam venientes haeretici in ipso ingressu profiterentur, nullibi nisi in Catholica Ecclesia dari Spiritum Sanctum, et ideo se ad illam venire, ut ab ipsa hunc accipiant. Quocirca lapsis et natis haereticis imponebatur manus alia et alia, idest aliis purgativis precibus et ritibus vestita, utraque tamen poenitentialis. Eandem itaque manum antiqui Patres quandoque *in poenitentiam* dicunt, quandoque vero in *Spiritum Sanctum*. Docet haec quidem Lupus in Canonem VII Concilii I Constantinopolitani. Extant apud Scriptores Ecclesiasticos variae abjurandi. Schismatis formulae pro temporum, locorum, personarum ac rerum varietate.

V. Formula abjurandae haeresis quae in nostro Pontificali incipit: *Ego cognoscens veram Catholicam et Apostolicam Fidem* etc. desumpta est ex Canone, *Ego Berengarius* De consecratione, Distinctione II. In antesignanis et propugnatoribus haeresis, ac schismaticis, qui alios errori, et factioni implicaverant, ea quoque conditio olim communiter requisita fuit, ut deceptam a se multitudinem reducerent, priusquam absolutionem obtinerent. Eandem regulam servatam semper ab Ecclesia constat non modo in Haeresiarchis sed et in schismatum Doctoribus. Quod tandem reconciliandi haeretici non modo errores damnare, sed et scripto edito ejurare deberent, eamque conditionem Nicaena I Synodus Canone VIII a Novatianis; Gangrensis in proemio, ab Eustachianis; Laodicena Canone VII a Novatianis; Constantinopolitana a Macedonianis exigebant. Ceterum adnotandum est, debuisse haereticos, qui ad Ecclesiae communionem redire cupiebant, non modo errores damnare, et rectae Fidei doctrinae subscribere, verum etiam juramentum praestare majoris confirmationis gra-

tia: quod quidem jam olim consuevit super sacro Evangelii libro peragi, uti historiam Ecclesiasticam legenti patet. Illud quoque iis quae hactenus enarravimus lubet adnectere, non modo reconciliationem haereticorum, sed et cognitionum de haereticis, et causis Fidei, summo Jure inspecto, ad Episcopos pertinere, ex Cap. *ad Abolendam*, extra, *De haereticis*, et ex Concilio Tridentino Sessione V *De Reformatione*, Cap. II § *Si vero*.

CAPUT V.

DE ORDINE SUSPENSIONIS, RECONCILIATIONIS, DEPOSITIONIS, DISPENSATIONIS, DEGRADATIONIS, ET RESTITUTIONIS SACRORUM ORDINUM.

I. Respicit hoc caput poenas Canonicas quas semper habuit Ecclesia, quibus certis cum ritibus ac caeremoniis malefactores coerceret. Poenae quibus Ecclesia ipsa utitur communiter in Clericos et Laicos, sunt quidem Excommunicatio et Interdictum: illae nempe quibus solum adversus Clericos utitur, sunt Suspensio, et haec magna; Depositio, et haec major; Degradatio, et haec maxima. Suspensionis vocabulo intelligimus illud censurae genus, quo Clericis ob proprium delictum ecclesiasticae potestatis et jurisdictionis usu interdicitur. Suspensionis poena antiquissima in Ecclesia est, eaque a Patribus abstinendi aut prohibendi vocabulis significatur. Sunt qui fuse de hac censura scripserunt, Theolog. aeque ac Canonici Juris consulti. Nos illud quidem non praetermittimus, Suspensionem vel a jure, vel ab homine inferri. A jure, cum quis ipso facto, sine judicis ministerio, suspensioni subjicitur, quae et idcirco latae sententiae Suspensio nominatur. Ab homine suspensio infertur, cum Praelatus, vel alius judex ecclesiasticus inobedientem sive contumacem sententia sua suspendit. Porro autem saepe Judex certum tempus suspensioni addit; interdum etiam, quandiu resipiscat reus, tandiu mereatur indulgentiam, uti habetur in Cap. XXXIII *extra, De Testibus*. Triplex Suspensio est, nimirum ab officio, a beneficio, atque ab utroque simul. Suspensio ab officio

Clericum exercere vetat universa ecclesiastica officia, quae vel ab ordine, vel a jurisdictione pendent. Suspensio a beneficio Clericum excludit a percipiendis beneficii fructibus. Suspensio a beneficio simul et officio facit, ut Clericus beneficii fructibus carere debeat, et simul ecclesiastica munera exercere prohibeatur.

II. Adeo indecens semper et probrosum visum est, sacris addici ministeriis hominem non integrae famae, ut, qui grave scelus admisit, in ceterorum fidelium offensionem incurrens, si laicus adhuc sit, juxta vetustissimas et sanctissimas Ecclesiae leges, in perpetuum arceri debeat a sacris suscipiendis Ordinibus; si vero jam fuerit inter Clericos cooptatus, sit e Clericali gradu dejiciendus. Primum ex Apostolo Paulo tradit Augustinus *Tract.* 41 in Joannem n. 10 *Tom. 3 Opp. part. 2 col. 375.* Alterum praescribunt innumeri canones. Quamquam porro insequenti aetate nonnihil remissa fuerit antiquae disciplinae severitas, non tamen exolevit degradationis poena; sed etiamnum viget, et fertur in Clericos aut cujusdam atrocioris criminis reos, aut inemendabiles. Hanc poenam Theologi Morales et Canonistae saepe confundunt cum simplici depositione. Differentia vero inter simplicem depositionem, et degradationem, in hoc sita est, ut scilicet per simplicem depositionem Clericus perpetuo quidem removeatur aut a suscepti Ordinis exercitio, aut ab Officio et Ecclesiasticae jurisdictionis usu, aut a beneficio, aut denique ab Ordine simul, officio et beneficio; non tamen spolietur privilegio Canonis et Fori, sed remaneat subjectus Foro Ecclesiastico, neque ulla ratione subjiciatur jurisdictioni laicali: quod ex Cap. *Cum non ab homine*, inferunt Abbas, in Cap. *At si Clerici*, 4 num. 2. *De Judiciis* Suarez, *De Censuris*, Disp. 3; sect. 1 num. 8; Engel, *ad* Tit. 37 Lib. V *Decretalium* num. 11; Wiestner, ibidem num. 73; Schmalzgrueber, num. 135; nec obscure inde etiam colligitur, quod Clerici depositi plerumque a sacris Canonibus jubeantur detrudi in arctum monasterium, sicuti de Sacerdote revelante peccatum, sibi in Sacramentali Confessione manifestatum, statuit Innocentius III in Cap. *Omnis utriusque sexus, de poenitentia et remissione.* Nemo enim fa-

cile credet, Sacerdotem in Monasterium detrusum, esse extra forum Ecclesiasticum, laicali jurisdictioni obnoxium. At per veram degradationem Clericus non solum arcetur in perpetuum ab omni Ecclesiastico ministerio, omnique privatur Ecclesiastico officio et Beneficio, verum etiam exuitur privilegio Fori et subjicitur potestati seculari, a qua post degradationem judicari, in carceres detrudi, secundum leges civiles puniri et condemnari potest, perinde ac si esset laicus.

III. In omnibus editis Libris Pontificalibus ante Clementem VIII, ubi Episcopus privilegium Clericale, sive alios inferiores Ordines Clerico restituit, non quidem filium, sed fratrem nuncupat. Rursus in multis etiam Pontificalibus manu exaratis, non dicit quidem Episcopus: *Restituo tibi privilegium Clericale, et executionem Ordinis, et Gradus ostiariatus* etc. sed, *restituo te executioni ordinis, et gradus ostiarii*, uti habetur in manuscripto Vaticano Durandi Pontificali; sive, *restituo te carissime frater, in Ordinem gradus Ostiarii*. Depositi ergo, qui restitutionem privilegii Clericalis et executionis sacrorum Ordinum petierint, vestibus suis consuetis iuduti debent genua flectere coram Episcopo parato Amictu, Stola, Pluviali tempori convenientibus, et Mitra simplici, Baculum pastoralem in manu tenente, et in Faldistorio ante medium Altaris sedente. Ubi executio Subdiaconatus Ordinis restituitur, in manuscripto Vaticano Durandi codice, post recitatas preces hanc quidem verborum formulam Episcopus pronunciat, manu interim sua super Subdiaconi caput imposita: *In nomine Domini. Amen. Ego licet peccator, tamen Episcopus, restituo tibi executionem gradus, et ordinis Subdiaconatus, qua fueras juste privatus, ut amodo digne possis legere Prophetias, et Epistolas ad Missas, et ministrare Diacono, ac Presbytero vel Episcopo.* Consueverunt aliquando Episcopi in singularis suae humilitatis indicium, peccatoris nomine se subscribere, uti videre est in Concilio Turonensi II, in quo subscriptus legitur *Praetextatus etsi peccator in Christi nomine Episcopus Rhotomagensis.*

LIBER OCTAVUS.

DE SACRAMENTIS.

CAPUT I.

DE IIS, QUAE IN SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE GENERALITER SERVANDA SUNT.

I. Ut major sit erga Sacramenta fidelis populi devotio, ac reverentia, jampridem a primis Ecclesiae saeculis ritus et caeremoniae quaedam in Sacramentorum administratione adhiberi consueverunt, quibus et ipsi Sacramentorum effectus subinde explanantur, et populo sensibiliter proponuntur, mentesque fidelium ad rerum divinarum contemplationem excitant. Summa itaque ac multiplex quum sit rituum Catholicorum utilitas ac virtus, jam recte inquit nostrum Rituale *ut ea quae ex antiquis Ecclesiae Catholicae institutis, et Sacrorum Canonum, Summorumque Pontificum Decretis de Sacramentorum Ritibus, ac caeremoniis hoc libro praescribuntur, qua par est diligentia, ac religione custodiantur, et ubique fideliter serventur*. Potissimum vero illi servandi sunt ritus, quos Ecclesia Romana praescribit, in quo ut ait S. Augustinus in Epistola CLXII *semper viguit Apostolicae Cathedrae principatus ;* et longe ante Augustinum docuit S. Irenaeus Libro III Cap. III *ad hanc Ecclesiam, nempe Romanam propter principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam.*

II. Paratos semper esse debere animarum Pastores

ad Sacramenta administranda, omnes passim Synodi inculcant. Mandat nostrum Rituale ut Parochus, vel alius Sacerdos, antequam ad Sacramentorum administrationem accedat, *ordinem ministrandi, et caeremonias pro temporis spatio, praevideat, et perlegat.* Id plane passim inculcant Episcopi in suis Synodis, praesertim vero S. Carolus in Conciliis suis Mediolanensibus. Superpelliceum cum Stola adhibendum a Parochis Sacerdotibusque in Sacramentorum administratione praecipiunt passim sacrae Episcoporum Synodi provinciales ac particulares, ut ea, qua par est, religione et cultu Sacramenta administrentur. Recte ait nostrum Rituale adhibendum esse quoque a Parocho ea ministrante, *unum saltem si habeat, vel plures Clericos, prout loci, et Sacramenti ratio postulabit.* Statuit insuper Concilium Tridentinum Sessione XXIV *De Reformatione,* Capite VII, ut ab Episcopis et Parochis Sacramentorum virtus, antequam populo administrentur, explicetur. His concinit S. Carolus in Concilio Provinciali I Mediolanensi. Digna plane res lacrimis est, pueros, adolescentes, senesque complures inveniri, qui ad Sacramenta accedunt sine ullo prorsus fervore, quod eorum virtutem, utilitatem, et praecipue Caeremoniarum, quibus celebrantur, significationes nesciunt. Neque hic praetermittenda est Bulla Benedicti XIII, qui in suo Concilio Romano, mandavit Cleri Congregationem quater saltem in mense, seu semel in hebdomada habendam pro Sacrorum Rituum disceptatione. Optime docet Rituale, non debere Ministros Sacramentorum multum memoriae fidere in recitatione verborum, precum et orationum praescriptarum in administrandis Sacramentis, sed omnia legenda ex Libro Caeremonias, ac Ritus, ut eos decenter et gravi actione peragens Sacerdos, seipsum reliquosque ad reverentiam, et devotionem, nec non spiritualium Mysteriorum, quae tractantur, considerationem excitet. Et re quidem vera in vultu aliquorum Sanctorum virorum ministrantium Sacramenta, toties visus est splendor, ut de S. Philippo Nerio legimus, de S. Andrea Avellino, qui vere ministerium suum implebant.

CAPUT II.

DE ANTIQUIS BAPTISMI NOMINIBUS, DE EJUS MATERIA FORMA ET MINISTRO.

I. Baptismus proprie (1) mersionem significat, a graeco Βαπτίζειν, *mergere*, *tingere*. In antecessum autem non abs re erit diversa nomina, quibus in primaeva Ecclesia Baptismus donari consuevit, hic exponere. Ac primo *Indulgentia*, sive peccatorum remissio dictus est, Hinc Augustino *de Baptismo* Lib. V Cap. XXI *Sacramentum remissionis peccatorum adpellatur*. Secundo cum autem per Baptismum ex peccati morte in justitiae vitam homo renascatur, hinc *regeneratio*, *vitae aqua*, *fons divinus*, *regenerationis lavacrum*, nominari consuevit. Tertio quod vero baptizatorum mentes divina luce perfunduntur, Baptismum ipsum, *Illuminationem* veteres dixere, quod nomen in Chrysostomo, *Homilia* XIII in Heb.; Nazianzeno, *Oratio* XL *de Baptismo*; Dionysio Areopagita, *Hierarchia Ecclesiastica* Cap. III; Concilio Laodiceno, Can. XLVIII, aliisque Scriptoribus frequenter occurrit. Quarto quoniam etiam is est Baptismi effectus, ut per illum ad salutem aeternam homines perveniant, absolute vocatus est *salus*. Quinto appellatus quoque invenitur *signaculum Domini*, *signaculum Christi*, *salutare signaculum*. Aliis tandem nominibus usurpatum baptisma occurrit, queis scilicet illius auctor, natura, atque effectus varii significarentur.

II. Baptismi materia est sola aqua naturalis. Novi Testamenti in hanc rem loca adeo sunt perspicua, ut declaratione non egeant. Joannes Caput III v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. Tum Apostolos baptismum conferentes aquam adhibuisse, aperta res est. Insuper in sola aqua, et quidem vera ac naturali conferri, hoc Sacramentum, constans est Patrum omnium saeculorum traditio, ut nihil opus sit singillatim eorum testimonia

(1) Trombelli, *De Baptismo*, Caput I et seqq.

proferre, praesertim cum toti antiquitati subscribant duo Oecumenica Concilia, Florentinum in Decreto de Sacramentis, et Tridentinum, Sessione VII *De Baptismo*, Can. II. Praeterea hic nota, electam quoque fuisse aquam pro materia Baptismi, quod in Baptismo scilicet, qui aqua constat, praecipua Dei attributa commendantur, ut pluribus docet Tertullianus in *Libro de Baptismo*. Primo itaque elucet in eo Dei sapientia, qui medio scilicet aptissimo usus est, ad explicandum caelestem Baptismi effectum, ipsumque ob hominum oculos posuit, qui non nisi per sensus spiritualia percipiunt. Secundo elucet etiam quam maxime Dei omnipotentia, dum elemento multum humili utitur, ut magnificum operetur effectum. Tertio singularis quoque in nos Dei caritas elucet, qui in Sacramento omnino necessario ad consequendam salutem, materiam omnibus perviam, et ubique communem instituit.

III. Baptismi formam docuit Apostolos Christus ipse Dominus, ac per eos universam Ecclesiam, cum mittens illos in universum mundum, jussit praedicare, baptizantes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Hinc Tertullianus Libro de Baptismo Cap. 13. *Lex*, inquit, *tingendi imposita est, et forma praescripta: Ite*, inquit, *docete nationes, tingentes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*. Formae a Jesu Christo praescriptae, teste Martene Lib. 1. *De antiquis Ecclesiae ritibus* Capite I articulo XIV num. XV, nonnulla verba addebant, seu interserebant Ecclesiae Gallicanae. Nam in antiquo Missali Gothico-Gallicano, quod vulgavit doctissimus et religiosissimus Cardinalis Thomasius, ita exprimitur Baptismi forma: *Baptizo te in Nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti in remissionem peccatorum, ut habeas vitam aeternam*. Forma Baptismi apud Latinos est: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti*. Apud Graecos vero est: *Baptizetur servus Dei in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, ut est in Euchologio Graecorum. Solos olim Episcopos fuisse ordinarios et legitimos Sacramenti Baptismi ministros, constans est et indubitata sententia. S. Ignatius *Epistola ad Smyrnenses* num. VIII *Non licet sine Episcopo neque baptizare, neque agapem cele-*

brare. Tertullianus *de Baptismo* Cap. XVII: *Dandi*, inquit, (*Baptismi*) *jus habet Summus Sacerdos*, *qui est Episcopus*. Cui concinit S. Hieronymus *in Dialogo adversus Luciferianos*. Veterum quidem Episcoporum Historiae nobis exhibent, quanta animi cura hujusmodi ministerium sanctissimi Praesules obiverint. Macarium Jerosolymorum Antistitem scribit Theodoretus Lib. II *Historiae Ecclesiasticae* Cap. 27 veste aureis filis contexta a Constantino donatum fuisse, *ut ea indutus divini Baptismi ministerium perageret*. Hujusmodi morem, ut olim in Ecclesia Episcopis baptizandi cura committeretur, plura quae supersunt in ecclesiastica Historia, monumenta apertissime evincunt. Id primum depromitur, ex quo olim in qualibet civitate unum duntaxat Baptisterium extaret, idque propre Cathedralem Ecclesiam, ut adnotarunt Panvinius, Vicecomes, Martene, Chardon, Allegranza, Gori, Bellenghi et alii. Nulla autem congruentior unius Baptisterii, et prope Cathedralem constructi potest ratio assignari, nisi quod olim soli Episcopi baptizarent. Argumentum alterum conficiunt historica monumenta, quae ante Martenium et recentiores Theologos, collegit in Appendice ad Ephesinum Latrocinium eximius P. Lupus: Epistola nempe Cleri Edesseni ad Photinum et Eustachium, quae extat in Actis Concilii Calcedonensis Act. X rogantis, ut imminenti paschali festivitate ad propriam sedem Ibas remitteretur, quoniam ipsius praesentia opus erat *propter catechismos, et propter eos, qui digni sunt sancto baptismate*. Atque hanc disciplinam viguisse etiam saeculo VIII, ut soli nempe Episcopi essent ordinarii et praecipui Baptismi ministri, constat plane ex variis Synodis.

IV. Presbyteris quidem baptizandi potestatem tribuunt tum Auctor Constitutionum Apostolicarum, in quibus Lib. III cap. XI praescribitur: *Permittimus baptizare solos Episcopos ac Presbyteros, ministrantibus Diaconis*; tum Innocentius I *Epistola ad Decentium*: *Presbyteri seu extra Episcopum, seu praesente Episcopo, baptizant*. Insuper Augustinus *Serm*. CCCXXXIII narrans infantem in gremio mulieris B. Stephani opem implorantis revixisse, inquit: *Continuo tulit illum ad Presbyteros*,

baptizatus est, sanctificatus est etc. ac Theodulphus Aurelianensis Antistes, editus a Sirmondo de Baptismo Cap. 17: *Presbyteris,* inquit, *sive absentibns, sive praesentibus Episcopis, baptizare licet.* Quae quidem illud suadere videntur, Presbyteros nimirum post Episcopos ordinarios antiquitus ad Episcopum enim baptizandi ministerium, ut dictum superius fuit, primum spectabat, et non nisi de ejus permissu ad Presbyterum. Diaconis vero commissum aliquando brptizandi munus, nequit in dubium revocari: Philippum Diaconum baptizasse Eunuchum Reginae Aetiopum constat ex Capite VIII Actuum Apostolorum. In Concilio Illiberitano Can. LXXVII Diacono, qui ecclesiastica jurisdictione praeditus est, baptismi administratio conceditur. Insuper Diaconis baptizandi ministerium in Sabbato Sancto propter Catechumenorum multitudinem commissam olim fuisse, non pauci eruditi adnotarunt ac praesertim Thomassinus *De Ecclesiastica disciplina part.* I Lib. II Cap. XXIX. Quemadmodum igitur vi ordinis baptizandi ordinariam potestatem accipiunt Presbyteri; ita eamdem ex delegatione habent Diaconi.

V. Et sane summa Baptismi necessitas id postulat, ut si quod discrimen immineat, a quibuscumque, dummodo evangelicis verbis conferatur conferri possit. S. Hieronymus *Dialogo adversus Luciferianos: Si necessitas cogit,* inquit, *scimus etiam licere laicis baptizare.* Insuper, idem evincunt testimonia Gelasii in Epistola ad Episcopos Lucaniae; et Isidori Lib. II de *Officiis Ecclesiasticis* Caput 24. Concilium quoque Illiberitanum Can. 38 approbat Baptismum ab homine fideli, seu laico in extrema necessitate datum. Jam porro feminas etiam si necessitas urgeat, Baptismum conferre posse, ex dictis per se patet; eadem quippe illarum ac laicorum ratio est: nec Patres feminas excludunt, cum a quocumque Baptismum duxi posse docent. Constat ex Concilio Carthaginensi IV cui interfuit S. Augustinus, Can. 100. Constat ex Urbano II in Epistola ad Vitalem. Constat ex Decreto Eugenii *In causa necessitatis,* inquit, *non solum Sacerdos, et Diaconus, sed etiam laicus et mulier .... baptizare potest, dummodo formam servat Ecclesiae, et facere intendat quod facit Ec-*

clesia. Idem docent Concilium Compediense an. 757 Can. 9; et Nicolaus I respondens ad consulta Bulgarorum, Cap. 104.

VI. Valet quoque Baptismus praescripta Ecclesiae forma ab haereticis collatus. Magnis animis de hac re a veteribus disputatum est. Primus omnium Agrippinus Carthaginiensis Episcopus Baptismum ab haereticis administratum inanem censuit in Synodo Episcoporum Asiae et Numidiae, cui is praesedit, coacta an. CCXVII, uti Baronius, Pagius aliique putant. Agrippini decessoris sui vestigiis institit Cyprianus, qui collatum ab haereticis baptisma iterandum esse putavit; idque ratum fecit tribus Conciliis Carthagine celebratis. Idem visum Firmiliano Caesareae in Cappadocia Metropolitano, aliisque Asiae Antistitibus in unum congregatis. At Cypriano aliisque obstitit Stephanus I, qui Baptismum ab haereticis collatum forma a Christo instituta valere pronuntiavit, *et nihil innovandum, nisi quod traditum est*, edixit. Stephani decreto universa conquievit Ecclesia, et secundum ejus sententiam in *plenario totius orbis Concilio* controversiam diremptam, inquit Augustinus Lib. I *de Baptismo contra Donatistas* Cap. 7. Jam vero non longa disputatione opus est, ut propugnatum a Stephano Papa institutum ex traditionis apostolicae fontibus profluxisse demonstremus. Nullum in Occidente vestigium iterati Baptismi, praeterquam in Africa. In Oriente testatur Eusebius *Hist*. Lib. VII Cap. 2 antiquam consuetudinem invaluisse, ut in recipiendis haereticis sola manuum impositio cum precationibus adhiberetur. Morem Aegypti perspicimus ex testimoniis Dionysii Alexandrini apud Eusebium in eodem libro exstantibus. Huc accedit Basilii testimonium, qui Baptismum Montanistarum Dionysio Alexandrino probatum fuisse asseverat Can. I. Ipsa etiam Africa testis citari potest illius traditionis, quam acerrime impugnavit. Neque enim Afri ante Agrippini decreta baptismum ab haereticis datum iterabant; idque ipsos esse confessos perspicitur ex his Firmiliani verbis: *Quod quidem adversus Stephanum vos dicere Afri potestis, cognita veritate, errorem vos consuetudinis reliquisse*. Ipse etiam Cyprianus, dum ait in Epistola ad Jubaianum non novam aut

repentinam rem esse, ut baptizentur qui ab haereticis in Ecclesiam veniunt, sed multos annos esse, ex quo sub Agrippino id Episcopi in Concilio statuerant, non obscure de novitate opinionis suae confitetur, illiusque fontem et caput Agrippinum agnoscit. Sed ad rem audiatur S. Leo *Epistola* 129 *ad Nicetum Episcopum* Cap. 7: *Qui baptismum ab haereticis acceperunt, cum antea baptizati non fuissent, sola invocatione Spiritus Sancti per impositionem manuum confirmandi sunt.*

CAPUT III.

DE PAEDOBAPTISMO.

I. Baptismum infantium inde usque a saeculo Apostolorum viguisse, constanterque in Ecclesia servatum, certis indubitatisque testimoniis edocemur. Atque ut ab ipsa apostolica aetate exordiamur, S. Clemens Romanus *Epistola ad Corinthios* infantes originaria labe inquinatos esse aperte adserit; eos igitur baptismo ab hisce sordibus abluendos esse intelligit; quippe de parvulis Jesus Christus dixerat: *talium est regnum coelorum*, atque Jesu Christo docente: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum coelorum.* Irenaeus, qui vergente saeculo primo natus, altero Ecclesiae saeculo floruit, et Sancti Polycarpi, qui Apostolum Joannem audivit, discipulus fuit, peccati originalis doctrinam exponens illud nonnisi per Baptismum deleri docet, eoque adultos aeque ac infantes indigere, ut ab ea originaria labe abluantur, apertissime tradit Lib. II adversus haereses Cap. 39. Origenes qui tertio ineunte saeculo floruit, in hanc rem testimonia adeo sunt multa, et aperta, ut nihil sane desiderari possit luculentius. Illud heic advertendum duco, Origenem nimirum non modo ita loqui de Paedobaptismo, ut sua aetate illum in Ecclesia viguisse significet, verum etiam illius originem ab ipsa divina institutione repetere. Ait enim in Caput sextum Epistolae ad Romanos Lib. V Caput 6 *Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dare. Sciebant enim illi, quibus mysteriorum decreta commissa sunt, quia essent in o-*

mnibus genuinae sordes peccati, quae per aquam et Spiritum ablui deberent. Cyprianus, et quae sub ipso Carthaginiensis Synodus habita est, omnino pro Paedobaptismo dimicarunt. Cum enim nonnulli ex circumcisionis lege octavo die baptismum conferendum esse docerent, tum ipse, tum reliqui Synodi Patres Ecclesiae consuetudinem secuti, eam opinionem improbarunt. Ex quo sane patet, veluti novam rejectam fuisse eorum sententiam, qui parvulos definito quodam tempore ad baptismum admitti arbitrabantur.

II. S. Joannes Chrysostomus *Homilia ad Neophytos: Hac de causa*, inquit, *etiam infantulos baptizamus, ut non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, haereditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint omnes, ut Spiritus habitatio fiat.* Ex S. Hieronymo idem colligere licet, Epistola ad Laetam, ubi eos sceleris arguit, qui Christianorum infantibus Baptisma recusaverint. Et in fine Libri tertii contra Pelagianos, adducto Cypriani testimonio ex Epistola ad Fidem, concludit *baptizandos esse infantes, non solum in Regnum Caelorum,* ut asserebant Pelagiani, *sed etiam in remissionem peccatorum,* videlicet peccati originalis. Quamobrem jure quodam suo parvulos baptizandi morem *antiquam Fidei regulam* appellat Augustinus *Serm.* CLXXIV. Quod quidem adeo verum est, ut ipsi Pelagiani, quibus originale peccatum eliminare placuit, constantem ac manifestam hujusmodi traditionem diffiteri ausi non sint. Insuper ab antiquissimis temporibus infantes citra vitae periculum baptizatos fuisse, adstruunt etiam christianae Inscriptiones. Achilliam Neophytam unius anni mensium V invenias in Muratorii Thesauro p. 1819. In Museo Veronensi p. 180 Q. VIMINATIVM NEOFITUM offendimus qui vixit anni P. M. V. seu plus minus quinque. Confer Victorium, *in nummo aereo veterum christianorum part.* II Cap. 17; et Fabrettum, *Inscriptiones domesticae* Cap. VIII n. 70.

CAPUT IV.

DE TEMPORE, LOCO ET DIVERSA RATIONE CONFERENDI BAPTISMA, ET DE PATRINIS

I. Potissimi administrando Baptismati olim in Ecclesia indicti dies pervigilium Paschae et Pentecostes, fuerunt: quae quidem constans est et indubitata apud eruditos sententia, quam infinitis prope veterum Scriptorum testimoniis comprobare possemus. Insignis est hanc in rem Tertulliani locus in Libro: *de Baptismo* Cap. 19, cujus suffragio nihil certius aut antiquius proferri potest. *Diem*, inquit, *Baptismo sollemniorem Pascha praestat.... Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est.* Eadem tempora designat S. Hieronymus ad Pammachium scribens adversus Johannem Jerosolymitanum, et Fortunatus in Libro tertio Carmine septimo, ubi agit de solemnitate Paschali. Idem decernunt etiam plures Summi Pontifices, maxime vero Siricius Papa, Leo Magnus et Gelasius Epistola 9 ad universos Episcopos. Idem patet etiam ex hortatione quae fiebat olim ab Episcopo ad ordinandos, quam ex Codice Thuaneo qui servabatur in Bibliotheca Colbertina, vulgavit Johannes Morinus, et ex Synodica Ratherii Veronensis Episcopi, Spicilegii Tom. II, edita. Paschae Pentecostesque diebus Graeci tertium Epiphaniae festum addiderunt, qui in memoriam dati hac die a Joanne Christo baptismatis solemnem hoc in festo baptismum omni tempore celebrarunt, ut patet non solum ex eorum Euchologio, sed etiam ex Gregorio Nysseno, qui hac die orationem de Baptismate dixit ad baptizandos.

II. Neque vero singularis fuit Orientalibus in Epiphania baptizandi consuetudo. Ea siquidem viguit etiam in Africa, ut constat ex Victoris Vitensis Libro secundo de *Persecutione Vandalica.* Fuere enim quaedam Ecclesiae, quae alios, praeter memoratos, festos dies Baptismi administrationi addicebant. In Galliis quinque potissimum in anno dies ad solemnem Baptismi celebrationem designatos reperio apud auctores: Natalem Domini, Epiphaniam, Pascha, Pentecosten et Festum

S. Johannis Baptistae. Dominicae Nativitatis Festum diem Baptismo conferendo destinatum fuisse apud Anglicanam Ecclesiam, testis est S. Gregorius Magnus, qui Epistola XXX Lib. VII eo die mille homines ab Anglorum Apostolo Augustino baptizatos fuisse narrat. In quibusdam Hispanicis Ecclesiis accesserunt etiam festi dies Apostolorum et Martyrum, teste Siricio Papa *Epistola ad Himerium*. Vetus disciplina de solemnis Baptismi tempore apud Graecos defecit, sed quo tempore incertum. Apud Occidentales autem Baptismus parvulis et adultis extra vitae periculum constitutis datus est in pervigilio Paschatis et Pentecostes ad exitum usque saeculi XI, uti scite animadvertit Coustantius. Rituales omnes Libri saeculo XIII et XIV exarati, altum de veteri illo more silentium faciunt.

III. Primis Ecclesiae temporibus quibus nulla erat Christianismi profitendi libertas, Baptismus quovis loco celebratus est, in stagnis, fluminibus, carceribus, privatis aedibus, antris, caemeteriis. Apostoli ubivis locorum baptizarunt: ut sub dio, in via, in domibus, in carcere. Credentes in fluminibus et stagnis baptizatos, prodit Tertullianus *de Baptismo* Cap. primo. Martyres in carcere Baptismum accepisse, narrat Eusebius Lib. VI *Historiae Ecclesiasticae*, Capite quinto. Clinicos in lectulo perfundi consuevisse, monstrat Cyprianus *Epistola ad Magnum*. Multos in memoriam Salvatoris in Jordane baptizari concupivisse, testatur Hieronymus *Libro de locis Hebraicis*. Reddita autem postmodum per Constantinum Imperatorem Ecclesiae pace, coeperunt passim construi aedes publicae, ad unum baptismatis ministerium designatae quae quidem loca ad dandum Baptismum destinata, dicta sunt *Baptisteria*.

IV. A prima usque Ecciesiae aetate per multa prorsus saecula Baptismum per immersionem ut plurimum collatum fuisse, veterum testimonia aperte docent. S. Cyrillus Jerosolymitanus, Catechesi Mystagogica secunda ad baptizatos, ubi mysticam rituum Baptismi significationem exponit, ait baptizandos primo toto corpore nudari, deinde oleo exorcizato a summis capillis ad plantam usque pedis ungi, tum ad sanctum lavacrum duci, ac ter in aqua mergi. S. Joannes Chrysostomus

Homilia sexta in Epistola ad Colossenses, ait nos depositis vestimentis, nudos in aquis Baptismi descendere. *Hic nuditas*, inquit, *et illic nuditas. Sed illic quidem cum peccasset nudatus fuit, quoniam peccavit; hic autem nudatur ut liberetur*. S. Cyprianus Epistola 76, quaerenti Magno an valeret Baptismus per aspersionem vel infusionem datus, respondet valere necessitate premente: quo certe insinuat, in usu et praxi communi per immersionem solitum fuisse conferri Baptismum; qui usus adeo constans et universalis fuit, ut Magno dederit occasionem sciscitandi an alio modo datus Baptismus ratus esset. Ambrosius Lib. II *de Sacramentis* Cap. VII, sepulturae imaginem in immersione deprehendit: *mersisti, hoc est sepultus est.* Idem comprobant antiquiores Rituales Libri. Idem plane testantur qui de divinis Officiis scripsere apud Latinos, Alcuinus, Amalarius, Walafridus Strabo, qui nono floruere Ecclesiae saeculo: idem Auxilius in Praefatione secundi libri de validitate Ordinum quos dederat Formosus Papa: idem et Fulbertus Carnotensis, qui floruit undecimo saeculo, Epistola prima ad Adeodatum. Isthaec immersio ex universali consuetudine ter fiebat. Cujus quidem innumeros tum Graecos tum Latinos Patres testes habemus, qui etiam trinae hujusce immersionis rationem rimati, tum triduanam Christi sepulturam, tum Sanctissimam Trinitatem, in cujus nomine Baptisma confertur, in eo numero adumbrari atque exprimi docent. Tertullianus *de Corona Militis* Cap. 3. *Dehinc ter mergitamur:* et contra Praxeam Cap. 26. *Nec semel, sed ter ad singula nomina in personas singulas tingimur*. Tres item mersiones commemorant alii Patres, Ambrosius, *Lib.* II *de Sacramentis* Cap. VII num. 20; Hieronymus, *adversus Luciferianos*, et in Capite 4 *Epistolae ad Ephesios;* Leo Magnus, *Epistola ad Episcopos per Siciliam constitutos*. Nec tantum Patres id innuunt, verum etiam, ut paulo ante innuimus hujus trinae mersionis significationem explanant. Haec autem triplicis immersionis consuetudo ex apostolica traditione profluxit, auctoribus Tertulliano, Basilio, Hieronymo aliisque.

V. Jam vero in hujusmodi Baptismo per immersionem multa olim servabantur: 1.° Catechumeni corpus

omnino denudabatur. Ambrosius *Serm.* XX ad revocandos Christianorum animos a divitiarum amore, haec ait: *Nudi in saeculo nascimur, nudi etiam accedimus ad lavacrum; ut nudi quoque et expediti ad coeli januam properemus.* Quin et in ista corporis nuditate mysticum quoddam symbolum intuebantur. Ejusdem ritus symbolicam significationem praeter alios aperit Cyrillus Hierosolymitanus. Adeo lex isthaec generalis erat, ut ne infantes quidem, aut mulieres ab ea exciperentur. Et infantes quidem, nulla corporis mollitiei ratione habita, nudos omnino in aquas immersos fuisse patet tum ex S. Gregorii Sacramentario et ex Ordine Romano, tum etiam, quod ad Graecos spectat, ex Athanasio, qui *de Parab.* XCIV trinae immersionis rationem explicans, ait: *Nam quod infantem ter in piscinam immergimus et ter educimus; id mortem Christi, et post triduum Resurrectionem significat.* Interea vero mulierum pudori multis modis consulebatur ab Ecclesia. Nam in plerisque Ecclesiis suum erat viris, suum feminis Baptisterium: ita hoc nimirum dispertitum erat, ut tum illi tum istae proprium separatum haberent locum: unde S. Cyrillus Jerosolymitanus praefatione in Catecheses; *Reverentiam*, inquit, *adhibe, cum fit exorcismus, quo usque alii exorcizati aderunt, viri cum viris, et mulieres cum mulieribus.* Alia hora viri, et alia mulieres baptizabantur, sicut indicat Ordo Romanus Cap. de *Sabbato Sancto.* Insuper feminis auxilio aderant Diaconissae, a quibus vestibus exutae, Episcopo aut Presbytero baptizanti offerebantur, ita quidem ut eas non tam videret quam audieret. Denique, post trinam immersionem ac SS. Trinitatis invocationem, baptizatus e sacro fonte exibat et suscipiebatur, si mulier, a Diaconissis; si vir, aliquando a susceptoribus seu patrino, aliquando a Diaconis qui e sacro fonte egredientes grandiori quodam velamine obvolvebant.

VI. Licet autem immersionis ritus antiquae consuetudinis esset, certis tamen quibusdam de causis omittebatur, effusione adhibita: 1.° enim si quis aegrotaret atque in extremo vitae periculo versaretur, nulla adhiberi consuevit immersio, si baptismus ei conferendus fuisset, sed duntaxat aqua perfundebatur. Praeterea si,

necessitate urgente, tanta non esset aquae copia, quanta ad immersionem opus erat, perfusio vel aspersio usurpari consuevit; quod quidem in difficilibus rei christianae temporibus plerumque accidebat. De Baptismo per infusionem dato profert illustria exempla Martene ex vita S. Laurentii, quem baptizasse Romanum militem aqua ex urceo effusa referunt Acta Martyrii, commonstratque vetus pictura etiam nunc in Basilica S. Laurentii in Agro Verano, ubi S. Romanus conspicitur sacrum suscipiens a Laurentio lavacrum. Addit vir eruditus Acta S. Gratiliani, S. Bacchi Junioris, et Sancti Luidgeri Episcopi, in quibus Baptismum infusione collatum ipsa Sanctorum gesta confirmant. Quonam vero potissimum tempore effusionis ritus in solemni Baptismi administratione, nulla necessitate urgente, obtinere coeperit, arduum est definire. Eruditissimus P. Martene primam hujusce inductae consuetudinis mentionem injectam deprehendit in Concilio quodam Ravennatensi an. 1311 ubi Ministri arbitrio committitur, ut immersionis aut effusionis ritum usurpet. Et sane nonnisi sub hoc tempus aspersionis vel effusionis in Baptismo consuetudinem obtinere coepisse patet, tum quia de hoc ritu altum silentium est apud Magistrum Sententiarum, qui anno 1164 supremum diem obiit; tum etiam quia Divus Thomas, qui adulto saeculo XIII ad superos evolavit, immersionis usum communem appellat; tum vero tandem quia Rituales Libri ab ea aetate editi effusionem plerumque praescribunt.

VII. In Baptismo *Patrini* seu *compatres* adhibentur. Hi olim dicti *Susceptores*, quod susciperent mergentes: et *Sponsores* et *Fideiussores*, quod pro iis quos Baptismo offerebant, suam interponerent fidem; itemque *Offerentes*, *Patres Spirituales*, *et Compatres*. Horum institutio ad ipsa fere Ecclesiae incunabula referenda est, utpote hujus meminere Tertullianus, Lib. *de Baptismo* Cap. 18; S. Basilius, *Epistola* 128; et S. Augustinus multis in locis, ut alios interim plures omittam. Tria sponsorum genera Baptismo olim adfuisse legimus; alii infantium Baptismo aderant; alii iis adultis praesto erant qui morbi alicujus causa respondere non poterant; alii tandem adultos omnes generatim comitabantur. Et quod

ad primos attinet, duae ipsorum muneris partes erant: Primo infantium nomine ad omnes interrogationes in Baptismo respondebant. Innuit id Cyrillus Alexandrinus in *Cap.* XII *Joannis: Cum natus infans baptizatur, susceptor pro eo amen dicit.* Secundo Sponsorum proprium erat, ut eorum, quos in Baptismo susceperant, mores inspicerent, eos ad Christianae Religionis officia informarent, et ad ea quae in foedere cum Deo inito promiserunt, implenda excitarent. Omnibus indiscriminatim adultis, cum ad Baptismum admittebantur, Sponsores adjunctos semper in Ecclesia fuisse constat ex veterum constanti testimonio. Tradunt id enim Constitutiones Apostolicae, Auctor *Ecclesiasticae Hierarchiae*, Augustinus aliique. Ejusmodi autem Sponsores non ea ratione adhibebantur, ut pro baptizandis responderent: sed ipsorum curae concreditum erat, ut tum ante, tum post Baptismum eos quos offerebant, instituerent, et bonis moribus informarent. Hanc porro sponsionem plerumque Diaconi pro viris, Diaconissae vel Sacrae Virgines pro mulieribus subibant. De Sponsorum numero non idem semper observatum comperimus. Eorum quidem pluralitas exclusa videtur a Constitutionibus Apostolicis, cum virum a Diacono, mulierem a Diaconissa suscipi jubeant. Et in Concilio Metensi ann. 888 can. IV *Infantem nequaquam duo, vel plures; sed unus a fonte Baptismatis suscipiat.* Verum saeculo XII et sequentibus plurium Sponsorum consuetudinem invectam esse constat. In Conciliis enim Eboracensi et Coloniensi statutum legimus, ut puerum duo viri et una mulier, puellam vero duae mulieres et unus vir in Baptismo suscipiant: quem sane morem constanter servatum fuisse saeculo XV et XVI, quarumdam Galliae Ecclesiarum baptizatorum catalogis colligit eruditus Chardonius in opere cui titulus: *Histoire des Sacremens.* Jam vero Sponsoris vices agere non omnibus olim permissum. Cathecumeni enim, energumeni, haeretici et poenitentes prohibebantur, quin alios in Baptismo susciperent. Sequioribus aetatibus plures alii a Sponsorum officio exclusi.

CAPUT V.

DE BAPTISMI CAEREMONIIS.

I. Quamquam non eo ordine, quo in Rituali Romano praescripti sunt ritus Baptismi, in omnibus olim Ecclesiis adhiberentur, omnes tamen, imo et alii complures, adamussim observabantur. Haud dubium est, quin juxta antiquum morem, peracta diaboli renuntiatione et corporis inunctione, sequeretur statim interrogatio de Fide ejusdemque professio. Esse antiquum praeterea ritum, ut hujusmodi instructio a Sacerdote baptizante fieret stante in limine Ecclesiae, baptizando extra limen manente, docent nos manuscripti Libri Pontificales apud eruditissimum P. Martene. Ritum insuper exsufflandi leniter in faciem infantis praescriptum, esse antiquissimum docent SS. Patres passim tum Latini, tum Graeci. Huc spectat quod S. Augustinus scribit Lib. I *De Symbolo ad Catechumenos*, Capite V ubi haec habet: *Sicuti vidistis hodie, sicut nostis, et parvuli exsufflantur, et exorcizantur, ut pellatur ab eis potestas iniqua, quae decepit hominem.* Docet similia in Epistola 105 ad Sixtum, nunc 194, de peccato Originali Cap. 40. Sed ut alios omittam, audiamus S. Cyrillum Hierosolymitanum, qui de hac re ita scribit in Catechesi Mystagogica: *Insufflationes Sanctorum, et nominis Dei invocatio, tanquam vehementissima quaedam flamma urit daemones, et in fugam convertit.* Communiter quidem fiebat ipsa exufflatio ab eo, qui conferebat Baptismum, ab Episcopo scilicet, vel Presbytero; sed negari tamen non potest, quin aliquando a Diaconis fieret, ut patet ex actione I Concilii II Constantinopolitani, aliquando etiam ab Exorcistis, ut habet Joannes Belethus in sua *Divinorum Officiorum explicatione, Cap. XC*, aut a simplicibus Clericis, sive Acolythis, uti addiscere licet ex Gennadio in Libro: *De Ecclesiasticis Dogmatibus*, Cap. XXXI. Atque hic illud etiam nota, ritum scilicet exufflationis, et exorcismorum in Baptismo, jam olim in universo mundo ab Ecclesia sancta uniformiter peragi consuevisse. Et certe eumdem in Ecclesia Orientali u-

sum observatum fuisse, patet ex Concilio Generali Constantinopolitano I Canone VII. Plura autem de exsufflationibus, et exorcismis, eorumque formulis tradit S. Severus Patriarcha Alexandrinus in Libro: *de Ritibus Baptismi* et alii plures tum Graeci, tum Latini Patres, ac sacrae Synodi. Iuxta antiquum ritum, post exufflationem dabat Sacerdos baptizando pacem cum osculo, dicens: *Pax tibi.* Ista insufflatio non solum daemonis contempti et irriti depulsionem et fugam significat, verum etiam accessum vel illapsum Spiritus Sancti qui ubi vult spirat, et per aquam baptizandum mox regeneraturus est, eique communicaturus est novam vitam, vitam gratiae.

II. Signum Crucis baptizandis imprimi, antiquissimi est instituti, cujus non uno in loco meminit inter alios Patres S. Augustinus, praesertim vero Libro II *De Symbolo ad Catechumenos*, Capite I. Plura de Crucis signo in Baptismo docent laudatus Augustinus variis in locis, S. Joannes Chrysostomus, in *Oratione, Quod Christus sit Deus;* S. Hieronymus, in *Epistola ad Heliodorum;* S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi* IV; et alii plures. Jam vero quod spectat ad partes Cruce signandas, non una fuit Ecclesiarum omnium consuetudo. In Rituali Ambrosiano et in Laudunensi manuscripto unica dumtaxat consignatio designatur in fronte. In antiqua Liturgia Gallicana, duplex, *in fronte et in corde.* Fiebat autem potissimum olim signum ipsum Crucis in fronte baptizandi, teste Augustino in Psalmum XXX. Varias orationes antiquitus super baptizandum dici a Sacerdote solebant, dum illi signum Crucis faceret. Oratio *Preces nostras* etc. quae in Rituali Romano legitur, nonnullis mutatis descripta est in duobus manuscriptis Libris Sacramentorum insignis Ecclesiae Turonensis, annorum circiter MC, et in manuscripto Pontificali S. Luciani Bellovacensis annorum DCCC, et in aliis Libris Pontificalibus. Imprimitur signum Crucis in fronte, ut intelligat Christianus se non debere erubescere Evangelium, nec cetera ad vitam Christianam pertinentia, utpote qui Crucem, quam Judaei ut ingens opprobrium horruerunt, et Gentes ut stultitiam habuerunt, prae se ferat non in occulta quadam corporis

parte, sed in fronte nimirum, quae pudoris sedes est. Illud ipsum Crucis signum imprimitur in pectore, ut Crucem Christianus perquirat, adamet et in ea conquiescat. Nam cor sedes est desideriorum.

III. Antiquissimus aeque est ritus ingerendi salem in os baptizandorum, cum de illo, tanquam de caeremonia aetate majorum recepta, sermonem instituant Ordo Romanus, Amalarius Fortunatus, Walafridus Strabo, aliique omnes veterum rituum illustratores. S. Augustinus in primo Confess. Cap. XI num. 17 ait: *Signabar jam signo Crucis, et condiebar ejus sale.* Ad hunc ritum allusisse videtur Origenes Homilia VI in Ezechielem, ubi Catechumenos alloquitur hortaturque, ut se praeparent ad hoc, ut fiant sal Domini, et non baptizentur, quemadmodum Simon ille magus. Isidorus, Lib. II de *Officiis* Cap. 20; Ivo Carnotensis, *in Sermone de Neophytis*; et Hugo Victorinus, Lib. I *de Sacramentis Cap.* 18; non tantum meminerunt hujusce ritus, verum etiam hanc ejusdem rationem protulerunt: *Sal propterea Catechumenis datur in mysterio, ut nos sal terrae, idest, Dei sapientiam noscamus.* Ejus benedictio extat in Sacramentario S. Gregorii Papae et in Ordine Romano VII. Sal benedictum baptizando gustandum porrigitur, *ut per sal typicum sapientiae sale conditus, foetore careat iniquitatis; et nec a vermibus peccatorum putrefiat, sed magis illaesus servetur ad majorem gratiam percipiendam.* Verba sunt Rabani Mauri, Lib. I *de Institutione Clericorum* Cap. XXVII.

IV. Crucis signum jam non semel fieri solitum fuit baptizandis, ut plane constat ex variis pervetustis Ritualibus Libris, longo agmine ab Edmundo Martene allatis; ex quibus etiam docemur, post immissum sal in os infantis, et recitatas post salis immissionem Orationes, signum Crucis in fronte ejusdem infantis fieri consuevisse a Sacerdote, dicente hanc Orationem: *Deus Abraham, Deus Jacob*, etc. Iuxta Romanum Ordinem VII in quo ritus Baptismi infantium refertur, varia a variis, qui Baptismo assistebant, in eorum frontibus Crucis signa peragebantur. Expleta Oratione, *Aeternam, ac justissimam pietatem*, accipiebat Sacerdos manum dextram infantis, tenensque eam dicebat, *Pater noster, Credo*

in Deum, Symbolum scilicet Apostolorum, sive *Credo in unum Deum* etc. quod est Nicaeni Concilii Symbolum, et signabat deinde ipsum infantem, dicens: *Benedictio Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti veniat super te, et ad vitam perducat aeternam*. Restat, ut et de Dominica Oratione nonnihil dicamus, quod et ipsa una cum Symbolo in Baptismo infantium a Sacerdote et Susceptoribus conjuctim recitari solita fuit ex Ritualium praescripto. Rationem ejus ritus docet nos plane manuscriptus Codex insignis Ecclesiae Viennensis in Gallia apud Martene Lib. I Capite I Articulo XII Ordine IV, et pervetustus Romanus Ordo VII apud Mabillonium Tomo II *Musaei Italici*: quia scilicet *haec nos Oratio commendat Christo, reconciliat Deo, Angelorum inserit numero, ut Christi faciat esse fratres, et Dei constituat haeredes*.

V. De Exorcismis invicta produci possunt veterum testimonia. Praeter Catechumenos adultos, de quibus legi poterunt Martenius, Lib. I art. 6 num. 8; Vicecomes, Lib. II Cap. 19; in omnibus baptizandis, etiam parvulis, adhiberi exorcismos tradiderunt eximii Patres Ecclesiae. S. Isidorus Hispalensis Episcopus Lib. II *De Officiis Ecclesiasticis*, Cap. XX ita de ea re loquitur: *Sermo increpationis est contra immundum spiritum, in Energumenis, sive Catechumenis factus; per quem ab illis diaboli nequissima virtus, et inveterata malitia, vel violenta incursio expulsa fugetur*. Ad hoc ipsum autem potissimum alludit Magnus Senonensis Archiepiscopus in Libello: *de Mysterio Baptismatis*, jussu Caroli Magni edito, ubi sic inter alia inquit: *Exorcismus graece, latine vero conjuratio, sive sermo conjurationis, est contra diabolum; ideoque exorcizatur unusquisque veniens ad sacrum baptismum, ut Dei vivi templum efficiatur; qui effectus erat templum diaboli per originale peccatum*.

VI. Inter ritus qui Baptismum praecedunt, est salivae tactus in nares et aures, cujus mentionem faciunt passim antiqui Sacramentorum Libri ac pervetusti Ecclesiae Patres. Hujus ritus meminit S. Ambrosius Libro I *de his qui Mysteriis initiantur*, Cap. I: *Aperite igitur aures*, inquit, *et bonum odorem vitae aeternae*

inhalatum vobis munere Sacramentorum carpite, quod vobis signavimus, cum apertionis celebrantes Mysterium diceremus, Ephpheta, quod est, Adaperire. Hoc Mysterium celebravit Christus in Evangelio, sicut legimus, cum mutum curaret et surdum. Et S. Petrus Chrysologus Sermone LII *Hinc est,* ait, *quod veniens ex gentibus, impositione manus, et exorcismis ante a daemone purgatur, et aperitionem aurium percipit, ut Fidei capere possit auditum, ut possit ad salutem, prosequente Domino, pervenire.* Nam aperitionem aurium percipere, et tangi saliva in aures praesenti hoc in negotio idem sonant; ut observat Martene Lib. I Articulo VI num. XVI. Porro ad exemplum Christi, in quibusdam Ecclesiis, una cum sputo adhibebatur etiam lutum, ut patet ex Manuali Joannis Jacobi Archiepiscopi Salisburgensis, et ex Auctore Tractatus: *De Sacramentis* Lib. III Cap. 2 his verbis: *Quando dedisti nomen tuum, tulit lutum, et liniit super oculos tuos.* Idem docent Haymo Alberstadensis in *Sermone de Dominica* XIII post Pentecosten, et Leidradus Episcopus Lugdunensis in Tractatu: *de Baptismo*, Cap. II. Sed omisso hoc Ecclesiarum peculiarium ritu, probatur magis magisque ritus in Rituali Romano praescriptus ex innumeris pene Ritualibus antiquis recentibusque, praesertim vero ex Libro Sacramentorum Gelasii Papae, ex Sacramentario S. Gregorii Papae, ex manuscripto codice Bibliothecae Colbertinae, et ex aliis multis Ritualibus, atque Pontificalibus codicibus apud Martene Articulo XXIII. Mysticae utriusque ritus significationes, cur nempe aures naresque baptizandi saliva Sacerdotis tangantur, variae a Scriptoribus afferuntur, inter quos Rabanus Maurus dicit: Saliva Sacerdotis et tactu significari virtutem divinam per Baptismum operari, ut Catechumeno nares aperiantur ad accipiendum odorem notitiae Dei: aures ad audiendum mandata Dei. Longum esset alias mysticas hujus antiquissimi instituti causas, et rationes afferre, quas videre licet apud Alcuinum, Theodulphum Aurelianensem, Hugonem Victorinum, Durandum et alios plures, qui de sacris Ecclesiae Ritibus tractarunt.

VII. Quam antiquus sit abrenunciationis in Baptismo ritus, docent nos Ecclesiae Patres et Rituales Libri.

Meminit ejus ritus non uno in loco Tertullianus et quidem in Libro: *De Corona Militis*, Cap. III his verbis: *Aquam adituri, ibidem, sed et aliquando prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare Diabolo, et pompae, et angelis ejus.* Ea itaque abrenunciatio vel a nascente Christiana Religione coram multis testibus fieri solita erat, triplicique hoc modo exprimebatur: *Abrenuncias Satanae? R. Abrenuntio. Et omnibus operibus ejus? R. Abrenuntio Et omnibus pompis ejus? R. Abrenuntio.* Atque haec abrenunciationis formula in omnibus passim Ritualibus antiquis aeque ac recentibus reperitur, ejusque inter alios priscos auctores meminit etiam Beda in Cap. VIII Tobiae. Haec porro abrenunciatio a Catechumenis stantibus et versis ad Occidentem emittebatur; cujus quidem moris meminere Ambrosius, Hieronymus, aliique; ejusque rationem reddens exterioris caeremoniae explicationem tradit S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catech. Mystag. I: Solis occasus cum apparentium tenebrarum sit locus; diabolus autem cum sit tenebrae, robur in illis suum habet; idcirco symbolice occasum spectantes, caliginoso illi tenebrarum principi renuntiatis.*

VIII. De oleo Catechumenorum, quo baptizandi in pectore: et inter scapulas liniuntur, praeter Isidorum, Magnum Senonensem, quos omnes laudavit Martenius Lib. I art. 6 num. 15 haec vetustiora monumenta adinvenio. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* Mystag. II scribit: *Deinde vero jam exuti, exorcizato oleo peruncti estis.* Ambrosius Lib. I *de Sacramentis* Cap. 2 num. 4. *Occurrit,* inquit, *tibi levita, occurrit presbyter: unctus es quasi athleta Christi, quasi luctam hujus saeculi luctaturus.* Augustinus adhiberi oleum visibile in signum invisibilis unctionis, scribit in Psalmum XLIV num. 19. Quamquam vero ex antiquis multis Ritualibus Libris, ipsa inunctio fiat *in pectore, et inter scapulas* a Sacerdote dicente: *Ego te linio Oleo salutis* etc.; ex antiquo tamen Sacramentario Gallicano, non modo pectus, sed et nares et aures inungebantur, aliaque formula verborum adhibebatur. Porro factam ipsam unctionem fuisse aliquando in pectore; et inter scapulas in nomine Sanctissimae Trinitatis, docet nos Sacra-

mentarium S. Gregorii Papae. Hujus ritus explicationem affert Rabanus Maurus Lib. I *de Institutione Clericorum* Cap. 27. *Ungitur* inquit, *siquidem baptizandus in pectore, ne lateant in eo ullae inimici reliquiae, atque inter scapulas, ut undique muniatur, et ad bona opera facienda per Dei gratiam roboretur*. De eodem ritu sic loquitur Innocentius III Cap. *Cum venisset*, *De sacra Unctione*, cujus haec sunt verba: *In pectore baptizandus inungitur, ut per Sancti Spiritus donum abjiciat errorem et ignorantiam, et suscipiat fidem rectam: quia Justus ex fide vivit. Inter scapulas, ut per Spiritus Sancti gratiam excutiat negligentiam et torporem, et bonam operationem exerceat: quia Fides sine operibus mortua est, ut per Fidei Sacramentum sit munditia cogitationum in pectore, et per operis exercitium sit fortitudo laborum in scapulis, quatenus Fides per dilectionem, secundum Apostolum, operetur*. Et Magnus Senonensis Archiepiscopus in Libello: *de Mysterio Baptismatis*, jussu Caroli Magni edito, sic inquit: *Ungitur vero pectus, ut signo Crucis Christi excludatur Satanae introitus, et paretur ingressus Christo Domino. Scapulae autem signantur, ut undique Templum Deo dicatum, ab omni Satanae impedimento muniatur.*

IX. De interrogatione circa Fidem ejusdemque professione, cujus ritus passim non modo antiqui Sacramentorum codices, sed et Sancti Patres mentionem faciunt. Insignis est eo de ritu locus in Epistola LXX S. Cypriani ad Januarium et ceteros Episcopos Numidiae, de baptizandis haereticis, ubi sic inquit: *Sed et ipsa interrogatio, quae fit in Baptismo, testis est veritatis. Nam cum dicimus: Credis in vitam aeternam, et remissionem peccatorum per Sanctam Ecclesiam? intelligimus remissionem peccatorum nonnisi in Ecclesia dari*. Varias hujuscemodi interrogationum, responsionumque de Fide formulas in Baptismi administratione, ex antiquis Sanctorum Martyrum Actis Librisque Ritualibus et Pontificalibus recenset Martene Lib. I *De antiquis Ecclesiae Ritibus, Cap. I Articulo XIII num. XIV*. Quamquam vero in omnibus Sacramentorum Libris praescripta reperiatur interrogatio de Fide, ejusque professio ante Baptismum, variant tamen non nihil,

uti addiscere liquet ex laudato Martene. Insuper esse et ritum antiquum illum, ut quemadmodum in Rituali Romano § XVI edicitur, Sacerdos interroget *expresso nomine baptizandum*, *Patrino respondente*, *N. Credis* etc. constat plane ex antiquo Sacramentario Gallicano, et ex aliis multis a Martene descriptis citato Articulo XVIII. Grassante aliqua haeresi, mos plane fuit, ut articuli Fidei pravis illius erroribus oppositi baptizandis specialiter proponerentur, ut addiscere licet ex Epistola Nicetii ad Justinianum Imperatorem apud Chesnium Tomo I *Historiae Francorum*. Insuper praedictam interrogationem eo praesertim fieri tempore consuevisse, cum jam baptizandi descendissent in Fontem, ut sacro lavacro abluerentur, constat plane ex Actis S. Genesii apud Ruinartium; itemque ex Actis S. Callixti Papae et Martyris, in quibus Palmatius de Fide interrogatus dicitur, cum jam descendisset in pelvim Constat idem ritus ex variis antiquissimis Sacramentorum Libris, ac praesertim ex illo Gelasii Papae a Cardinale Thomasio edito.

X. Frequens occurrit apud veteres Scriptores et in antiquis Sacramentorum codicibus mentio unctionis verticalis ex Chrismate a Presbytero factae in Baptismo, utpote quam ex vetusta traditione inter alios memorat commendatque Innocentius Papa I in Epistola sua ad Decentium Eugubinum Episcopum. Ejusdem verticalis unctionis, qua scilicet Sacerdos, summum baptizati verticem Chrismate perungit, meminere etiam S. Isidorus Hispalensis Episcopus, Lib. II *De Officiis Ecclesiasticis*, Cap. XXV et XXI; Venantius Fortunatus, Jesse Ambianensis, Leidradus Lugdunensis, Theodulphus Aurelianensis, aliique complures. Ejus institutionem S. Sylvestro Papae adscribere solent, ut scribit auctor Libri Pontificalis in vita ejusdem Sylvestri. *Hic*, inquit, *et hoc constituit, ut baptizatum liniat Presbyter chrismate levatum de aqua, propter occasionem transitus mortis*. Cui conjununt Amalarius, Libro I *De Ecclesiasticis Officiis* Cap. XXVII; Valafridus, *de Rebus Ecclesiasticis Cap.* XVI; Victorinus, *Libro II de Sacramentis*, Parte VII Cap. III; Rupertus Abbas Tuitiensis, Lib. V *De Divinis Officiis* Capite XVI; et alii.

Ex quibus merito infert Menardus in Notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii Papae, priscos scriptores Sylvestro antiquiores, ubi de unctione, seu Chrismate loquuti sunt, intelligendos esse de Confirmationis Sacramento; et quia Graeci carent verticali unctione in Baptismo, eorum Patres antiquos, quum de unctione Chrismatis agant, de illa quae fit in fronte ab Episcopo esse interpretandos. Circa hanc unctionem duo jam scitu digna adnotavit Martene Lib. I Cap. I Articulo XV num. III et IV. Primum est, non ab ipso Baptismatis Ministro, sed ab alio Presbytero peractam fuisse eam Chrismatis unctionem in baptizato. Ratio autem ejus ritus fuit, quod propter baptizandorum multitudinem unus et idem et tingendis, et liniendis omnibus satisfacere non possent. Alterum vero notatu dignum est illud, ex institutione S. Sylvestri eam Chrismatis unctionem ad solos Presbyteros, non vero ad Diaconos, spectare. Quicquid autem sit de hoc ritu, ex omnibus certe Sacramentorum Libris antiquis, Sacerdos qui baptizat, baptizati verticem, non frontem, Chrismate in modum Crucis inungit, dicitque interim eam verborum formulam, *Deus Omnipotens*, etc. in Rituali Romano descriptam, licet paucis immutatis. Haec sane constant ex veteri Missali Gallicano a Cardinale Thomasio edito. Hujus unctionis mysterium exponit Ivo Carnotensis Serm. IV scribens Christianos illitos in capite chrismate post baptismum esse, *ut charitas, quae per Spiritum Sanctum datur, semper abundet in corde secundum verbum illud Ecclesiastici* Cap. IX *Oleum de capite tuo non deficiat*. Innocentius III Cap. *Cum venisset de Sacra Unctione:* additque, Unctionem fieri in capite, *ut sit paratus omni petenti de fide reddere rationem.*

XI. Ritus induendi baptizatos albis vestibus innumeris pene comprobari posset exemplis, et veterum Patrum tum Latinorum, tum Graecorum testimoniis. Acta S. Genesii Martyris apud Ruinartium ita plane de eo ritu inquiunt: *Cumque Sacramentorum mysteria complessent, et indutus vestibus albis esset, veluti per ludum a militibus raptus.* Ambrosius Lib. II de Mysteriis Cap. VII: *Accepisti,* inquit, *post haec,* scilicet post Baptismum, *vestimenta candida, ut esset indicium, quod*

exueris involucrum peccatorum , indueris innocentiae casta velamina. Hujusmodi porro vestes per octo dies a neophytis gestabantur ; unde dies, qua illae deponebantur , *Dominicae in Albis* nomenclaturam accepisse existimatur. Vestes ipsae studiose in Ecclesia servabantur tanquam testimonium professionis in Baptismo factae. Albarum vestium symbolo Sancti Patres significari docent, tum resurrectionis gloriam ad quam per Baptismum nascimur, tum nitorem et pulchritudinem, qua deletis peccatorum maculis, anima in Baptismo ornatur , tum innocentiam et integritatem, quam baptizatus in omni vita servare debet. Affinis ritui imponendae candidae vestis baptizato , est ille quidem qui olim, alicubi saltem, obtinuit, redimendi scilicet sertis et coronis caput baptizati. Testes sunt ejus ritus antiquus Ordo Baptismi Severi Patriarchae Alexandrini aliiqui Rituales Libri.

XII. Ritum quoque esse antiquissimum in Ecclesia tum Latina tum Graeca, ut post vestem candidam baptizatis accensus cereus praeberetur , Latini Patres ac Graeci perspicue testantur. Ritum hunc describit Nazianzenus, ejusque rationem explicat *Orat.* XL *de Baptismo. Lampades, quas accendes, illius luminum figuram gerunt, cum quibus splendidis Fidei lampadibus Christo sponso obviam prodibimus.* Gregorius Turonensis Lib. V *Hist. Francorum* Cap. XI , cum plurium Hebraeorum, quos Avitus Episcopus Viennensis ad Christi Fidem adduxerat , Baptismum narrat , ingentis cereorum ardentium copiae meminit : *flagrabant cerei* , inquit, *lampades refulgebant, albicabat tota civitas grege candido.* Illud autem observatu est dignum, quod, uti notat Martene, eis extincti porrigebantur cerei sub finem Litaniae, quae post Baptismum decantabatur, tantum accendendi. Cujus quidem ritus testes sunt Amalarius et Alcuinus. Cerei ardentis traditio significatur baptizatos implere debere quod Christus in Evangelio jubet Matth. *Sic luceat lux vestra coram hominibus , ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est.* Significatur insuper quod Apostolus ait ad Ephesios Cap. V *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambu-*

late etc. Addit S. Carolus cereo ardenti significari tres virtutes Theologicas, quae in Baptismo infunduntur, fidem in lumine, caritatem in calore, spem in cerei recta altitudine, quae sursum ascendit; ut spes nostra ad coelos usque excitetur et erigatur.

XIII. His quae retulimus hactenus peractis, confirmabantur recens baptizati, ac sacrosanctis Corporis et Sanguinis Christi mysteriis reficiebantur, ut testantur Libri Rituales pene omnes. De Confirmatione statim post Baptismum conferenda sequenti capite commodior erit tractatio. De Eucharistia vero Neophytis impertienda, quid doceat antiqua Ecclesiae disciplina paucis investigandum est. Itaque datam olim fuisse Neophytis post Baptismum Eucharistiam, ex Graecis Patribus satis innuit S. Justinus in Apologia secunda, ubi scribit, celebrato Baptismo, divina mysteria Corporis et Sanguinis Christi confici, et omnes adstantes communicare. Clarius S. Joannes Chrysostomus in *Homilia ad Neophystos* ipsos sic eum ritum explicat: *Sicut mulier, affectionis natura agente, genitum alere sui lactis foecunditate festinat, sic et Christus, quos ipse regenerat, suo sanguine enutrit.* Et S. Cyprianus in Epistola LXIII ad Coecilium ita ejus ritus meminit: *Per Baptismum Spiritus Sanctus accipitur, et sic a baptizatis Spiritum Sanctum assequutis ad bibendum Calicem pervenitur.* Huc etiam referri potest quod scribit Liber Pontificalis de Innocentio I, illum scilicet fecisse Calices argenteos Baptismi numero tres, pensantes singulos libras duas. Neque vero existimandum esse primis dumtaxat saeculis eam in Ecclesia viguisse disciplinam, a qua postmodum deflexerit. Nam illius meminere Jesse Ambianensis, Leidradus Lugdunensis, Theodulfus Aurelianensis, Riculfus Suessionensis Episcopi, et alii plures saeculi noni Scriptores. Jam vero ut antiquus ritus luculentius explicetur, quaeritur, quo ritu olim pueri et infantes Communionem perciperent. Et quidem primis Ecclesiae saeculis Calicem ipsorum ori admotum fuisse constat. Extat insigne hujus ritus testimonium apud S. Cyprianum in Libro: *de Lapsis.* Verum alio ritu ac modo pueris tradendam esse Eucharistiam, docuit Hugo Victorinus Lib. I *de Sacramentis*, Cap. XX *Pueris*,

inquit, *recens natis idem Sacramentum in specie Sanguinis est ministrandum digito Sacerdotis, quia tales naturaliter sugere possunt*. Idem praescribit antiquum Pontificale Ecclesiae Apamiensis in Syria. Eumdem ritum in Oriente vigere tradit Abraham Ecchellensis in Notis ad Arabicos Canones Concilii Nicaeni, ubi de modo communicandi baptizatos infantes sic habet: *Sacerdos infantem communicaturus, digitum intingit Sanguine, et in os illius sugendum immittit*. Cum itaque recens baptizatis, vel ipsis infantibus Communio praeberi soleret, hinc merito cautum fuit a sacris Canonibus et a Ritualibus Libris, ut non modo a jejunis Ministris, sed etiam jejunis Baptismus conferri deberet.

XIV. Praeter sacram Corporis et Sanguinis Jesu Christi communionem, olim in Occidentali Ecclesia, lac et mel Neophytis porrigebatur. Testis est ejus ritus non uno in loco Tertullianus, praesertim vero in Libro: *De Corona Militis* Capite III, ubi de Baptismo agens, sic inquit: *Ter mergitamur, inde suscepti, lactis et mellis societatem praegustamus*. Fuisse hunc ritum aliarum Ecclesiarum, diserte docet S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos. Perseverasse in Occidente hunc ritum, usque ad medium saeculum nonum, docet nos Joannes Diaconus in Epistola ad Senarium. Insuper in antiquo Romano Ordine apud Hittorpium extat specialis benedictio lactis et mellis. Altera post baptismum die olim in Ecclesia Romana numerus baptizatorum Summo Pontifici denunciabatur, ut ex variis Romanis Ordinibus constat, ac praesertim ex Romano Ordine XI auctore Benedicto Canonico S. Petri. Baptizatis praeterea eodem die legi olim solitum fuit initium Evangelii S. Joannis, nempe *In principio erat Verbum*, ut ex eo caperent altitudinem divinae gratiae. Servari consuevisse eumdem ritum posterioribus saeculis, constat plane ex variis Ritualibus. Ut vero a creaturis et voluptatibus ita secreti, Creatori firmius adhaererent, per totam octavam quotidie summo quidem mane in Missa quae pro ipsis cantabatur, Corporis et Sanguinis Domini participes fiebant; id quod praescribitur in Ordine Romano aliisque Pontificalibus Libris. Per easdem octavas exhortatorius ad eos sermo quotidie habeba-

tur, ut probant quae adhuc supersunt ea de re Sanctorum Patrum paraeneses, maxime de Sacramentis, quorum mysteria eos hactenus latuerant propter Arcani disciplinam, de Fidei articulis, de Trinitatis et Incarnationis Mysteriis, quae minutatim eis exponebantur.

CAPUT IV.

DE BAPTISMO ADULTORUM ET DE ORDINE BAPTISMI ADULTORUM.

I. Certum est solum hominem (1) esse Baptismi subjectum; cum autem, vel infans, vel adultus esse possit, et de prioris Baptismo abunde dictum hactenus fuerit, merito nunc de Baptismo alterius agendum. Baptismum adultis nonnisi Catechumenis consuevisse olim conferri, vetustissima est Ecclesiae disciplina sicut et illa officii Catechistae, quo etsi Apostoli, eorumque successores Episcopi perfuncti antiquitus fuerint, nihilo tamen minus, quia variis utilioribusque curis soliti illi essent ad alia distrahi, ea semper invaluit in Ecclesia consuetudo, ut id muneris aliis committeretur. Provisum ergo illud hoc in negotio fuit, ut nonnisi viri pietate, ingenio ac doctrina praestantes deligerentur, quales Alexandriae extiterunt, Pantaenas, Clemens, Origenes, Heraclas, Dionysius, uti docet Eusebius Lib. V *Historiae Ecclesiasticae* Cap. X et Lib. VI Cap. III. Et certe cum eis non infrequenter res esset cum Philosophis aliisque profanae scientiae eruditis viris, non levem Ecclesia passura esset injuriam, si eorum argumentis subtilioribusque sophismatis respondere nequissent. Frequentius ad id muneris Diaconi deligebantur, ut colligere licet ex S. Augustino in Libro: *De Catechizandis rudibus*. Plerumque etiam a Presbyteris instruebantur gentiles baptizandi, uti docet vulgatus Dionysius in Libro: *De Ecclesiastica Hierarchia*. De loco faciendis catechesibus designato, illud in primis obser-

(1) Martene, *De antiquis Ecclesiae Ritibus*, Lib. I Cap. VI; Vicecomes, *De Baptismi Ritibus*, Lib. I Cap. X; Catalano, *ad Rituale Romanum*, Tit. II Cap. III et IV.

vare licet, Apostolos virosque Apostolicos non in aedibus, sed in Foro praesertim, et in plateis publicis solitos fuisse concionari: crescente vero in dies numero discipulorum Christi Domini, non quidem in Ecclesiis aut Oratoriis, sed in privatis aedibus, ad eos qui Ecclesiae accenseri cupiebant, catecheses habitae sunt. Non omnia tamen Religionis nostrae mysteria, nec ipsum quidem Symbolum Fidei illis exponebant, sed quaedam reservabant vel circa finem tyrocinii, vel post Baptismum. Nullum vero Sacramentum studiosius celabant, quam Eucharistiam.

II. Enarratis hucusque et Catechistae officio et loco in quo fieri Catecheses solebant, venio nunc ad Catechumenos, adultos scilicet homines illos, qui nondum baptizati Fidem Christianam ab Ecclesiae Pastoribus vel ministris docebantur. Tres in classes dispescuntur Catechumeni, nimirum in *Audientes, Genuflectentes sive Prostrati, et Competentes sive Electi. Audientes* ii dicebantur, quibus in Ecclesiam ingredi licebat ad sermones et sacras Scripturas, quae in priori Missae parte recitabantur, audiendas. Verum finito sermone sive homilia, cum ethnicis ab Ecclesia abibant, clamante Diacono; *ne quis audientium, ne quis infidelium. Genuflectentes sive Prostrati* ii erant, qui in Ecclesia post Episcopi sermonem persistentes, manuum impositionem cum propriis quibusdam precationibus in genua provoluti recipiebant. Tandem proximi ad Baptismum candidati *Competentes sive Electi* nuncupabantur: *Competentes* dicti, quod ab Episcopo publice in Ecclesia Baptisma petiissent; *Electi* vero, quod ab Episcopo, peracta ipsorum examinatione, eligerentur, ut Baptisma proxime futuris diebus festis reciperent (1).

III. Ritus instituendi Catechumenos apud veteres in impressione vivificae Crucis in frontem et manuum impositione cum oratione praesertim situs erat. His additi sunt exorcismi, i. e. insufflatio in faciem, sputi in nares, auresque tactus, pectoris et scapularum inunctio, quamvis his in rebus diversis in regionibus

(1) Vide opus nostrum cui titulus: *Antiquitatum Christianarum Institutiones*, V. I Lib. I Cap. LXX et seqq.

diversus teneretur usus. *Etsi omni aetati, omni vitae formae, hominibus baptisma conveniat;* ut loquitur S. Gregorius Nazianzenus *in Oratione de Baptismo*, antiquae tamen leges ecclesiasticae Catechumenos nonnisi diu multumque probatos sacrae regenerationis gratia donari permittebant. Synodus Illyberitana Canone XXI Catechumenos, si bonae fuerint conversationis, intra biennium admitti praecepit. Constitutiones Apostolicae terminum ad tres annos extendunt. Nullam certam regulam hac in re unquam Ecclesia habuit, sed diversa diversis temporibus invaluit consuetudo, habita praecipue progressionum ipsorum Catechumenorum ratione. Catechumeni, ut qui ad plenam Ecclesiae communionem nondum pertinebant, si in graviora quaedam crimina delapsi essent, non iisdem severis poenitentiae legibus subdebantur, quae flagitiosis fidelibus, ut satisfacerent pro peccatis, imponi consueverunt: hinc eorum poena plerunque erat vel de uno in alium Catechumenatus gradum relegatio, vel Baptismi prorogatio. Interea quibus ad Baptismum praeparabantur Christianae Religionis Candidati, locum tenebant *Scrutinia*. *Scrutiniorum* nomine vocabatur tota illa actio, quae certis Quadragesimae diebus super Catechumenis celebrabatur, totaque erat in precibus, exorcismis, traditione, redditione Symboli orationisque Dominicae. Dicta etiam fuerunt *Scrutinia*, eo quod tum scrutarentur corda credentium et dubitantium a Sacerdotibus, ut intelligerent quis ad Baptismum jam rite admitteretur, quis adhuc differretur. *Scrutinia* in Ecclesia Romana septem in Quadragesima celebrata fuisse, consentiunt quotquot de Ritibus Baptismi scripserunt auctores. Inter *Scrutinia* Symbolum Catechumenis tradebatur. Primis Ecclesiae temporibus traditum fuisse electis Catechumenis Apostolorum Symbolum docent eruditi. At postea Nicaena Fidei formula usa est Ecclesia ad VI usque saeculum. At tandem post Concilium Costantinopolitanum I novissimum hujus Concilii Symbolum nonnullae tum Latinorum, tum Graecorum Ecclesiae adhibuerunt. In tradendo porro Symbolo hic ordo servabatur. Praemisso brevi proloquio, Episcopus integrum Symbolum recitabat, tum illud per partes fusius exponebat. Peracto

tyrocinio, qui ex Catechumenis baptismatis gratiae participes esse cupiebant, hi aliquibus ante Pascha diebus tabulis ecclesiasticis inscribendum nomen suum dabant, ut videre est passim apud Sanctos Patres. Ex hac nominis inscriptione inferunt nonnulli, et quidem cum fundamento, nomina olim non in Baptismo, ut nunc fit, sed longe ante imposita fuisse.

IV. Priscae probataeque disciplinae Ecclesiae inhaesit haud dubio Rituale Romanum, ubi in hoc capite de Baptismo adultorum statuit, ut si quis adultus sit baptizandus, debeat prius secundum Apostolicam regulam in Christiana Fide ac sanctis moribus diligenter instrui, et per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, ejusque voluntas et propositum saepius explorari, et non nisi sciens et volens probeque instructus baptizari. Atque hic nota duas praecipuas dispositiones, in adultis requiruntur ad valide ac legitime suscipiendum Baptismum. Prima est consensus, qui non debet esse necessario actualis et expressus, sed sufficit virtualis. Secunda dispositio necessaria, est Fides et notitia principalium Mysteriorum Christianae Religionis, juxta id quod dicitur Marci Cap. ultimo : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Atque hinc est quod Rituale Romanum Sanctorum Patrum doctrinam et antiquam Ecclesiae praxim sequutus, recte statuit, ut adultus non nisi probe instructus, in Christiana scilicet Fide, ac sanctis moribus, debeat baptizari. Antiquissimus est in Ecclesia ritus, ut nempe tam Sacerdos qui adultos baptizat, quam ipsi adulti qui sani sunt, jejuni Baptismum suscipiant; ideoque non post epulas et prandia, sed ante meridiem eorum Baptisma celebretur. Inter alias dispositiones quae in adultis requiruntur ad legitime suscipiendum baptismum, est dolor peccatorum et propositum observandi legem Dei, uti constat ex illis Apostolorum Principis verbis Cap. II Actuum Apostolorum : *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in Nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum.* Ne temere ac cito conferatur adultis Baptismus, exteris praesertim ac vagis, inculcant passim sacrae Synodi ac Patres.

V. Quamquam legitimus Baptismi minister sit Parochus, vel alius Sacerdos a Parocho, vel ab Ordinario loci delegatus; deceret tamen quammaxime, ut ipse loci Ordinarius Baptismum adulto Catechumeno solemni ritu administraret. Porro sive Parochus sit, sive alius Sacerdos, qui adulto Baptismum administrat, ex praescripto Ritualis praeter Superpelliceum et Stolam, induit etiam Pluviale, ad indicandam scilicet majorem solemnitatem hujusmodi Baptismi, ob quam etiam multos adhibet Clericos superpelliceis pariter indutos. In Baptismo adultorum, uti observat Baruffaldus, divina gratia potissimum opus est ad excitanda illorum corda, ideoque varias preces, Psalmos orationesque praemittit Sacerdos. Antiphona *Effundam super vos aquam mundam etc.* desumpta est ex Capite XXXVI Ezechielis, et in nostro Rituali recte descripta, locus namque ille est, ad quem alludit Apostolus in Epistola ad Hebraeos, Cap. X his verbis: *Abluti cordis aqua munda;* et quo antiqui Ecclesiae Patres passim utuntur ad significandum Baptismum a Christo in aqua institutum. In Oratione *Da, quaesumus, Domine, Electo nostro*, notandum est, verbum ipsum *Electo* alludere ad antiquum illud Catechumenorum genus, Electorum dictum, qui, ut superius notavimus, absoluto Catechumenatus tempore, ad recipiendum sacrae regenerationis Sacramentum nomen dederant.

VI. Facta oratione; ac recitatis Psalmis et precibus tribusque Orationibus, Sacerdos cum suis Clericis procedit ad *fores Ecclesiae, et stat in limine*. Antiquus itaque, probatusque in Graeca et Latina Ecclesia est ritus, ut Catechesis fiat baptizando ante fores Ecclesiae manente. Antiquissimi sunt in Baptismi administratione Exorcismi, Exsufflationes, Insufflationes, qui quidem omnes in idem recidunt; eo enim tendunt, ut expellatur diabolus, et ingrediatur virtus Spiritus Sancti. S. Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus in sua *Catechesi Mystagogica* diserte docet, insufflationes Sacerdotum et nominis Dei invocationem, tamquam vehementissimam quandam flammam, urere daemones, atque in fugam eosdem convertere. Crucis signum in fronte, et in pectore Catechumeni baptizandi infigi a Sacerdote

ministrante Baptismum, ritus est et ipse antiquissimus: formula vero quae dicitur in ipsa Crucis signatione, non una est in omnibus Sacramentorum Libris, sed aliquantum diversa.

VII. Praeter Crucis signationem, quae in Baptismo infantium et adultorum fit primum in fronte et in pectore, ampliatur hic ritus in solo adultorum Baptismo, in quo plures alias signationes Rituale nostrum praescribit faciendas cum suis verbis singillatim super singulos, ubi plures adessent Catechumeni sacro lavacro abluendi. Mysticas tot signationum in variis corporis membris significationes addiscere plane ex earumdem formulis licet, atque ex Enchiridio Christianae Institutionis edito in Concilio Coloniensi anno MDXXXVI ubi sic habetur: *Deinde signum Crucis fit principio in fronte, ad significandum, quod baptizandus nomen dat Christo Crucifixo, in quo confidat, et quem pollicitus confiteri, numquam erubescat. Super oculos dein, ut intelligamus, baptizandum praeparari ad videndam claritatem Dei. Super aures quoque, ut intelligamus, eum consecrari, ut audiat verbum veritatis Dei. Super nares etiam, ut percipiat suavitatem odoris Dei. Signatur quoque pectus, ut credat in eo, quia corde creditur ad justitiam. Scapulae quoque, ut suscipiat jugum servitutis Dei, juxta Christi praeceptum: Tollite jugum meum super vos. Os denique, ut confiteatur illi, quia ore confessio fit ad salutem.*

In toto corpore benedicitur per signum Crucis, ut ita totus homo benedictus et paratus remaneat ad recipiendam gratiam sanctificantem Baptismi. Sed manu tamen non tangit Minister Catechumeni corpus, quia scilicet ista Crucis signatio fieri debet ante oculos baptizandi in tota sua extensione, ut eam quodammodo ante oculos habeat et intueatur. Quare dari Catechumenis sal consueverit, explicat Magnus Archiepiscopus Senonensis in Libello: *de Mysterio Baptismatis: Salem,* inquit, *accipiunt in Baptismatis Sacramento, ut gustu ejus percipiant sapientiae condimentum, neque desipiant a sapore Christi, et insulsi et fatui sint.*

VIII. Crebra Catechumeni genuflexio quam Rituale praescribit, in memoriam revocat antiquum illum Ca-

techumenorum gradum, seu classem, qui Genuflectentes dicebantur, quod in Templis genua flecterent, et super quibus genuflexis et manus pluries imponebantur, et orationes, atque exorcismi proferebantur. Ritus insuper, ut nimirum post acceptum sal, ter Catechumeni orent, ter signentur, ter Dominicam reddant Orationem, ter manus impositionem accipiant, et super ipsos exorcismi et orationes dicantur, in honorem scilicet Sanctissimae Trinitatis, cujus Divinae Personae saepe ac nominatim in ipsis orationibus et exorcismis invocantur, ad expellendum nempe diabolum, qui per originale peccatum adhuc Catechumenis dominatur; veteri quidem disciplinae concinit ac priscis Sacramentorum Libris. Vix Electus in Templum ingressus, procumbat, seu prosternat se in pavimento, et adoret, gratias scilicet Deo agens, quod dignus tandem effectus sit, ut Domum Dei ingrederetur: deinde surgit, et Sacerdos imponit manum super caput ejus, et Electus Catechumenus, scilicet mox baptizandus, cum eo recitat Symbolum Apostolorum et Orationem Dominicam. Constans quidem semper fuit haec in utraque Ecclesia disciplina, ut Baptismo initiandi memoriter discerent ac recitarent Symbolum Fidei, et Orationem Dominicam. Symbolum enim est cunctorum, quae dicimus necessaria justificationis media, credendorum compendium, ideoque ab omnibus sciri ac teneri debet ante Baptismum. Praeter Apostolicum Symbolum ac Dominicam Orationem, ex variorum Ritualium praescripto, memoriter discere ac etiam recitare Salutationem Angelicam, idest, *Ave Maria gratia plena* debent Baptismo initiandi, et si infantes fuerint, eorum Patrini ac Matrinae.

IX. Cum fuerit prope Fontem adultus, iterum Sacerdos eum interrogat: *Quis vocaris?* trinamque illam interrogationem subjungit: N. *Credis in Deum Patrem Omnipotentem?* etc. Atque haec quoque trina de Fide interrogatio est repetitio ejusdem interrogationis jam factae initio Catechismi. Quod quidem iterum factum puto, ut constantia Electi iterum exploretur, an in sua vocatione persistat. Unum illud hoc loco addiderim, quod praescribit Caeremoniale Ambrosianum, et San-

ctus Carolus de Baptismo adultorum, debere nempe genuflexum, qui baptizandus est, Fidem profiteri. Recte insuper hic iterum interrogatur, ut vere per reiteratos actus constet libera, ac prompta ejus voluntas suscipiendi Baptismum; atque ut Catechumenus per repetitionem sui consensus, meritum et gratiam majorem adipiscatur ex ingeminatis desiderii sui actibus. Absoluto Baptismate, Sacerdos summum baptizati verticem Chrismate inungit, et quidem ex pervetusto Ecclesia instituto. Mysticae ritus rationes, ungendi scilicet Chrismate verticem baptizati, jam variae a Patribus afferuntur. Innocentius Papa III in Capite *cum venisset, De sacra unctione;* ait unctionem fieri in capite baptizati, *ut sit paratus omni petenti de Fide reddere rationem.* Alia hujus ritus significatio est, ut intelligat baptizatus se ab eo die Christo capiti tanquam membrum conjunctum esse, atque ejus corpori insitum, ut ea re *Regni Christi particeps fiat, et a Christo Christianus possit vocari*, ut ait Rabanus Lib. I Cap. XXVIII.

X. Peracta verticali unctione, Sacerdos imponit capiti electi *Chrismale seu candidum linteolum, et dat illi vestem candidam.* In nostro Rituali duplicis vestis mentio fit imponendae, ac tradendae baptizato adulto, Chrismalis scilicet, ac vestis candidae. Dicitur *Chrismale* linteum, quod capiti baptizatorum statim post ejus inunctionem imponebatur, distinctum a veste alba. Occurrit ea vox in variis antiquis Ritualibus ac praesertim in Ordine Romano VII. Praeter *Chrismale,* dat etiam Sacerdos baptizato adulto vestem candidam dicens: *Accipe vestem candidam* etc. quae quidem verborum formula in antiquis passim recentibusque Sacramentorum Libris, ac Ritualibus reperitur, ejusque ritus mentionem quoque faciunt Patres, ac rerum ritualium Scriptores, inter quos S. Ambrosius in Libro: *de initiandis,* Cap. VII sic ait: *Accepisti candida vestimenta, ut esset indicium, quod exueris involucrum peccatorum, et indueris innocentiae casta velamina.* Cerei, seu candelae accensae traditio baptizato antiquissimus est Ecclesiae ritus, in parvulorum Baptismo jam a nobis enarratus.

CAPUT V.

DE VARIIS CONFIRMATIONIS NOMINIBUS, EJUSQUE MATERIA ET FORMA.

I. Post explicatos Baptismi (1) ritus, consequens est, ut de his qui Sacramentum Confirmationis spectant, sermonem instituamus. Nomina quibus Sacramentum hoc indigitari consuevit, ex ipsius veluti indole, effectibus ac ritibus desumpta sunt. Et quoniam 1.° manuum impositione et chrismatis unctione illud conferebatur, hinc *manus impositionem*, *chrismatis Sacramentum*, *Chrisma sanctum*, *Chrisma salutis* passim apud veteres denominatum invenias. Quod vero hujusmodi Sacramento veluti quodam Christi sigillo consignantur et pignus in cordibus suis fideles accipiunt, propterea *Signaculum*, *Domini Spirituale signaculum* nuncupatur. Insuper cum per hujus Sacramenti gratiam christianus perficiatur ac consummetur, et caeleste robur induat, dictum propterea est *Perfectio*, et *Confirmatio*, vocabulo non recens inducto, ut inepte garriunt Protestantes, sed jamdudum usurpato ut patet a Concilio I Arausicano anno 442; a tertio Arelatensi anno 445; a S. Hilario Arelatensi, qui subscripsit Concilio I Arausicano, *Homilia de Pentecoste*, quae vulgo cum ceteris sub nomine Eusebii Emisseni laudari solet. Unde Beda qui anno 735 extremum diem obiit, Commentario in Psalmum 26, testatur suo tempore unctionem, quae per manuum impositionem datur ab Episcopis vulgo Confirmationem appellari solitam fuisse; quo etiam nomine a Conciliis Florentino et Tridentino, et a tota Ecclesia solet appellari. Pertractarunt de his vocabulis Estius, Poncius, Farvacquesius, ceterique Theologi: exquisite autem, et luculenter Lindanus, in altera p[illegible]e *Apologiae*, et Lib. IV *Panopliae* Cap. 6; Durant[illegible],

(1) Trombelli, *De Confirmatione*, Caput I et seqq.; Sar-vius, *De Confirmatione*, Cap. III et seqq.

de Ritibus Ecclesiae Catholicae Lib. 1 Cap. 20; et Joannes Molanus, Lib. I *Theologiae Practicae* Cap. 6.

II. De Materia Confirmationis, non idem omnibus sedet. In sola itaque impositione manuum constituunt hujus Sacramenti materiam Petrus Aureolus, Isaacius Habert, Jacobus, Sirmondus, Sambovius, Nicolaus L' Herminier, qui tamen fatentur unctionem esse antiquissimam, nec ullo pacto praetermittendum. Statuunt e contra materiam ipsam in Chrismate Divus Thomas, cui subscribit haud exiguus numerus Scholasticorum, inter quos Poncius, Farvacquesius, Vanroy, Gavardi, aliique; nec non Bellarminus, Maldonatus, Ysambertus, et Petrus Aurelius, Beyer, Arcudius. Quidam utramque materiam disjunctive existimant essentialem, adeo ut sufficiat unam, vel alteram adhibere, ut Ruardus Tapperus, et Joannes Morinus. Permulti denique adaequatam Confirmationis materiam statuunt simul in impositione manus, atque in Chrismate; quam sententiam tenent, Natalis Alexander, *Historiae Ecclesiasticae Saeculum secundum Dissertatio X*, *De Sacramento Confirmationis;* Gaspar Juenin, *de Sacramentis*, Diss. 3 q. 2 Cap. 3; Ludovicus *Habert*, Cap. 3 § 1 et 2; Drouven, *de Re Sacramentaria* q. 3 Cap. 1 et 2; Antonius Boucat, Diss. 2 Concl. I; Carolus Witasse, *de Sacramento Confirmationis* q. 2 art. 3 sect. 5 et 6; Honoratus Tournely, quaest. I *dub. I;* Angelus Maria Canali, q. 2 Cap. 2. Materia adaequata Confirmationis ex impositioue manuum, et Chrismate constituitur. Tertullianus *de Resurrectionis carnis* Cap. VIII scribens: *Caro ungitur, ut anima consecretur, caro signatur, ut et anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur.* Et Cyprianus ad Jubajanum, *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Praepositis Ecclesiae offerantur, et per nostram orationem et manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, et signaculo dominico consumentur.* Quo in loco *Signaculum* ab impositione manuum distinctum est chrisma, quo in Crucis figuram frons illinitur. Mitto S. Hieronymum, *Dialogo adversus Luciferianos;* S. Augustinum, Lib. XV *de Trinitate;* S. Hilarium, *Homilia de Pentecoste;* S.

Pacianum, *Epistola* I ubi Confirmationem *Chrisma* vocat; Theodoretum, in *Cantica;* S. Cyrillum, *Commentaria in Joëlem;* S. Leonem Magnum, *Sermone IV De Nativitate Domini;* et alios, quos enumerare et quorum testimonia proferre, longioris et superfluae operae foret. S. Gregorius Magnus in *Sacramentario* manuum impositionem et Chrismatis unctionem ut materiam Confirmationis commemorat. *Pontifex,* inquit, *veniens ad Infantes, tenente Archidiacono Chrisma involutis scapulis et brachiis ex panno lineo, levata manu sua super capita omnium dicit: Omnipotens sempiterne Deus etc.* Ordo Romanus idem habet. Auctores qui de rebus et Officiis Ecclesiasticis scripsere eamdem sententiam tenent uti Walafridus Strabo, Libro *de rebus Ecclesiasticis* Cap. 26; Amalarius Fortunatus, Lib. I *de Officiis Ecclesiasticis* Cap. 26; Rabanus Maurus, Lib. *de Institutione Clericorum;* Alcuinus, Lib. *de Ecclesiasticis Officiis Cap. de Sabbato Sancto, et Epistola ad Odvinum Presbyterum,* quos secuti sunt alii bene multi usque ad Petrum Lombardum. Extat insuper in impositione manuum symbolum gratiae, qua praemunimur ad pugnam: nam in Sacris Litteris *manum imponere* idem est, ac regere, auxiliumque praestare; unde ait David Psalm. LXXXVIII v. 22 *Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum;* et Isaias Cap. XLI v. 16 *In umbra manus meae protexi te.* Oleum quoque gratiae ac fortitudinis typus est; et hinc Divus Thomas quaest. LXXII art. 2 probat Chrisma convenienter assignari pro hujus Sacramenti materia. Athletas olim perunctos in signum fortitudinis, scribit Isidorus: ac de monte Gelboe, ubi cecidit Saul, ait 2. Regum I v. 21. Sanctus David: Ibi *abjectus est clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo.*

III. Quamvis apud Orientales Confirmationis Chrisma, tum olei, tum triginta quinque aromatum, seu herbarum exquisiti odoris speciebus, cum vini non exigua quantitate admixtione conficiatur, ut in eorum Euchologiis videre est, ubi de Chrismate agunt, apud Occidentales tamen ex oleo olivarum dumtaxat, et Balsamo conficiendum esse, tum Sanctae Romanae Ecclesiae, tum aliarum Ecclesiarum, et antiqui et moderni Ritua-

les edicunt. Id vero potissimum constat ex Sancto Gregorio I haec scribente in illa verba Capitis I *Cantic. Botrus Cypri dilectus meus in vineis Engaddi. In Engaddi,* inquit, *Balsamum gignitur, quod cum oleo Pontificali benedictione Chrisma efficitur, quod dona Sancti Spiritus exprimuntur.* Et in Sacramentario ejusdem Sancti, *in Coena Domini* legitur: *Praeparantur ampullae duae cum oleo, quarum melior defertur Pontifici, ut accepto Balsamo, et commiscitato cum oleo, manu sua impleat eam.* Ita quoque Venerabilis Beda in idem Caput I *Cantic.* ad eadem illa verba, *Botrus Cypri, etc. In vineis,* ait, *Engaddi Balsamum gignitur, quod in Chrismatis confectione liquori olivae admisceri, ac Pontificali benedictione solet consecrari.* Idem legitur apud Alcuinum, in *Libro de Divinis Officiis;* apud Amalarium, in *Libro I de Ecclesiasticis Officiis*, Cap. XII et tandem aliis omissis, Eugenius IV in Decreto pro Instructione Armenorum, de *Confirmatione* loquens, inquit: *Cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et Balsamo, quod odorem significat, bonae famae.* His ergo praelibatis, videndum modo est, quo tempore hic usus admiscendi balsamum cum oleo pro sacra unctione, in Confirmationis Sacramento peragenda, in Ecclesia coeperit. Et quidem ante sextum saeculum, nec apud Orientales, nec apud Occidentales in usu fuisse videtur. Apud Scriptores enim Graecos ante IV Saeculum, qui Confirmatoriae Unctionis meminerunt de praefata Balsami admixtione cum oleo altum silentium est. Ante quoque sextum Saeculum nullus inter Latinos invenitur Scriptor, qui de hac admixtione loquatur: nec Tertullianus enim, nec Cyprianus, nec Innocentius Papa I, nec Augustinus, quamquam omnes de Chrismate frequenter locuti sunt, praedictae admixtionis unquam meminerunt. Unde illam inter Latinos circa sextum tantum saeculum usurpatam fuisse, fatendum est. Quantum adtinet praesertim ad commixtionem Balsami cum Oleo in Sacro Chrismate conficiendo, ex Sacris Litteris Sancta Mater Ecclesia desumpsit, ut sacrae Unctionis in Confirmationis Sacramento mysteria magis exprimerentur; praesertim propter Balsami fragrantiam, quae

Eccles. Cap. XXVI v. 20 his exprimitur verbis: *Sicut cinnamomum et Balsamum aromatizans, odorem dedi* et vers. 21 *Quasi Balsamum non mixtum odor meus*. Etenim ex Balsami odore addiscere satis possunt fideles Confirmati, sibi licere cum Apostolo dicere II *Cor*. v. 15 *Christi bonus odor sumus*.

IV. Progrediamur nunc ad examinandam Balsami speciem. Balsamum, itaque Graecis Βάλσαμον, quod ad ejus etymon spectat, cum e Judaea exterae gentes acceperint non displicet Joanni Gerardo Vossio in ejus Etymologico sic ob praestantiam vocari quasi *Princeps*, seu *Dominus Olei*. Hoc autem nomine vocatur arbor, cujus succus *opobalsamon* dicitur, *succus* nempe, seu *liquor olei*, componitur enim ex Ονος, idest *succus humor* et Βαλσαμον, quod illam arbusculam designat ipsum Balsami succum producentem, quae arbuscula, seu lignum Balsami Xilobalsamon adpellatur ut Servius et Isidorus monent. Haec planta olim tantum in Judaea reperiri credebatur, ut scribit Plinius, Lib. XII Cap. XXV. Non aliter scribunt etiam Dioscorides et Theophrastus. Praefatas Judaeae Balsami plantas, ex quibus verum, et optimum Balsamum fluebat extinctas esse ob Jerusalem excidia, propterea nullibi amplius extare, non pauci, qui de Balsamo scribunt, ostendere conantur, inter quos praesertim Amatus Lusitanus, et Nicolaus Morandus Hispanus. Quidquid autem sit de his, quae huc usque scripsimus, certum est postea pluribus in Orbis partibus repertas fuisse Balsami plantas, et nunc in utraque India non paucas inveniri, ex quibus Balsamum fluit, et ex Indiis in Europam quoque praefatas plantas delatas esse.

V. Non una est apud Doctores sententia de essentiali apud Latinos Confirmationis forma. Qui hujus Sacramenti materiam in sola manuum impositione collocant, ii formam ejusdem essentialem reponunt in ea oratione quam Episcopus dum manum extendit versus confirmandos, fundit ad invocandum Spiritum Sanctum; ista vero verba: *Signo te confirmo te*, quae dicit Episcopus dum frontes singulorum inungit, ad integritatem solummodo accidentalem Sacramenti, et ad majorem effectus ipsius significationem pertinere contendunt.

Ita Sirmondus, Sambovius, et Morinus. Contra qui pro materia constituunt Chrisma formam esse ajunt verba, quae Episcopus inungens profert. Qui tandem materiam in manuum impositione et Chrismate ponunt, ii formam constituunt in oratione Episcopi manus imponentis, et verbis in Chrismatis unctione prolatis. Nunc apud Latinos Confirmationis forma sunt indicativa verba, quae chrismatis unctionem comitantur: *Signo te signo Crucis, et confirmo te chrismate salutis.* Quo tempore ea Latini uti coeperint, non liquet. Olim haec tantum verba dicebantur: *In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti, Pax tibi*, uti ut videre est apud Amalarium Libro I *de Officiis Ecclesiasticis* Cap. II et apud vulgatum Alcuinum de *Divinis Officiis* Cap *de Sabbato Sancto.* In Pontificali Egberti saeculo VIII conscripto haec habetur forma · *Accipe signum sanctae Crucis chrismate salutis in Christo Jesu in vitam aeternam.* In Sacramentario Gelasiano legitur: *Signum Christi in vitam aeternam.* De forma Graecorum non idem omnibus. Morinus, Sambovius, aliique tuentur, apud Graecos Confirmationis formam esse orationem, quae in eorum Euchologiis neophyti unctionem praecedit, cujus initium: *Benedictus es Domine.* Contra Arcudius, Goar, Habert, Holstenius, aliique, Graecorum formam esse statuunt verba: *Signaculum doni Spiritus Sancti*, quae in eorum Euchologio habentur. Antiquissimum apud Graecos fuisse hujus formulae usum, rite adstruitur ex Cyrillo Hierosolymitano. Ad eam formam multum accedit ea quae extat in Sacramentario Gelasiano, et in antiquioribus Sacramentorum Libris. Jam vero quod spectat ad partes corporis ungendas; Ecclesia Latina ex constanti omnium saeculorum praxi unicam frontem ungere consuevit. Graeci olim frontem, aures, nares, et pectus ungebant, cujus rei luculentum habemus Cyrilli Hierosolymitani testimonium in Catechesi tertia Mystagogica. Hodie vero longe plures corporis partes ungunt scilicet, frontem, oculos, nares, os, aures, pectus, manus, et pedes, ut videre est in eorum Euchologio.

CAPUT VIII.

DE MINISTRO, TEMPORE, LOCO, ET CAEREMONIIS.

I. Certum et constitutum est apud omnes, ordinarium hujus Sacramenti ministrum esse solum Episcopum. Idque probatur ex Act. Apostolicis, quae Cap. VIII narrant, Petrum et Joannem profectos Samariam, ut per manuum impositionem baptizatos a Philippo Diacono confirmarent. Hoc Apostolorum exemplo edocta Ecclesia, solis Episcopis, Apostolorum in Episcopali dignitate ac gradu successoribus, jus ordinarium Confirmationis conferendae reservavit, quod quidem perpetua et nusquam interrupta demonstrat Ecclesiae praxis ac Traditio. Et re quidem vera S. Cyprianus *Epistola* 73 ad Jubajanum scribens: *Ut qui baptizantur, Praepositis Ecclesiae* (idest Episcopis) *offerantur, ut per nostram orationem, et manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur; et signaculo dominico consummentur*. Chrysostomus in Cap. VIII Actorum. *Hoc erat in Apostolis singulare: unde et praecipuos et non alios videmus hoc facere*. S. Hieronymus adversus Luciferianos ait: *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut Episcopi excurrant ad eos qui in minoribus urbibus sunt baptizati, ut eis manus imponant.* Id etiam quovis saeculo Romani Pontifices testati sunt. Cornelius enim Papa, medio saeculo tertio *Epistola ad Fabianum Antiochenum*, apud Eusebium Lib. VI *Historiae Ecclesiasticae* Cap. 43 de Novatiano, qui Confirmationem aspernabatur: *Neque*, inquit, *ab Episcopo* consignatus est. *Hoc autem signaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum Sanctum potuit accipere.* Innocentius I saeculo V cum in Diocesi Eugubina quidam Presbyteri id sibi muneris arrogarent, *Epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum*, Cap. 3 ita scribit: *De consignandis vero infantibus, manifestum est, non ab alio, quam ab Episcopo fieri licere.* S. Leo Epistola 88 ubi loquens de officiis Chorepiscoporum, ait, *ipsis non licere nec erigere altaria, nec per impositionem manuum fidelibus baptizatis; paracletum Spiritum dare, nec*

chrismate baptizatorum frontes signare, quia haec solis Episcopis conveniunt. Ordo Romanus, hanc facultatem solis Episcopis adscribit. Idem praestant Alcuinus *in epistola ad Odvvinum*, et Magnus Senonensis *in Epistola ad Carolum Magnum.* Iesse Ambianensis, Theodulphus Aurelianensis, Rabanus Maurus, Jonas Aurelianensis, Amalarius, Walafridus, Honorius Augustodunensis, Hugo Victorinus, et Stephanus Eduensis. Neque huic Catholico dogmati illud contrariatur, quod adnotavit Lucas Holstenius in *dissertatione de Ministro Confirmationis* Cap. 1 niminum ab Anania, non utique Apostolo, sed Discipulo manus fuisse impositas Saulo, uti legitur *Act.* Cap. IX v. 17. Etenim ea manuum impositio, utpote, quae Baptismum praecessit, non fuit confirmatoria, sed curatoria, hoc est adhibita ad restituendam Paulo visus sanitatem; quod ex ejusdem Capitis IX v. 18. liquet. De simili manuum impositione, adhibenda nimirum ad curandos energumenos, loquitur Innocentius I in *Epistola ad Decentium Cap. VI* num. 9.

II. Vetusta est apud Graecos consuetudo, ut simplices Sacerdotes Sacramentum Confirmationis administrent, puerosque statim post baptismum sacro Chrismate liniant. Longe ante Photianum schisma, fuisse Graecorum moribus receptum, ut simplices Sacerdotes baptizatos infantes statim sacro Chrismate inungerent, demonstrant Morinus, *Dissertatio secunda de Sacramento Confirmationis;* et Lucas Holstenius, Diss. 1 de *Ministro Confirmationis* apud Graecos; eumdemque usum invaluisse apud alias Orientales Ecclesias testatur Auctor *Quaest. veteris et Novi Testamenti in App.* ad 1. *part.* Tom III. *Opp.* Augustini Col. 93. *In Alexandria et per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consignat Presbyter:* quibus in locis verbum consignare, non merum ritum, sed veram Confirmationem denotare, tanquam indubitatum ponit Christianus Lupus Opp. Tom. II pag. 1424. Sunt qui hanc Graecorum consuetudinem semper ab Ecclesia Latina improbatam affirmant. Etenim, inquiunt, Nicolaus I vix exorto Photiano schismate, cum audierit, Graecos Presbyteros, auctoritate, et suasionibus Photii, Sa-

cramentum Confirmationis per Bulgariam administrasse, misit illuc Paulum Populoniensem, et Formosum Portuensem Episcopos, Legatos suos, qui omnes Bulgaros a praedictis Presbyteris inaniter confirmatos, iterum sacro Chrismate rite signarent: quod constat tum ex Epistola Photii ad omnes Episcopos Orientales, ubi de hoc facto acerbe conqueritur, tum ex Epistola Metrophanis Metropolitae Smyrnensis. Adhuc etiam expressius praefatam consuetudinem damnatam ajunt ab Innocentio III in Cap. *Quarto*. Quare quidem Innocentii III decretalem corroboratam dicunt ab Innocentio IV. Nicolaus I iterum Bulgaros consignari voluit; quia Confirmationem receperant a Sacerdotibus, qui Photii errore erant imbuti. Contendebant insuper Photiani illi Presbyteri, nullo Scripturae testimonio, nullave lege constare solos Episcopos ordinarios esse Confirmationis ministros; atque officium illud pari jure commune esse tum Presbyteris, tum Episcopis. Merito Nicolaus I indicavit nullam esse Confirmationem, quam Graeci Presbyteri tamquam proprio et ordinario jure dispensabant; maxime in ea regione, in qua nihil auctoritatis ac jurisdictionis habebant Graeci. Bulgaria pertinebat ad Patriarchatum Occidentalem, quod pluribus ostendit Christianus Lupus *Opp*. tom. 2. pag. 1404. Nihil obturbat Innocentius III Cap. IV *ext. de Consuetudine* ubi inhibet *omnibus Presbyteris apud Costantinopolim constitutis, ne in posterum Sacramentum Confirmationis fidelibus exhibeant*. Ita quippe habet integra Decretalis apud Baluzium tom. I *Epistola Innocentii III* pag. *480* ubi legitur *omnibus Latinis* presbyteris; Raymundus autem in compilatione Decretalium τὸ *Latinis* omisit. Hinc se exserit Innocentii mens. Nimirum is consignare interdicit Latinis tantum Presbyteris apud CPolim morantibus. Quum enim eo tempore urbs CPolitana Francorum imperio subesset, ejusque Patriarcha venetus esset, ex Francis et Venetis incolis magnam partem constabat. Latini autem Presbyteri, Constantinopoli degentes, Graecorum more Confirmationem administrare coeperunt; quem Latinorum Sacerdotum abusum retudit Innocentius, iisque praecepit, ut Latinae Ecclesiae consuetudinem observent, nec agere praesumant, quod solis Graecis Presbyteris

permissum est. Denique in aliis locis, in quibus Confirmatio data a Sacerdotibus Graecis; non est a Sede Apostolica expresse improbata, ea pro valida est habenda, ob tacitum saltem privilegium a Sede Apostolica illis concessum.

III. Eam fuisse olim Ecclesiae consuetudinem, ut baptizatis statim manus imponeretur ad accipiendum Spiritum Sanctum, nimirum ipsi consignarentur. Cujus rei fidem certam et indubitatam faciunt non modo Rituales Libri et Pontificales; sed Patres fere omnes, qui his de rebus scripserunt. Hos inter principem locum tenere debet Tertulianus, qui in Libro: de *Baptismo* Cap. VII et VIII id diserte asserit: *Egressi*, inquit, *de lavacro perungimur benedicta unctione. . . dehinc manus imponitur per benedictionem invocans Spiritum Sanctum.* S. Cyprianus *Epistola 70 ad Januarium et alios* scribens: *ungi necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, idest unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit.* Clarius Loadiceni Concilii Patres canone 48: *Oportet eos qui illuminantur post baptismum inungi supercaelesti Chrismate.* Denique ut Ambrosium, *Libro de Mysteriis* Cap. 7; Hieronymum, *Dialogo adversus Luciferianos;* et alios plures omittam, hunc Ecclesiae antiquae morem perspicue demonstrat S. Augustinus *Sermone* 333 ubi de quodam puero Catechumeno defuncto, meritis et intercessione S. Stephani ad vitam reducto, haec habet: *Continuo tulit illum ad Presbyteros* (mater), *baptizatus est, sanctificatus est, unctus est, imposita ei manus est, completis omnibus Sacramentis assumptus est.* Jam vero mos iste non solum in adultis servabatur, verum etiam in infantium baptismo. Innocentius I *Epistola I De consignandis infantibus manifestum est, non ab alio, quam ab Episcopo fieri licere.* Idem repetit Gregorius Lib. III Cap. IX. Isthaec vero Baptismum et Confirmationem simul conferendi consuetudo IX et X saeculo paullatim immutari coepit; donec tandem XIII ineunte obsolevit. Ex vita quidem S. Uldarici Augustani patet, consuevisse illum feria II post Pascha *post peracta Missarum solemnia multitudinem populi illic congregati sacro Chrismate con-*

firmari. Tum Rabanus, qui praecedenti saeculo floruit, Lib. II *de Institutione Clericorum* Cap. XXXIX. Confirmationis administrationi octavam a Baptismo diem assignat. Quod etiam testatur Alcuinus. Nullus quidem in plerisque Ecclesiis proprius administrando Confirmationis Sacramento destinatus locus: neophytis enim ea conferebatur vel in Ecclesiae Sacrario, vel in aliqua ipsius Ecclesiae parte; ut ex praescripto Ritualium Librorum colligitur. Is quibusdam in locis erat a Baptisterio separatus, dicebaturque *Consignatorium*, quale illud erat, quod in Neapolitana Ecclesia construxit Joannes ejusdem civitatis initio saeculi VII Antistes, quod describit Johannes Diaconus in Libro: *de Gestis Episcoporum Neapolitanorum*. In Libro tamen Sacramentorum S. Gregorii Papae locus ad Confirmationem designari videtur *Sacrarium* sive *Sacristia*.

IV. Est et ille quoque vetustus Ecclesiae ritus; ut frons confirmati sacro Chrismate illita, linteo, seu *vitta* linea cingeretur. Deponebatur autem olim linea *vitta* post septimum diem, quo ipsius Confirmati frons abstergebatur, ut constat ex Ordine Romano, ex Amalario Fortunato, ex Hugone Victorino. Haec ligamina ex nova tela, munda, tribusque lata digitis ut fiant, mandat Concilium Vigorniense, anno 1240, et Coloniense anno 1280. Illud omnino hic admonendum est, non perpetuo, nec ubique servatam fuisse septem dierum disciplinam. Tribus diebus deferendum ligamentum sancivit anno 1374 Synodus Beneventana, et anno 1400 Synodus Trecensis. Id vero ad spatium viginti quatuor horarum coarctavit Synodus Carnotensis. Explicandum restat, quid olim de *bandellis*, sive de *vittis* lineis fieret, postquam a confirmatis die septimo, vel tertio, ut supra dictum est, post susceptum Sacramentum deponebantur. Certe Concilium Beneventanum anni MCCCLXXIV jubet, ut tribus elapsis diebus, *Frons confirmati, et Bandellus abluatur. a Sacerdote supra fontes ob reverentiam Sacramenti : bandellus vero vel comburatur, vel in usus mundos Ecclesiae convertatur, et deputetur*. Ex Senonensi Synodo, Carnotensi, et Parisiensi idem quidem praescribitur.

V. Statim ac Episcopus pronuntiat Confirmationis for-

mulam, caedit leviter consignati maxillam dicens: *Pax tecum*. Caeremoniam hanc non legi apud veteres, nec perantiquam esse, affirmant Natalis Alexander, Juenin, Witasse, L'Herminier, Tournely, et alii complures. Frui tamen illam antiquitatis honore demonstrant Pontificales Codices MSS. Vaticanus, et Angelicae Bibliothecae: quorum ille quadrigentorum annorum, iste vero quingentorum aetatem superat. Neque hi Codices instituunt primo, sed institutum supponunt eumdem ritum. Infligi confirmatis levem alapam, ut suscepti Sacramenti servent memoriam, Senonensis et Carnotensis Synodi tradiderunt. Aliam hujus percussionis rationem proferunt Durandus, et Concilium Coloniense, aliique plurimi; ut nempe meminerit Confirmatus, se tanquam athletam paratum esse oportere ad omnia adversa pro Christi nomine perferenda. Ritus impertiendae pacis confirmato est certe antiquus, utpote cujus meminerint Ordo Romanus, itemque creditus Alcuinus, et Amalarius Fortunatus. Nequis putet, preces, orationesque, ac ritus in Sacramento Confirmationis adhibitos recentia esse Ecclesiae inventa, totidem pene verbis legere est in variis antiquis Pontificalibus Libris Mss. allatis a P. Martenio Lib. I *De antiquis Ecclesiae ritibus*, Cap. II Articulo IV.

CAPUT IX.

DE PATRINIS, ET DE AETATE CONFIRMANDORUM.

I. Iis qui baptizantur, ita et iis, qui confirmantur, Patrini, seu Susceptores adhibeantur. Ritus est certe in Ecclesia vetustissimus, cujus rationem hanc reddidit Angelicus Doctor III Part. *Quaestione LXXII articulo X. Hoc Sacramentum exhibetur homini ad robur pugnae spiritualis sicut autem aliquis de novo natus indiget instructione in his quae pertinent ad conservationem vitae: ita illi qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditionibus, a quibus instruantur de his quae pertinent ad modum certaminis*. Praeclara est et alia ratio, quam memoratae subjicit S. Doctor sic inquiens: *Similiter etiam et quia per hoc Sacramentum confer-*

tur homini perfectio spiritualis aetatis, ideo ille, qui ad hoc Sacramentum accedit, sustentatur quasi adhuc spiritualiter imbecillus, et puer. Eandem fere rationem describit S. Carolus Parte IV Actorum *De Sacramento Confirmationis.* Non enim debet alium ad Confirmationem tenere qui nondum est confirmatus. Id quod expresse habetur in Can. CI *de Consecratione*, *Distinctione* IV. Licet enim baptizatus, sit effectus membrum Ecclesiae, nondum tamen est adscriptus militiae christianae, uti observat Angelicus Doctor. Praeterea ne Patrini assumi valeant, Pater, aut Mater, Maritus, aut Uxor; quia nimirum ex hujusmodi susceptione spiritualis affinitas oriri solet. Antiquissima consuetudo Ecclesiae Romanae fuit, ut in Confirmatione singuli singulos susciperent. Cui disciplinae adhaerentes Episcopi decretis suis caverunt, ne Patrinus, Matrinaque plures in Confirmationis Sacramento teneat, quam unum. Est praeterea ratio, ob quam Patrinus non plures, quam unum suscipere debet, ne scilicet nimis multiplicentur Matrimonii impedimenta. Praeterea ut ajunt Theologi, unus Angelus, cui unius hominis custodia commissa est, aliorum regimen minime suscipit, quando magis homo terreus a plurium tutela suscipienda abstinere debet. Patrini ex veteri ritu confirmandum dextra manu tenentes ad Episcopum adducebant, et si ipse adultus esset, pedem super Patrini dextrum pedem imponere debebat, sicut praescribitur in Ordine Romano, ac in Libro Sacramentorum Sancti Gregorii. Quoniam ad rationem Patrini Confirmationis requiritur, quod confirmatum vere tangat, ac teneat, adeout si haec caeremonia negligeretur, nec obiret patrinus munus suum, nec verus esset susceptor, nec spiritualis cognatio ex munere oriens contraheretur, ut cum multis Theologis firmat Sanchez Lib. VII *De Matrimonio*, *Disputatione LVI.* Illud ergo recte, et honestati, et veteri Ecclesiae disciplinae consentaneum in plerisque Conciliis, ac praesertim in Concilio Mediolanensis V cautum quoque videtur, ut ne maribus faeminae Commatres, nec contra feminis mares Compatres in Confirmationis Sacramento adhiberentur.

II. Cum Confirmationis Sacramentum ad perfectio-

nem, incrementum, et consummationem gratiae Baptismatis institutum sit secundum ea quae communiter docent Sancti Patres, ac sacri Theologi passim, necesse est, ut sint in statu gratiae, qui illud suscipiunt. Certe in Capitulari Herardi Archiepiscopi Turonensis, Num. LXXV sive in Aurelianensi quodam Concilio, ut apud Gratianum legitur *De Consecratione Distinctione* V Can. VI decretum est : *Ut jejuni ad Confirmationem veniant, ut moneantur confessionem facere prius, ut mundi donum Spiritus Sancti valeant accipere.* Quod de confessione peccatorum praemittenda praescribitur, olim non ita servatum fuisse : neque enim observatu necessarium erat, propterea quod soliti essent fideles statim post Baptismum consignari, ac deinde ad mensam Domini accedere. Non erat ergo recens baptizatis necessarium poenitentiae Sacramentum. Mane olim jejunis ab Episcopo jejuno Confirmatio praebebatur; et quidem post divinum paractum Sacrificium , circa horam tertiam , saltem postquam separatim a Baptismo ipsa Confirmatio administrari coepit. Certe de ritu administrandae Confirmationis hora tertia elegantissimum est testimonium Amalarii Fortunati Lib. IV *De Ecclesiasticis Officiis* Cap. XXIX. Confirmationis Sacramentum characterem , seu signaculum spirituale in anima imprimere, atque idcirco reiterari non posse, Graecis, tum Latinis Patribus , vel ex ipso nomine , quo *Signaculum* Spiritus Sancti dicitur, certum est ac indubitatum. Ratio potissima , cur hoc Sacramentum iterari nequeat, ex eo desumitur, quod datur per modum consecrationis : natura autem consecrationis iterationem non admittit. Res semel ad usum aliquem Deo consecrata , talis quandiu existit, perpetuo manet. *Quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino ;* ut habetur Levitici Capite ultimo. Certe fideles per Confirmationem consecrari Deo, tamquam milites Christi, et deputari ad agenda ea quae pertinent ad pugnam spiritualem contra Fidei hostes, omnes Ecclesiae Patres affirmant relati a Sambovio *De Sacramento Confirmationis,* Disputatione VI Articulo I. Tandem tum ex Summis Pontificibus, cum ex Conciliis, quam frequentissime pronunciatum fuit, Confirmationem iterari non posse.

III. Fuit vetus Ecclesiae mos, ut post Baptismi susceptionem continenter Confirmatio administraretur. Nunc, et in praesenti Ecclesiae praxi Sacramentum Confirmationis non licet infantibus ante usum rationis administrare. De hac re loquitur Benedictus XIV in Bulla 129 incip. *Eo quamvis* in primo tomo Bullarii. In ea § 6 declarat, nunc temporis non licere aliquem Confirmationis Sacramento munire, nisi usum rationis habeat. Hoc non obstante in Libro: de *Synodo Dioecesana* Cap. X n. 15 ait idem sapientissimus Pontifex, quod licet ex Catechismo Romano conferre hoc Sacramentum ante septennium non expediat, tamen non vetat ante hoc tempus conferre ex aliqua causa, puta si Episcopus per multum temporis mansurus esset extra Dioecesim, si pueri essent in periculo mortis; quia juxta Divum Thomam *majorem gloriam* consequuntur. Quod vero Episcopum ministrantem spectat, recte mandat Pontificale ut ob reverentiam scilicet sacri Chrismatis lavet manus, tum deposita Mitra stans junctis ante pectus manibus oret, ut Spiritus Sanctus superveniat in Confirmandos. Ritus hic aeque antiquus est, cujus in suo Sacramentorum Libro meminit S. Gregorius, sic inquiens: *Levata manu sua super capita omnium*, dicit: *Omnipotens sempiterne Deus.* Meminit et Ordo Romanus et Auctor nomine Alcuini *De Divinis Officiis* Cap. *De Sabbato Sancto.* Meminere tandem et alii complures pervetustissimi auctores. Inquirat praeterea Episcopus sigillatim de nomine cujuslibet confirmandi, quod et formae praemittere solet. Qui ritus est haud dubie conformis pristino Ecclesiae instituto: legimus enim in Sacramentario Sancti Gregorii et in Ordine Romano, Diaconos olim eorum, qui confirmandi erant, nomina interrogasse ob eam fortasse rationem, ob quam S. Carolus Borromeus in instructionibus suis idipsum praescripsit; ut scilicet Minister adhibeatur, *qui schedulas colligat, in iisque scripta nomina Archiepiscopo ordine recitet voce qua audiatur:* et si aliquid in ipso nomine vel parum Christianae Religioni accommodatum, vel ad risum concitandum prope factum advertat, plurium Conciliorum auctoritate, ac praesertim Mediolanensis, decernitur, ut illud Episcopus immutet.

CAPUT X.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO, ET DE ORDINE MINISTRANDI SACRAM COMMUNIONEM.

I. Eucharistiae Sacramentum, quo nihil in Ecclesia majus aut augustius est, variis apud veteres nominibus exprimi consuevit: ac 1.° Eucharistia, quod latine idem est quod *Bona gratia,* vel *gratiarum actio. Coeleste Convivium* hoc Sacramentum vocatur a S. Ambrosio, Libro *de his qui Mysteriis initiantur* Cap. VIII. *Mensam Domini, Mensam divinam, Mensam spiritualem, et mysticam* appellant veteres. Vocatur etiam *Sacramentum Fidelium, Mysterium Fidei, Christianae Religionis arcanum,* quia infidelibus et catechumenis ejus notitia abscondebatur. Appellari solet variis etiam nominibus, quae late explicant eruditi Scriptores Theologi, atque Liturgici, qui de hoc Sacramento tractarunt. Porro Divinae Eucharistiae Sacramentum, in Rubrica hujus tituli in Romano Rituali, et a Patribus et Conciliis *Sanctissimum dicitur* per excellentiam super reliqua Sacramenta. Qua ratione tractare, custodire atque administrare venerabile Eucharistiae Sacramentum Parochus potissimum debeat, docent nos passim Concilia et Rituales Codices. Monet quoque illud non uno in loco S. Carolus, *ut Parochi crebris cohortationibus in id maxime incumbant, ut populus sibi commissus ad Confessionem et Communionem praecipue in Nativitatis Domini, et Pentecostes et aliis solemnitatibus accedat.* Mandat id quidem S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi I Parte II Capite *De iis, quae ad Sacramentorum administrationem generatim pertinent.*

II. Porro quod nemo ad Eucharistiam sumendam accedere debeat, nisi moraliter certus sit de propria sanctitate, docent non modo Patres, sed antiqua illa Orientalis Ecclesiae consuetudo, qua tempore sacrae Communionis Diaconus alta voce clamabat: *Sancta Sanctis;* uti videre est Lib. VIII *Apostolicarum Constitutionum,* Cap. XIII; et apud utrumque Cyrillum, Hie-

rosolymitanum, Catechesi V *Mystagogica*; et Alexandrinum, Lib. XII in Joannem, Cap. XIII; itemque apud Chrysostomum, Homilia XVII in Epistolam ad Hebraeos; et apud alios antiquos Scriptores. Ceterum in Ecclesia Occidentali, maxime in Galliis, diebus praecipuis, quibus universus populus ad ipsam Synaxim accedere tenebatur, solemni ritu ad Communionem invitabatur his verbis: *Venite Populi, sacrum immortale Mysterium, et libamen agendum, cum timore et fide accedentes.* Jejunium insuper est alia praeparatio. Hoc jejunium tale debet esse, ut post mediam noctem nihil omnino per modum cibi vel potus sumptum sit, ex universali consuetudine ab Apostolis introducta, in reverentiam illius Sacramenti. Quamquam autem praedicti jejunii disciplina tanti sit momenti, ut in eam nequeat Episcopus dispensare, non desunt tamen exempla, quibus docemur, consuevisse Romanos Pontifices, eam facultatem concedere, ut quis non jejunus posset communicare. Adoratio Sacramenti Eucharistiae debet fieri utroque genuflexo. Finis genuflexionis duplex est, ad orandum, et adorandum, docet Gavantus p. I tit. 17. Denique nostrum Rituale separationem praecipit mulierum ab hominibus, quae adeo utilis et necessaria est, ut omnes fere Ecclesiasticarum rerum Scriptores de ea tractare non cessarint. S. Carolus Borromaeus praecipue in Actis Ecclesiae Mediolanensis quocumque in loco de foeminis loquatur, quae seu ad Ecclesias, seu ad opera sacra concurrant, semper praecipit illarum separationem a masculis. Illud autem opportune adnotandum hic censeo, morem fuisse antiquum, qui alias hodieque in multis Ecclesiis observatur, ut nempe post Communionem statim fidelibus Communicatis purificatio praeberetur; observatque eruditus Henricus Valesius in Notis ad Eusebium Lib. VI *Historiae Ecclesiasticae*, Cap. XLIII quod postquam Diaconi laicis Eucharistiam praebere desinerent, concessum illis est, ut vinum illis post Communionem porrigerent.

III. Vetustissima Ecclesiae Catholicae consuetudine receptum fuisse, ut propter infirmorum Communionem, nec non ob alias magnas atque necessarias causas Eucharistia in Ecclesiis asservaretur, antiquissimi Eccle-

siae Scriptores testantur. Verum enim vero quod a Christianae Religionis primordiis asservari in Christianorum Templis Eucharistia coeperit, jam nos abunde ostendimus Tomo II *Antiquitatum Christianarum.* In Ecclesis Parochialibus duae esse debent Pyxides, in quarum una conservatur Eucharistia, in altera deferatur ad infirmos. De renovanda sacra Eucharistia habemus Concilii Turonensis Decretum apud Reginonem Lib. I *Ecclesiasticae Disciplinae*, Cap. LXX *ut tertio in tertium diem semper mutetur.* Communis tamen Latinae Ecclesiae usus obtinuit, ut semel tantum singulis hebdomadis, aut ad summum singulis quibusque quindenis diebus Eucharistia ad Viaticum infirmorum reservata innovaretur, idquod infinitis prope testimoniis probare se posse ait Martene Lib. I *De antiquis Ecclesiae Ritibus, Cap. VI Articulo III num. IX.* Octava quoque die renovandam esse Eucharistiam, statuit in suo Provinciali IV Mediolanensi Concilio S. Carolus, Capite inscripto: *Quae ad Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum* pertinent. Ceterum ne ultra octavam diem particulae ipsae serventur, expresse mandant non modo recentiores passim Synodi, verum antiquiores.

IV. Fideles omnes non modo ad sacram Communionem esse admittendos, verum etiam teneri ipsos, ubi ad annos discretionis pervenerint, semel saltem in anno illam percipere in Paschate, expresse statuit Concilium Generale IV Lateranense, Cap. XXI. Verum quamvis haec lex Ecclesiae auctoritate sancita ad omnes fideles pertineat, non pauci tamen ab ipsa sacrae Eucharistiae perceptione *justa ratione prohibentur,* ut ait nostrum Rituale, antiquis Patrum Decretis inhaerens. Sicut enim Ecclesia sollicita semper fuit, ut renati in Christo sacrae Eucharistiae alimonia vitam suam spiritualem nutrirent, ac foverent, ita non minus fuit solicita, ne contra Domini praeceptum, Sanctum daretur canibus, et ne quis indignus ad hoc Sacramentum accedens, judicium sibi manducaret et biberet, non dijudicans Corpus Domini. Et primo Excommunicati et Interdicti non sunt communicandi neque publice, neque privatim. Itaque ex pervetusto Ecclesiae ritu, cujus testis est S. Cyprianus, excommu-

nicati, quos idem Sancti Patres variis locis, ac prisci Canones *abstentos* nuncupant, ab Eucharistiae communione exclusi sunt. Arcendi praeterea a sacra Eucharistiae Communione sunt ex nostro Rituali *manifesto infames, ut meretrices, concubinarii, foeneratores, magi, sortilegi, et alii ejus generis publici peccatores. His concinit* S. Carolus in *Instructionibus de Sacramento Eucharistiae.* Porro publici peccatores Divo Thomae ii visi sunt, quorum flagitia ita eruperunt in notitiam publicam, ut nulla possint tergiversatione celari, cujusmodi sunt illi, qui palam omnibus concubinam domi alunt, ac cum totius populi scandalo apud se retinent.

V. Duo sunt, quae de occulto peccatore Eucharistiam petente in Rituali statuuntur. Primum est, ut Sacerdos Communionem administrans, *occultos peccatores, si occulte petant, et non eos emendatos agnoverit, repellat.* Ratio est, quia peccator occultus, qui privatim et clanculum Sacramentum exposcit, nullum omnino jus habet ad Communionem; non quidem ratione status, in quo versatur, cum per peccatum ex Dei Patris per Christum adeptione exciderit; non etiam ratione famae, quum denegatio sit occulta. Unde in casu de quo agitur, Eucharistiae sanctitati Minister consulere tenetur ac praecepta illa Christi Domini servare, Matthaei Cap. VII *Nolite Sanctum dare canibus:* et Cap. XV, *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.* Alterum quod in Rituali edicitur, illud est, occultos peccatores, *si publice petant* Communionem, et sine scandalo praeteriri nequeant, non posse ipsos ab eadem excludi. Cujus rei ratio multiplex est. Prima ne Minister prodat crimen occultum, atque ita proximum infamet. Secunda ne alios scandalizet. Tertia ne petentem jure, quod adhuc habet in facie Ecclesiae, defraudet.

VI. Veteri Ecclesiae disciplina spectata, amentibus quidem phreneticisque, in ultimo vitae periculo constitutis, secluso irriverentiae periculo, praeberi olim solita fuit Communio; idque patet ex Canone XVIII, Concilii I Arausicani, et ex Canone LXXVI Concilii IV Carthaginensis. Ut aliquid tandem et de Energumenis dicam, licet olim iis minime Eucharistia concede-

retur, nisi in ultima vitae periodo, ut patet ex Canone XXXVII Concilii Illiberitani, jam multis nihilominus ab hinc saeculis sacratissima iis Eucharistia dispensatur, qui lucidis intervallis fruuntur. De Communione infantium recte admodum docet Tridentini Concilii Catechismus Parte II *De Eucharistiae Sacramento*, num. LXVI, eam illis minime esse administrandam. Ubi hanc etiam rationem subdit: *Hi enim neque Sacram Eucharistiam a profana, et communi pane sciunt discernere, neque ad eam accipiendam, pietatem animi, et religionem afferre possunt*. Confessariorum et Parochorum prudentiae id relinquitur.

VII. Quoad ordinem ministrandi sacram Communionem, mandat Rituale primum ut vasculum unum, vel plura, decenti et commodo loco exponantur *cum vino et aqua ad purificationem eorum, qui communionem sumpserint*. Esse vero hunc antiquum ritum, ut purificatio post Communionem, non modo a Sacerdote celebrante, sed a fidelibus communicatis sumeretur, paulo ante monuimus. Plura porro scitu digna de ipsa populi purificatione post Communionem ejusque ritu statuit S. Carolus in Conciliis suis Mediolanensibus, et in Instructionibus de sacra Communione vulgari sermone conscriptis, sicut et de vasis ei usui destinatis. Vult quippe inter alia, nullo modo Calice vel alio vase, quod ad sacri Calicis formam factum sit, purificatio ipsa praebeatur. Praeter praedicta vasa, parandum est ex praescripto nostri Ritualis linteum mundum, ut sit ante eos extensum qui communicaturi sunt. Porro ubi non est populi communicantis multitudo, solent nonnulli sudariolum Altaris suscipere. Mandat praeterea Rituale ut Sacerdos, lotis prius manibus, sacram Communionem ministret; decet enim quammaxime, estque antiquissimus Ecclesiae ritus, ut manus, quae tantum contigere debent Sacramentum, prius laventur. Illud autem hoc loco admonendum est, lotionem hujusmodi jam non debere esse superficialem, sed accuratam, ita ut sordes in manibus minime appareant. Explicandum nunc est quo indumento ornatus debet Sacerdos Eucharistiam extra Missam administrare: *Superpelliceo indutus, ac desuper Stola coloris Officio illius diei convenientis*, ait Ri-

tuale, cui Rubricae Romani Missalis consentiunt, ea quae est praxis quam omnes fere tenent Ecclesiae.

VIII. Praemittendae sacrae Communioni generalis Confessionis ritum, a Monachis Fratribusque mendicantibus ad ceteros fideles manasse, pluribus probat Le Brun. Facta confessione a ministro, Sacerdos statim pergit dicere *Misereatur vestri*, post manu dextera Crucis signum fidelibus communicantibus adhibet, et dicit: *Indulgentiam absolutionem* etc. In cornu Evangelii dicit *Misereatur*, eo quod misericordia Dei per Evangelium, et novam legem nobis a Christo derivata est. Porro sicut in Missa, uno tantum praesente, dicitur *Misereatur vestri*, ita etiam uno tantum communicaturo dici debet *vestri* non *tui;* haec enim verba cadunt super alios praesentes, communione spirituali communicaturos, uti observat Gavantus. Manu sinistra Pyxidem accipere debet, quia manu dextera ministrare debet, ideo non est impedienda. Verba *Domine non sum dignus*, etc. per tres vices dicuntur ad magis magisque humilitatem nostram demonstrandam, atque protestationem humanae indignitatis. Quod vero verbum *Amen* spectat in recitata Sacerdotis communicantis formula expressum, illud profecto notat, fideles olim cum Eucharistiam de manu Sacerdotis acciperent, solitos ipsos fuisse respondere, *Amen*. Hunc enim ritum disertis verbis tradunt S. Augustinus S. Hieronymus aliique Patres.

IX. Decet quammaxime, ut absoluta Communione, Sacerdos reversus ad Altare, antequam in Tabernaculo sacram Pyxidem ponat, dicat Antiphonam, *o Sacrum convivium* una cum versiculo, *Panem de Caelo*, etc. et Oratione, *Deus qui nobis sub Sacramento mirabili*: desumptam ex Officio, quod Doctor Angelicus S. Thomas Aquinas concinnavit pro Festo Sacratissimi Corporis Christi, quod Urbanus IV instituit. Recte autem et illud subdit nostrum Rituale, ut tempore Paschali ad ipsam Antiphonam, et Versiculum addatur *Alleluja*, et loco Orationis *Deus qui nobis* sub Sacramento mirabili dicatur Oratio, *Spiritum nobis Domine*, quae est Postcommunio Missae Dominicae Resurrectionis, quod magis Communioni, quae Paschali tempore peragitur, conveniat. Dandam populo benedictionem a Sa-

cerdote, post administratam eidem Communionem, et repositam in Tabernaculo Pyxidem, statuit etiam S. Carolus Borromeus, et quidem sub ea verborum formula, quam praescribit nostrum Rituale. Interim dum dextera elevatur, sinistra ad pectus tenetur, et indicat bonam intentionem benedicentis.

CAPUT XI.

DE COMMUNIONE PASCHALI ET DE COMMUNIONE INFIRMORUM.

I. Certum atque exploratum est in primordiis Ecclesiae jam omnes fideles, quorum *erat cor unum, et anima una*, quotidie perseverasse in *communicatione fractionis Panis*, ut Acta ipsa Apostolorum testantur Cap. I. Quotidianam Communionem suadent Cyprianus, de *Oratione Dominica;* Ambrosius, Lib. V *De Sacramentis;* Augustinus aliique. Sed refrigescente charitate fidelium, plures cessare coeperunt non solum a quotidiana, sed etiam a frequenti. Hinc est quod Oecumenica Synodus IV Lateranensis, cui praefuit Innocentius Papa III anno MCCXV Canone XXII, decretum ediderit, quo fideles omnes, postquam ad annos discretionis pervenerint, omnino tenerentur, non modo *saltem semel in anno proprio Sacerdoti confiteri;* verum etiam *reverenter suscipere ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum.* Porro quod teneantur fideles Jesu Christi praecepto ad Eucharisticam communionem, probant Theologi primo his Christi verbis Matthaei Capite XXV: *Hoc facite in meam commemorationem*; quibus profecto verbis Christus jam non solum Apostolis injuxit, ut Sacrificium offerrent, sed etiam ut fidelibus Eucharistiam dispensarent, quemadmndum ipsi ab eo dispensatam receperant. Probant secundo iis aliis ejusdem Christi verbis apud Joannem, Cap. VI: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Si veterem disciplinam spectemus, videntur prioribus saeculis permissi fuisse ab Ecclesia fideles, ut pro sua pietate vel ad Eucharistiam accederent, vel ab ea abstinerent. Ratio est, quia, uti

inter alios adnotat Jueninus *De Sacramentis, Dissertatione VI Quaestione* IX Cap. II, nullum in monumentis septem priorum saeculorum mandatum legitur, quo sumendae Eucharistiae communioni tempus aliquod determinate universis Christifidelibus praecipiatur. Sacer Eucharistiae recipiendae ardor, qui in prioribus Christianis visus fuerat circa saeculum VIII in plerisque fidelibus, penitus elanguerat, eaque negligentia Ecclesiam adduxit, ut cuique fideli sacram Communionem praeciperet.

II. Tridentina autem Synodus Sess. 22 *De Sacrificio Missae*: *Optaret*, inquit, *Sacrosancta Synodus*, *ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu*, *sed Sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent;* poenam tamen excommunicationis solum iis inflixit, qui praeceptum sumendae sacrae Eucharistiae saltem in Paschate inficiarentur. Patres Concilii Lateranensis, cum suspicarentur haud esse defuturos qui Eucharistiam Paschali tempore sumere, adeoque praeceptum suum exequi detrectarent, eam poenam statuerunt: *Alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura*. Idem decernit nostrum Rituale Romanum, idem aliae passim Synodi, ac Rituales Codices post praedictum Lateranensem Canonem statuerunt. Cum tamen evenire possit, ut Confessarii consilio a percipiendo Eucharistiae Sacramento aliqui tunc abstineant, hinc ejusdem Concilii Patres eos ab omni poena liberos et immunes his verbis declaraverunt: *Nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum*. Quamobrem in Dioecesibus bene institutis Parochi de praecepto Paschalis Communionis populum per Quadragesimam admonent, diligenter eos describunt qui huic praecepto satisfaciunt, et illos pariter qui jussa detrectant, uti praecipitur per Rituale.

III. Inter Libros, quos sibi conficere et habere unusquisque Parochus debet ex nostri Ritualis Romani praescripto, est et Liber, qui dicitur *Status animarum*. In quo quidem describere et eos Parochus debet, qui ad sacram Communionem admissi sunt. Concinunt autem

nostro Rituali tum alii Episcopi in suis Synodis, tum vero potissimum S. Carolus in suo Provinciali V Concilio Mediolanensi. Illud quoque constitutum passim et in aliis Conciliis legitur, quod in nostro Rituali edicitur, ut Parochus nempe, qui dicto tempore *non communicaverint, et post octavam Paschae eos qui propriae salutis immemores, saepius admoniti non obtemperaverint, Ordinario suo denunciet.* Tempus Paschale pro Communione statutum ex declaratione Eugenii Papae IV et communi fere Ecclesiae praxi, a Dominica Palmarum incipit, finitque in Dominica in albis: invaluit tamen alicubi consuetudo, ut in Lusitania atque in Hispania, ut quis ad praeceptum Ecclesiae adimplendum communicare possit in quolibet die Quadragesimae, vel, juxta morem Dalmatiae, post Quadragesimae medietatem. Quum ex sacris Canonibus, ac celebri illo praesertim Lateranensi, debeat quisque fidelis a proprio Parocho Communionem Paschalem sumere, merito Rituale Parochum monet, ut alienae Parochiae fideles ad proprium Parochum remittat. Ita plane inter alios statuit S. Carolus in Instructionibus de Sacramento Eucharistiae.

IV. Antiquissimam esse Ecclesiae disciplinam administrandae Eucharisticae Communionis infirmis, docent nos ecclesiastica monumenta. Tametsi Eucharistia quae morituris administratur, hodie *Viaticum* appelletur, imo nomine *Viatici* hodie unice ipsa communio Eucharistica morituris administratur, secus tamen apud veteres fuit. Ii enim nomine *Viatici* comprehenderunt quaecumque morientibus prodesse possent, ut securius tutiusque in alteram vitam proficiscerentur. A solo Parocho deferenda est ad infirmos Eucharistia, nullusque Sacerdos, sive saecularis, sive regularis, potest eam ad infirmorum domos extra casum necessitatis deferre. Opportuno tempore sacrum Viaticum aegrotanti procurandum est, cum scilicet probabile est, quod illud amplius sumere non possit, et cum compos est sui valetque intelligere, se sacri Viatici vigore confortatum ex hujus miserae peregrinationis itinere ad caelestem patriam tendere. Non debet in eodem morbo Communionem saepius dari per modum Viatici, nisi aliquod novum periculum urgeat, ut a sacra Congregatione S. R. E.

Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum declaratum fuit.

V. Quamquam vetus sit et recepta omni aevo Ecclesiae disciplina, ut Eucharistia nonnisi jejunis praeberetur, ex praescripto nihilominus sacrorum Conciliorum, praxique, quibus nostrum Rituale inhaeret, *potest quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis.* Quod plane definitum jam fuit in Concilio Constantiensi Sessione XIII. Atque hanc antiquam communemque Ecclesiae praxim pluribus Conciliorum Decretis probat inter alios doctissimus religiosissimusque Cardinalis Brancatius in Opusculo: *De Sacro Viatico* p. 146 et seqq. Expeditum haud satis est, quo ritu olim Eucharistia fuerit ad aegrotantes delata. Illud plane constat ex Capite, *Sane X De Celebratione Missarum*, Honorium Papam III qui claruit initio saecul. XIII mandasse Presbytero, *ut eam ad infirmum in decenti habitu, superposito mundo velamine, ferat, et referat manifeste, ac honorifice ante pectus.* Quo tandem habitu indutus esse Parochus debeat, cum ad aegrotum Eucharistiam defert, non exprimit Rituale sed inquit: *Decenti habitu, superposito mundo velamine.* Adhibuit verba Honorii Papae III. Porro decens habitus in ea functione intelligitur Superpelliceum et Stola. Pluviale una cum Superpelliceo ac Stola, in deferenda ad aegrotos Eucharistia adhibendum, in variis Synodis constitutum legitur. Debere autem Pluviale ipsum ac Stolam esse albi coloris, ex generalibus Missalis Rubricis addiscere licet. Adhibendum praeterea est mundum velamen ex praescripto nostri Ritualis. Solet velamen istud sericum esse albi coloris, ac auro intextum, superponiturque Superpelliceo vel Pluviali, si una cum illo id adhibetur, ut Sacerdos sacram Pyxidem gestans istius veli extremitatibus illam cooperiat, ut Rubricae Missalis praescribunt ac Sacrae Synodi mandant.

VI. Ut decentius honorificentiusque sacra ad infirmum Communio deferatur, recte statuit nostrum Rituale, quod alias variae Synodi sanxerunt, ut nempe Parochus processurus ad communicandum infirmum, aliquot Campanae ictibus jubeat convocari parochianos, seu Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti, ubi fuerit

instituta, seu alios pios Christifideles, qui sacram Eucharistiam cum cereis comitentur, et umbellam, seu baldachinum deferant. Praeter competentem cereorum numerum, quibus deferenda est Eucharistia ad infirmum, quatuor etiam accensas lanternas circa Sacerdotem Sacramentum gestantem deferri oportere, statuit quidem Benedictus Papa XIII in Concilio Romano. Quum ex complurium Conciliorum Decretis, ac praesertim ex Decretali Honorii Papae III in Capite, *Sane*, *De celebratione Missarum*, Eucharistia deferenda sit ad infirmum cum omni reverentia et timore, non mirum videri debet, si et nostrum Rituale, et recentiores Synodi, honorificum in ea Eucharistiae delatione apparatum praescribunt, prohibentque, noctu *Sacramentum deferri, nisi necessitas urgeat.* Praeferri consuevisse in sacris Processionibus, vas cum aqua benedicta, docent passim qui sacros ritus enarrant, interque alios Jacobus Eveillon *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. III. Defertur autem speciatim cum portatur Eucharistia ad infirmum, quod aqua ipsa, Sacerdos debet infirmum aspergere. Septem psalmos poenitentiales decantari mandant in delatione Eucharistiae permultae Synodi, inter quas Salernitana anni MDLXXXIX. Porro nostrum Rituale nulla facta Psalmorum poenitentialium mentione, soli Parocho, seu Sacerdoti Eucharistiam ad infirmum deferenti mandat, ut incedat, dicens Psalmum, *Miserere*, et alios Psalmos et Cantica quae scilicet memoriter tenet.

VII. Mos autem antiquus est, ut Sacerdos infirmi cubiculum ingrediens, non modo ad eum communicandum, verum etiam ad sacro Oleo inungendum, dicat primum, *Pax huic domui* ac deinde alias preces. *Pax huic domui* alludit quidem ad illud Christi Domini ad Apostolos dictum: *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite, Pax huic domui*, uti legitur in Evangelio Lucae, Cap. X. Ritum autem antiquum fuisse, ut infirmi communicaturi primum peccata confiterentur ab iisque absolutionem acciperent, docet nos inter alios Ritualis Codex Ecclesiae Turonensis. Hinc seclusa necessitate; ut multas difficultates evadat Parochus, servare hanc regulam debeat, ut nun-

quam ad aegrum cum Viatico accederit, nisi prius aegrum viserit ejusque confessionem exceperit. Juxta complurium veterum aeque ac recentiorum Ritualium praescriptum, communicaturi infirmi in modum Viatici interrogari solebant de Fide, ejusque professionem palam recitare. Quod ipsam formulam spectat, qua morituro infirmo Eucharistia in modum Viatici solita fuit praeberi, variat ea non nihil in variis Ritualibus. Porro usitata formula Viatici administrandi illa plane est, quae legitur in nostro Rituali *Accipe, frater* vel *Soror*, *Viaticum Corporis Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, et perducat in vitam aeternam.*

VIII. Reliquum est, ut quosdam alios ritus explicemus qui administrationem sacri Viatici spectant. Sane varia extant in Actis Sanctorum exempla, ex quibus docemur voluisse olim nonnullos ex ipsis morti proximos non quidem in proprio cubiculo, sed in Ecclesia sacrum Viaticum sumere, ibique supremum spiritum exhalare. Neque vero ille antiquus pariter hoc loco omittendus est ritus, ex quo addiscimus consuevisse fideles, ante vel post sacri Viatici acceptionem, veniam ipsos non modo ab illis petere in quos deliquissent, verum etiam et iis praebere, qui ipsos laesissent. Hujus rei praxim legere est in Actis Sanctorum, et in Libris Ritualibus omnium pene Ecclesiarum atque Religiosorum Ordinum passim. Accepta ab infirmo Communione Eucharistica, variae consueverunt et olim Orationum ac benedictionum formulae a Sacerdote super eum recitari, extantque eae passim in antiquis recentibusque Libris Sacramentorum a Martene allatis Libro I Cap. VII Articulo IV.

CAPUT XII.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

Poenitentiae nomen triplici sensu sumi in Scripturis, docet Catechismus Tridentini Concilii, itemque Theologi passim, ac post alios Joannes Morinus *De disciplina in administratione Sacramenti Poenitentiae*

et Jueninus *De Sacramentis Dissertatione* VI. Sumitur nempe primo pro poena, qua quis admissum scelus castigat. Sumitur secundo pro odio ac detestatione vitae veteris. Sumitur tertio pro resipiscentia seu pro mutatione iniquae vitae veteris in novam aliam, quae pia sit atque sancta. Praeter multiplicem hanc poenitentiae significationem, accipitur pro vero ac proprie dicto Novae Legis Sacramento, a Christo Domino instituto, quo peccata post Baptismum commissa delentur: atque de hoc quidem in praesenti agimus. Hoc Sacramentum apud SS. Patres pluribus nominibus appellatum est; dictum est quippe ***Mysterium reconciliationis, Remedium, Indulgentia, Remissio, Crucifixio hominis interioris, cordis confractio, secunda post naufragium tabula, laboriosus Baptismus, manuum etiam impositio*** a caeremonia olim in usu habita cum absolvebatur poenitens. De his similibusque poenitentiae appellationibus copiose agunt Novarinus, Morinus aliique. Habent et Graeci voces suas ad exprimendum id quod Latini significant nomine Poenitentiae, Μετανοιαν, *Metanoian*, Εξομολογησιν, *Exomologesin*, et Επιτιμιον, *Epitimion*, Μετανοια idem sonat ac Resipiscentia; Exomologesis idem significat ac latine Confessio; Επιτιμιον denique idem est, ac poena.

II. Institutum fuisse a Christo Domino Sacramentum Poenitentiae, et quidem post ejus Resurrectionem, Patres aeque ac Theologi docent. Porro cum hoc Sacramentum efficaciam habeat ex virtute Nominis Jesu Christi patientis et resurgentis, conveniens admodum fuit, ut post Resurrectionem Salvatoris nostri plene ac perfecte institueretur, et vis ejus praedicaretur. Sed ut ea potissimum, quae in nostro Rituali continentur, explicemus, recte profecto ait, ***quod ad illud constituendum tria concurrant, Materia Forma et Minister.*** Ut ergo singula enucleemus, ad materiam quod attinet Sacramenti Poenitentiae, duplicem eam esse docent communiter Theologi cum S. Thoma Parte III Quaestione LXXXIV Articulo II. Proxima sunt actus poenitentis, quorum tres veluti partes, ***contrictio constituunt confessio, et satisfactio.*** Remota sunt peccata quaevis post Baptismum admissa. Forma hujus Sacramenti sunt indi-

cativa absolutionis verba, quae Sacerdos profert *Ego te absolvo*. Minister denique, ut ait Rituale, est *Sacerdos habens potestatem absolvendi, vel ordinariam, vel delegatam*. Idque de Fide definitum est ex Decreto Eugenii Papae IV in Concilio Florentino, et ex Concilio Tridentino Sessione XIV Cap. VI.

III. Minister poenitentiae est Episcopus, aut Presbyter. Certum de fide est in ministro Sacramenti Poenitentiae duplicem requiri potestatem, ordinis scilicet et jurisdictionis. Recte autem atque opportune illud in nostro Rituali additum est, quod, *si periculum mortis immineat, approbatusque desit Confessarius, quilibet Sacerdos potest a quibuscumque censuris, et peccatis absolvere*. Atque haec est vetus Ecclesiae disciplina, quam memorat confirmatque Concilium Tridentinum Sessione XIV Capite VII. Reliqunm est, ut illas Sacramenti Poenitentiae Ministri dotes nunc explicemus, quas Rituale memorat his verbis: *In ejus Ministro requiritur etiam bonitas, scientia, atque prudentia cum sigillo secretae Confessionis sub exacto, perpetuoque silentio*. His plane concinunt, quae statuit S. Carolus in Concilio Provinciali I Mediolanensi. Necessaria est itaque in primis Conscientiarum moderatoribus bonitas et ut irreprehensibiles sint, et sint exemplo fidelibus in fuga vitiorum, in bonorum operum exercitatione, in omni conversatione. Id plane passim docent sacrae Synodi, ac Sancti Patres, inter quos S. Gregorius Parte II Curae Pastoralis. Secundo necessaria est in Sacramento Poenitentiae Ministro *Scientia*. Confessarius Judex est, medicus est: Judicis autem et Medici munere fungi, ut par est, non valet qui scientia fuerit destitutus. Necessaria est praeterea Poenitentiae Ministro prudentia singularis tum ad casuumque difficilium qui passim occurunt solutionem, tum ad salutarium consiliorum suggestionem, convenientiumque remediorum applicationem. Summa etiam patientia et benignitate praeditos esse oportet Sacramenti Poenitentiae Ministros, ut poenitentium rusticitatem, ignorantiam, imbecillitatem, tarditatem, aliosque defectus patienter ferant. Debet etiam Sacerdos poenitentibus compati, quam gratiam a Deo rogabat S. Ambrosius Libro II *De Poenitentia*, Cap.

VIII. Necessaria est insuper Confessario sollicitudo salutis animarum, qua placere non quaerat hominibus, sed prodesse ad aeternam eorum salutem procurandam.

IV. Quum privata et secreta Confessio semper in usu fuerit, de ejus sigillo agunt Theologi, scilicet de obligatione qua adstringitur Confessarius ad servandum secretum, quam triplici ex praecepto derivatam tuentur, naturali, divino et humano. Naturali jure nititur, 1° quia ex revelatione factae Confessionis plerumque sequeretur infamia in poenitentem, cui Jus Naturale vetat, ne detur locus. Divino Jure positivo nititur sigillum secretae Confessionis, sicut et ipsa Confessio sacramentalis, quia sine ipso consistere non posset, eoque sublato, veniret in odium hominum, eosque revocaret ab observantia praecepti de Confessione facienda, quod est Juris Divini: unde istius sigilli violatio, seu Confessionis revelatio, sacrilegium est, utpote in gravem Sacramenti Poenitentiae redundans injuriam. Nititur tertio ipsum sigillum Jure Ecclesiastico, quia Ecclesia gravissimis poenis illos subjecit qui tale sigillum frangere auderent. Summam revera semper fuisse sigilli religionem, erui ex Tertulliano potest, Ambrosio, Basilio, Paulino, eamque aperte praecepit Concilium Carthaginense III Can. 54.

V. Studium insuper precandi necessarium est Confessariis. Cum enim moderator animarum consilio et judicio excellere debeat, *ut sciat reprobare malum, et eligere bonum*, teste Isaia Cap. VII et *distinguere*, ut Deus ad Moysen loquebatur, Deuteronomii Cap. XVII, *inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram, et lepram*, id plane a Deo efflagitare debet, ut det ei sapientiam et intelligentiam, exemplo Apostoli qui suorum etiam Thessalonicensium invocavit preces, quo suae praedicationis Evangelicae cursus esset felicior et fructuosior, sic ad eosdem scribens Cap. III: *De caetero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat, et clarificetur*. Jam non sufficit Confessariis precandi studium, sed opus est etiam ut doctrinae attendant, scientiamque sibi comparent ex probatis auctoribus, praesertim vero ex Sacra Scriptura et Sacris Canonibus, nec praetermittendum et studium SS. Patrum,

Asceticae, Mysticae Theologiae, et Sanctorum Vitarum. Sciant praeterea casus et censuras Sedi Apostolicae et Ordinario suo reservatas. Casuum reservatio dicitur ea, qua nonnulla graviora peccata majoribus Ecclesiae Praelatis reservantur, ita ut inferiores ea remittendi potestatem non habeant, nisi haec potestas ipsis specialiter fuerit concessa. Est autem duplex haec reservatio, alia Episcopalis, alia Papalis: prior est, qua ipsi Episcopi quaedam peccata sibi reservant; reservatio Papalis est illa, qua nonnulla atrociora crimina Papae reservantur, ut nemo ab iis, praeter Papam, aut ab eo potestatem habentem, absolvere ordinarie queat. Docent haec passim Theologi de casuum reservatione agentes in Tractatu: *de Sacramento Poenitentiae*. Plura scitu digna de ipsa casuum reservatione videri possunt apud Benedictum XIV Lib. V *De Synodo Dioecesana*, Cap. IV et V.

VI. Inter alias dotes quibus praeditus esse minister Sacramenti Poenitentiae debet, illam potissimum in variis Synodis, atque Episcoporum Constitutionibus explicatam habemus, praesertim vero a S. Carolo in Instructionibus Confessariorum, et in illis quas de Sacramento Poenitentiae conscripsit, ut ne quemquam poenitentem, subterfugiendi laboris causa, rejiciat, ne nutu quidem, nedum verbis; imo se paratum semper, facilem humilemque praebeat. Locum praecipuum excipiendis confessionibus esse Ecclesiam, immo juxta veterem disciplinam servatum fuisse locum Altaris vicinum, docent nos priscae Synodi. Haec Rubrica tamen non includit casus necessitatis, seu ob infirmitatem seu ob aliam causam, propter quam audiri quis non possit in loco Sacro, seu in Ecclesia. Illud profecto passim ab Episcopis et a Conciliis statutum fuit, ut confessiones, maxime mulierum, in loco Ecclesiae patenti omnibusque conspicuo exciperentur. Praescriptus est in variis Conciliis ritus, ut Sacerdos sacras Confessiones excepturus, indutus sit superpelliceo et Stola. Id jam inter alia statuit Concilium Coloniense anni MCCLXXXII Cap. VII: *Ut Sacerdotes*, inquit, *induti superpelliceis, vel cappa, stola superposita, ad confessionem sedeant*. Idem legitur in multis aliis Synodis. Probatissimus antiquus ille mos

fuit, ut peccator confessionem acturus, humilitatem vultu et habitu praeseferens, ad Sacerdotem accederet. Ea de causa antiquissimi Romani Ordines, vulgatus Alcuinus, Codicesque Rituales multi praecipiunt, ut ante omnia baculos, si quos habent, poenitentes deponant, idemque dicendum de gladiis, ensibus, et armis. Prostratum nonnisi ad terram consuevisse poenitentem poenitentiam postulare, docent memorati Romani Ordines, ac Rituales Libri non pauci. Ad interrogationes quod attinet faciendis ex praescripto Ritualis a Confessario poenitentem, inquirere debet de illius statu, et quampridem sit confessus. Interrogandum de ejus statu, ac ministerio poenitentem, Synodi passim, ac Rituales antiqui Libri praescribunt. Ratio ejus interrogationis est, quia in quovis statu hominis, et ministerio adsunt praecepta obligatoria, contra quae delinquere quisque potest, ac solet. De aliis interrogationibus consule Theologos ex variis Synodis, quas longum esset hoc recensere, illud addiscimus, quod ubi rudes personae, quae praecipua Fidei mysteria ignorant, ad Confessionem accedunt, debeat ipsos Confessarius instruere cum christiana charitate et patientia de principiis Religionis, quae scire tenentur.

VII. Antiquae sunt prolixaeque generalis Confessionis formulae, quae passim occurrunt in antiquis Sacramentorum Libris. Porro, quod, facto signo Crucis, debeat poenitens dicere *Confiteor*, prout dicitur in Missa, et si ignarus sit, debeat Confessarius una cum poenitente Confessionem ipsam generalem facere *vulgari sermone*, praescripsit etiam Sacerdotale Romanum Parte I, Tractatu III *de Sacramento Poenitentiae*, Capite XVI aliique Rituales Codices permulti. Hinc corrigendus abusus ille quorundam poenitentium, qui nullo sibi facto Crucis signaculo, nec recitata generali Confessione latina vel vulgari lingua, ut ait Rituale, ex abrupto, ut dici assolet, peccata recitare incipiunt. Quoad vero patris verbum, quo Confessarius a poenitente appellatur satis id ostendit, quanta ac qualis debeat esse patientia et charitas Confessarii erga poenitentes in sufferendo eorum rusticos et agrestes modos, ignorantiam atque imbecillitatem. Cavendum quam maxime Con-

fessario, ne poenitentem, dum confitetur peccata, reprehendat, nisi finita confessione; ut ait Rituale: et ratio est ne occasionem det ei peccata reticendi, ut frequenter contingit praesertim in rudium, rusticorum, puerorum, mulierumque confessione. Hinc tum Patres, tum Synodi, Librique Rituales non pauci Confessarios monent, ut siqui pudore impediti, vel timore detenti peccata confiteri non audent, ipsis animos addant, ac dicant, nihil esse quod vitia sua aperire vereantur, neminem hominem esse, qui infirmus fragilisque non sit, et in gravia peccata cadere non possit: Sacerdotem hominem esse poenitentibus similem, peccatorem, qui compati sciat peccatoribus: Christum non Angelis, sed hominibus administrandae poenitentiae auctoritatem commisisse, ne homines peccata sua detegere vereantur iis, qui nullam ad peccandum proclivitatem haberent.

VIII. Confessario inter alia incumbit, ut si poenitens numerum, et species, et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum prudenter interroget. De cohortatione et monitione Confessariis ad poenitentem, finita Confessione, egregie disserit S. Carolus in suis *de Sacramento Poenitentiae*, *Instructionibus*. Optimum plane esset, ut Confessarius inter alia et illud monitum det poenitenti, quod dedit Christus Dominus languido Probaticae Piscinae, Joannis Capite V: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Plura scitu digna de satisfactione quae *poenitentiae* nomine vulgo intelligitur, explicat Tridentini Concilii Catechismus, veteremque de ea Ecclesiae disciplinam late exponit eruditissimus Morinus in celebri opere: *De administratione Sacramenti Poenitentiae*, ex quo nonnulla notavit Martene Lib. I *De antiquis Ecclesiae Ritibus*, Cap. VI Articulo IV per totum. Est autem Satisfactio rei debitae integra solutio. Et quidem satisfactionis necessitatem Dei praecepto peccatoribus impositam esse, Patres Ecclesiae omnes affirmant ac Synodi, probaturque celebri illa S. Joannis Praecursoris Jesu Christi sententia in Evangelio Lucae, Cap. III: *Facite fructus dignos poenitentiae.* Quid enim aliud sibi volunt digni fructus poenitentiae, quam satisfactionem per opera justitiae? *Poenitentiam dico,*

inquit S. Joannes Chrysostomus Homilia X in Matthaeum, *non solum, ut a malis prioribus desistamus, verum etiam ut bonorum operum fructu impleamur.* Quod autem satisfactio ipsa, idest compensatio, qua homo pro peccatis commissis Deo aliquid impendit, in Sacramento Poenitentiae a Sacerdotibus imponenda, Divina sit auctoritate instituta, evidentissime testatur inter alios S. Leo Magnus Papa in *Epistola LXXXII* alias XCI ad Theodorum Forojuliensem Episcopum.

IX. Explicandum hic illud censeo, quod mandat Rituale, Satisfactionem nempe debere esse proportionatam gravitati criminum. Haec quippe veterum est Patrum doctrina in variis Conciliis confirmata, et novissime etiam in Tridentino Cap. VIII Sessionis XIV: *Debent ergo,* inquit, *Sacerdotes Domini, quantum spiritus, et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et poenitentium facultate, salutares, et convenientes satisfactiones injungere.* Superest nunc, ut cum Juvenino varias rationes recenseamus, quibus Satisfactionis necessitatem, proportionem, et fructum confirmat, ac probat. Prima ratio petitur ex eo, quod inter praecipuos satisfactionis fructus recenseri debeat vitiosorum habituum emendatio. Altera ratio est, qua nititur proportionatae peccatis satisfactionis necessitas, in eo posita est, ut apta sit ad avertendam imminentem a Domino poenam. Tertia ratio, quam Synodus Tridentina adhibet, ut satisfactionis peccatis congruae necessitatem demonstret, desumitur ex conformitate, quam quisque poenitens debet habere cum Christo, quem Deus Pater singulis poenitentibus ad exemplum proposuit. Porro opera, quibus satisfacere Deo possumus, quaeque Confessarius in poenitentiam peccatorum imponere debet, reduci posse ad haec tria, orationem scilicet, jejunium, et eleemosynam, tradunt Synodi passim, itemque Eugenius Papa IV in Florentino Generali Concilio. Revocatur autem ad orationem quaecumque Deo proxime exhibentur, ut Sacrificium, laus, gratiarum actio, meditatio, contemplatio, piorum librorum lectio ad meditationem ipsam et orationem ordinata. Ad jejunium omnia, quibus caro macerari et castigari solet, nempe asperitas victus et vestitus, vigiliae, humi cubationes, genuflexiones, terrae

deosculationes, solitudo, silentium, abstinentia a vino, a ludis, itemque piae peregrinationes, flagellationes, et alia id genus.

X. Obviis quibuscumque concedendam non esse absolutionem, sed iis omnibus negandam, quorum nulla vel ficta conversio; iis vero differendam, quorum dubia et incerta poenitentia est, docent passim Moralis Theologiae Doctores, probantque variis Divinae Scripturae Oraculis, unanimi Patrum consensu, ac repetitis Conciliorum Decretis. His itaque adhaerens nostrum Rituale, Confessarium monet et primo quidem, ne eos absolvat, *qui nulla dant signa doloris*. Sed nec illud revocari in dubium potest, quin teneatur Confessarius ipse diligenter advertere, utrum poenitens verum habeat dolorem de suis peccatis, priusquam illum absolvat. Atque hic lubet varia argumenta referre a Cardinale Denoff tradita in Pastorali Instructione ad Confessarios suae Dioecesis, ex quibus judicare Confessarius potest, eos poenitentes verum dolorem minime habere, quidquid aliter affirment, qui, primo, ad Tribunal Poenitentiae accedunt cum quadam superbiae specie: secundo qui peccata narrant velut res plane indifferentes: tertio qui confitentes peccata, culpam, et reatum in alios transferre satagunt: quarto qui recusaverunt poenitentia satisfactionem congruam et convenientem implere: quinto qui nolunt uti remediis propriis ad evitanda peccata: sexto neganda est absolutio iis, *qui odia, et inimicitias deponere nolunt.* Idque fundatum est in celebri illa Salvatoris nostri sententia Matthaei Cap. VI: *Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*: septimo neganda est iis *Absolutio, qui aliena, si possunt, restituere nolunt*. Notum quippe illud est S. Augustini in Epistola CLIII ad Macedonium: *Si enim res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur poenitentia, sed fingitur*: octavo negànda absolutio est illis, *qui proximam peccandi occasionem deserere nolunt*. Occasio proxima peccati est illa, quae ex natura sua aut semper, aut fere semper ad peccatum inducit: nono neganda est absolutio iis, *qui peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolent.* Qui enim

poenitentiam ita agunt, ut in eadem peccata dilabantur, foedissime poenitentiam agunt, ut loquitur Concilium Toletanum III: decimo neganda est absolutio iis, *qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant;* quantum scilicet ipsi possunt, ut docet S. Carolus in suis ad Confessarios Instructionibus: decimo primo tandem neganda est iis absolutio, *quorum peccata sunt Superioribus reservata.* Praeter hactenus nominatos homines, quibus ex nostri Ritualis praescripto deneganda est absolutio, sunt et alii multi, qui ex insignium Theologorum sententia et variorum Conciliorum Decretis, nec licite nec valide absolvi possunt.

XI. Certa est illa sententia, quam omnes Theologi communiter tradunt, confitentem in periculo mortis constitutum, absolvendum esse *ab omnibus peccatis, et censuris quantumvis reservatis.* Veteri quidem Ecclesiae disciplina, Patrumque auctoritate probatur, quod in nostro Rituali edicitur, ut nempe non modo iis, qui inter confitendum vocem usumque loquelae amiserunt, verum etiam illis, qui morbo lethali correpti desiderium confitendi, sive per se, sive per alios ostenderint, absolutio praebeatur. Quamquam aegris injungi non possit gravis, aut laboriosa poenitentia, quam ipsi tum impleant, significanda tamen est illis ipsa poenitentia, quam, si convaluerint, implere teneantur.

CAPUT XIII.

DE ABSOLUTIONIS FORMA, DE ABSOLUTIONE AB EXCOMMUNICATIONE IN FORO EXTERIORI ET DE RITU ABSOLVENDI EXCOMMUNICATUM JAM MORTUUM.

I. Absolutionis nomen, uti recte (1) omnes Theologi docent, desumptum est ex iis Christi verbis ad suos

(1) Jueninus, *De Sacramentis*, Diss. VI Quaest. VII.; Estius, in IV *Sententiarum*, *Distinctione* XV § XV; Morinus, *De disciplina in administratione Sacramenti Poenitentiae*, Lib. VIII Cap. VIII; Martene, *de antiquis Ecclesiae Ritibus*, Cap. VI Articulo VII; Catalano, ad *Rituale Romanum*, Titulus III Cap. II. III. IV. V.

Apostolos et Episcopos, eorum primarios successores, nec non ad inferioris Ordinis Sacerdotes: *Quaecumque solveritis super terram etc.* Et rursum: *Quorum remiseritis peccata* etc. Esse autem absolutionem formam Sacramenti Poenitentiae, Dogma Fidei est definitum tum in Decreto Florentini Concilii, tum in Tridentina Synodo, Sessione XIV *De Poenitentia*, Cap. III. Nonnunquam illa eadem forma, ut inter alios observat Jueninus, vocata fuit a Patribus *impositio manuum*, vel quod extensis manibus supra poenitentes eam proferret minister, vel quod antiquitus deprecative proferretur, idest per modum orationis.

II. Ex veteri Ecclesiae disciplina absolutio, si nulla urgeret necessitas, post expletam omnem poenitentiam concessa fuit. Nulla fere est Epistolarum S. Cypriani pagina, ubi id non inculcat, quod quaecumque peccata admissa fuerint, ad communionem nemo admittatur, nisi justo tempore poenitentiam egerit. Qui porro secuti sunt Patres, eamdem de poenitentium reconciliatione disciplinam ad unum omnes et servaverunt, et inculcaverunt. Primam quidem absolutionis differendae causam eam tradunt Patres, quod vulnera animae a peccatis inflicta opportunis remediis, ut obducantur, indigeant. Tandem illius, de qua disputamus, disciplinae causa non ultima illa erat, quod hoc pacto num sincera ac stabilis poenitentium esset conversio, dignosceretur: attamen quibusdam casibus ante emensa poenitentiae spatia dabatur absolutio. Primo cum urgebat mortis periculum. Secundo cum in discrimine versabatur poenitentis salus. Tertio concedebatur absolutio lapsis ante poenitentiam, ut subeundo martyrio idonei redderentur. Ceterum posterioris temporis Ecclesia, justis haud dubie rationibus mota, eum satisfactionis et absolutionis ordinem paulatim immutavit, et absolutionem iis, qui vere poenitentes viderentur, etiam ante peractam satisfactionem impendit.

III. Absolutio a Sacerdote impendenda est hac verborum formula: *Ego te absolvo a peccatis*, cum precibus quae his verbis adjunguntur. Etsi ergo preces, quae formae absolutionis praemittuntur, scilicet, *Dominus noster Jesus Christus te absolvat*, ad ritum spe-

ctent, non ad formae substantiam; nequeunt tamen praetermitti, nisi urgeat gravis necessitas ac mortis periculum. Longum esset varias, quae olim in usu erant, absolutionum et a censuris, et a peccatis formulas hic recensere. Illud plane diligenter hodie ab omnibus Sacramenti Poenitentiae ministris observandum est, ut in ejus administratione minime a praescripto Romani Ritualis, a Paulo Papa V et novissime a Benedicto XIV probati, recedant. Enarrandi nunc sunt ritus in nostro Rituali praescripti, quales sunt elevatio manus dexterae Sacerdotis, dum dicit: *Indulgentiam, absolutionem*, et efformatio signi Crucis super eundem, dum post ipsam absolutionem a peccatis dicit: *In Nomine Patris* ✠ etc. Ipsa elevatio manus in locum impositionis manus introducta est, quae quidem ex pervetusta Ecclesiae disciplina ab ipsis, ut probabile est, Apostolis tradita, super poenitentes, quum reconciliabantur, fiebat. Quidquid sit, ritum ipsum, sive elevandae manus super poenitentem, ut est disciplina recentior, sive manus imponendae, ut erat antiquior disciplina, tametsi ad Sacramenti necessitatem minime pertineat, servandum tamen et Rituales antiqui Codices, et Synodi etiam multae praescribunt. Haec manus elevatio, juxta Barrufaldium et alios, est signum extrinsecum victoriae contra peccatum. Quod vero spectat alium ritum, sicut in aliis Sacramentis, ita et in isto Poenitentiae, signum Crucis manu efformat Sacerdos, ad designandum cujus merito fiat peccatorum remissio, videlicet Christi Crucifixi. Nam et ea vetustissima est Ecclesiae consuetudo, omnibus Sacramentis, aliisque mysticis actionibus signum Crucis adhibere, quemadmodum testatur S. Augustinus *Tractatu CXVIII in Joannem*. Porro quamvis hominem impoenitentem absolvere non liceat, debet tamen Sacerdos si quem impoenitentem cogitur a se dimittere, praesertim aliis praesentibus, dictas externas caeremonias, manus scilicet impositionis, seu elevationis, et signi Crucis etiam adhibere, ne harum caeremoniarum omissio sit impoenitentis animi proditio, et negatae absolutionis indicium. Idque dicendum de eo, cujus absolvendi potestatem, ob casum aliquem reser-

*

vatum, non habet, vel cujus absolutionem quacumque ex causa differt in aliud tempus.

IV. Quamquam quisque Confessarius possit a censuris absolvere in foro interno, si ipsae nimirum aut a Iure, aut ab homine latae, non sint Superioribus reservatae, non potest tamen in Foro exteriori sine speciali Superioris mandato. Cautum ex sacris Canonibus est, ut qui ab excommunicatione sive a Canone, sive ab homine lata absolutionem petit, expresse juret parere Ecclesiae mandatis.

V. Posse fideles vita functos excommunicatione innodatos, si prius dederint signum contritionis, ab eadem absolvi, certum est generatim et indistincte loquendo, sicque passim docent Canonici Iuris Interpretes, quinimo ipse Romanus Pontifex Maximus Innocentius III in Capite, *A nobis,* itemque multi antiqui Canones, quos profert Albaspinaeus Lib. I *Observationum Sacrarum* Cap. X. Duplicem itaque ob causam introducta est ab Ecclesia absolutio defuncti excommunicati, si nempe decedens signum contritionis, vel poenitentiae dederit. Prima est, ne ecclesiastica careat sepultura. Secunda ut suffragiis Ecclesiae adjuvetur. Ergo ut defunctus excommunicatus absolvi possit, omnino requiritur, quod nostrum Rituale statuit, ut nimirum *ex hac vita decedens dederit signum contritionis,* sive, ut habet in Capite *a nobis* Innocentius III *sive de ipsius viventis poenitentia per evidentia signa constiterit.* Sunt autem poenitentiae signa, verbalis detestatio delicti, petitio absolutionis, oblatio juramenti de parendo mandatis Ecclesiae, elevatio oculorum et manuum ad caelum, percussio oris, et pectoris, quia forte loqui non potest, et his similia, ut ex Canone, *Qui recedunt,* et aliis sequentibus, Causa XXVI, Quaestione VI tradunt Hostiensis, Ioannes Andreas, et alii communiter apud Fagnanum, in Capite *a nobis, De Sententia excommunicationis,* num. 13. Caeremonia autem in eo potissimum consistit, ut fiat publice et coram testibus, itemque virga aut funiculis, non quidem super humerum denudatum, ut in vivis, sed supra totum corpus, ut post Pyrrhum Corradum Libro VIII *Praxis Dispensationum Apostolicarum Cap. X* notavit Barrufaldius: quamquam

ex sacris Canonibus, si casu aut vi cadaver excommunicati illatum sit in sacrum Coemeterium, extumulari jubetur, si discerni possit. Mandat vero nostrum Rituale, non esse tunc exhumandum, sed verberandum sepulchrum a Sacerdote dicente Antiphonam: *Exultabunt Domino ossa humiliata*, et Psalmum *Miserere*. Notandum ultimo, quod licet Rubrica non praescribat colores indumentorum, quibus Sacerdos absolvens excommunicatum mortuum indui debet, attamen ex Corset-, habetur quod Sacerdos indui debet superpelliceo, stola nigri coloris juxta ritum in officio defunctorum, in eorum absolutione praescriptum.

CAPUT XIV.

SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS, ET DE ORDINE MINISTRANDI SACRAMENTUM EXTREMAE UNCTIONIS.

. Optime, in proemio dissertationis suae septimae Samenti hujus animadvertit Gaspar Iuveninus varia esse iina: et primo quidem ob materiam ex qua constat apari a Graecis *Oleum Sanctum*. Secundo ex materia orma simul sumptis vocari *Orationem cum oleo*. Tera subjecto a quo recipitur, dici a Latinis *Unctionem* ...*morum, et Sacramentum exeuntium*. Quarto ex ordine quem habet ad alias unctiones istam praecedentes, appellari *Unctionem extremam*. Extremae Unctionis Sacramentum tanquam caelestem medicinam, non animae solum, sed etiam corpori salutarem, omni studio et diligentia, periculose aegrotantibus esse adhibendum, merito edicit nostrum Rituale.

II. Effectus Sacramenti Extremae Unctionis explicantur profecto per haec Beati Iacobi verba: *Oratio Fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et, si in peccatis sit, dimittentur ei*. Quibus ex verbis constat duos esse principales hujus Sacramenti effectus,

(1) Victorellus, *De sacro Extremae Unctionis Sacramento*, Cap. I et seqq.; Sambovius, *De Sacramento Extremae Unctionis*, Cap. I et seqq.; Catalano, *Rituale Romanum commentariis illustratum*, Titulus V Cap. I et II.; Baruffaldus, *ad Rituale Romanum Commentaria*, Titulus XXVII.

alterum ad corpus, alterum ad animam pertinentem. Et quidem, quod effectum spectat pertinentem ad corpus, Iacobi Apostoli testimonio inhaerens Synodus Tridentina Sessione XIV Cap. III diserte docuit, tradiditque, per ipsum Sacramentum Extremae Unctionis, aegrotantem, *sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequi*. Ad effectus quod attinet respectu animae, quatuor communiter recensentur. Primum locum videtur obtinere Gratia sanctificans, quod ei Sacramento cum reliquis Sacramentis commune est, quodque definitum etiam fuit a Tridentino Concilio. Alter ejus effectus est, arma viresque dare, quibus fortiter resistere possimus tentationibus, quas daemon communis generis nostri hostis inferre solet vita praesertim periclitantibus, et fiduciam illam nobis conatur eripere, quam in paterna Dei misericordia collocare debemus. Tertius effectus est, delere peccata venialia, et etiam mortalia, quando aegrotus veram concepit contrictionem, et facultatem non habuit ea confitendi. Idcirco B. Iacobus ait: *Et si in peccatis sit*, scilicet infirmus, *remittentur* ei. Quartus denique et ultimus hujus Sacramenti effectus, qui ei maxime proprius est, est animam a reliquiis peccatorum liberare.

III. Inungendos esse infirmos antequam sensu careant, expresse graviterque inculcat Tridentini Concilii Catechismus, Num. XVIII. Quod antiquitus statim ut aliquis vita periclitaretur infirmus, eo ipso inungeretur, nec, ut omnino jam desperatus esset, aut extremum exhalaturus spiritum expectaretur, triplici comprobat argumento Martene Lib. I *De antiquis Ecclesiae Ritibus*, Cap. VII. Ex veteri Ecclesiae more Unctio Extrema sacro Viatico consuevit praemitti, et haec disciplina praemittendi Extremam Unctionem Viatico perstitit ad saeculum XIII. Tandem generali fere Occidentalis Ecclesiae consuetudine receptum est, ut Eucharistia sacram Unctionem praecedat: quod nostrum Rituale injungit. Non desunt tamen plura itidem vetera et Ritualium, et Scriptorum loca, quibus docemur, praemissum fuisse Viaticum ipsum Extraemae Unctioni, uti videre est apud Martene Lib. I *De antiquis Ecclesiae Ritibus*, Cap. VII, Articulo IV.

IV. Oleum sanctum suum habere debet Repositorium separatum a quocumque alio loco; nam neque in Fonte baptismali, neque in Tabernaculo, neque in Reliquiarum sacrarum custodia reponi debet. Proprie situm debet esse in pariete Ecclesiae ad cornu Evangelii. Ostiolum habeat ex ligno quod bene claudat, cum sera et clavi, extra quod picta sit bursa rubea, et subtus litteris majusculis haec verba legantur: *Sanctum Oleum Infirmorum*. Vasculum ex argento vel stanno esse oportet, cum suo operculo ejusdem metalli. Solis corpore infirmis praebendum esse Sacramentum Extremae Unctionis docet nos S. Iacobus Apostolus in Epistola sua, Cap. V. Quam gravis autem corporis infirmitas requiratur, ut ad mentem Apostoli Iacobi, sacramentali hac Unctione infirmus inungi queat, facile determinari nequit, uti observat Van-Espen Parte II *Iuris Ecclesiastici universi*, Tit. VIII Cap. II num. III, probatque ex eo, quod Apostolus simpliciter et indefinite dixit: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros*. Quod vero aetatem spectat ad Extremam hanc Unctionem requisitam, expressam illam habemus in nostro Rituali: *Debet hoc Sacramentum infirmis praeberi, qui, cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur*. Similia legere est in variis Ritualibus Synodisque recentioribus. Amentibus et phreneticis ob periculum scandali et irriverentiae deneganda est Extrema Unctio, ne acta irriverentiae promat tunc cum mente delirat, nec distinguit Sacrum a non Sacro. Ideoque Rituale praecipit rationabiliter, ne inungantur hujusmodi phrenetici, nisi periculum irriverentiae tollatur omnino. Unum restat quod et hic adnotemus, quod nempe docet Catechismus Tridentini Concilii Parte II *De Extremae Unctionis Sacramento*, num. XIX, ubi expresse ait, amentem a nativitate nullo modo isto Sacramento donandum. Idem praescribunt pleraeque Synodi, docentque passim Theologi.

V. Quatuor hominum genera ex praescripto Ritualis a Sacramento Extremae Unctionis arcentur; nempe primo Impoenitentes, Manifesti peccatores, Excommunicati, et nondum baptizati. Impoenitentes sunt qui publice peccaverint, nec ullum poenitentiae signum dederunt,

adeo ut a peccato suo recessisse nemini notum sit. Cum enim conferatur per modum sanationis spiritualis, praesupponit vitam spiritualem, quae per reconciliationis Sacramentum poenitenti restituitur. Hanc rationem a Theologis allatam, confirmat Ecclesiae perpetua consuetudo, quae nonnisi reconciliatos et praeterea Viatico Corporis Domini praemunitos hujus sacrae Extremae Unctionis participes facit. Atque haec est ratio, ob quam ab ipso Sacramento excludendi pariter sunt, *qui in manifesto peccato moriuntur*, itemque excommunicati, qui censura publice innodati, adhuc absoluti non sunt. Quod tandem non baptizatos spectat, merito et iis omnino denegandum est hoc Sacramentum, cum Baptisma sit janua Sacramentorum. Synodi aeque et Rituales Codices atque Theologi communiter mandant ac docent, non esse administrandum hoc Sacramentum iis, qui cum sano sint corpore, vel probabile, vel certum vitae periculum adeunt, ut qui praelium inituri sunt, aut navigationem, aut peregrinationem, aut alia pericula subituri, aut etiam iis, qui capitis condemnati, ad certum mortis supplicium ducuntur.

VI. Sed quoniam in Decreto Eugenii pro instructione Armenorum, in hujusce Sacramenti administratione septem Unctiones fieri jubentur, quemadmodum fuse exponitur in Rituali Romano, hinc gravis suboritur controversia, utrum omnes praedictae Unctiones et formae prolationes sint de Sacramenti substantia. Doctores omnes fatentur cum Suarez, Tom. 4 in 3 part. disp. 40 sect. 2 num. 6, duas postremas unctiones, pedum scilicet et renum, necessarias non esse ad validam Sacramenti confectionem; tum quia non sunt in usu apud omnes Ecclesias, tum quia illa renum, honestatis et pudoris causa, semper omittitur in feminis, et interdum etiam in viris, qui propter labefactatas corporis vires morbique languores, dimoveri nequeunt sine gravi incommodo, quod adnotatur a Rituali Romano atque a Cardinali Sanctorio in suo Rituali pag. 325. Antiquiores Scholastici existimarunt, omnes pertinere ad substantiam et integritatem Sacramenti. Alii ex adverso validum censent extremae Unctionis Sacramentum, si vel una tantum inungatur corporis pars, unica prola-

ta, mox referenda, forma universali, omnes sensus complectente. Ita Sylvius, in *Suppl. quaest.* 32, art. 6, quaest. 2; Nicolaus Serarius, *Tract. De Sacramento Extremae Unctionis* Cap. 7; Becanus, in *Summa Theologica* Cap. 27, quaest. 7; Estius, in 4. dist. 23 § 15; Piette, *Quaestiones Theologicae part. 6 quaest. 3;* aliique recentiores passim. Huic opinioni validissimum fundamentum praebet diversa in unctionum numero disciplina, quam in diversis Ecclesiis sua aetate viguisse, affirmat Albertus Magnus in 4 dist. 23 art. 16. Atque exordiendo ab Ecclesia Orientali, licet Graeci teste Arcudio *Concord.* Lib. V Cap. 7, nunc inungant frontem mentum, ambas genas, pectus, manus, et pedes; attamen, ineunte saeculo IX tres tantum unctiones ab iisdem fieri consuevisse asserit Theodulphus Aurelianensis Episcopus, *Capitul.* II apud Baluzium tom. VII *Miscellan.* In Ecclesia vero Occidentali invenimus quidem in S. Gregorii Sacramentario, edito a Menardo, praescriptas unctiones quinque sensuum: at in codice Ratoldi Abbatis illis additas legimus unctionem colli, pectoris et scapularum. Majus adhuc argumentum huic eidem opinioni suppeditant recentiora peculiarium Ecclesiarum Ritualia, unicam unctionem fieri permittentia, si omnes perfici nequeant.

VII. Dissertationem de Extrema Unctione concinnavit Benedictus de Gaetanis, in qua ex variis Ecclesiarum Ritualibus cum graecis, tum latinis plures collegit formulas, quibus hoc Sacramentum administratum est. Lectorem ad eum allegamus. Forma hujus Sacramenti a Christo in specie, seu certis verbis praescripta non est. Ea olim indicativa fuit, *ungo te* etc. ut ex vetustis Ritualibus et monumentis constat apud Launojum, Martenium, Menardum, aliosque. Interdum formulam partim indicativam, partim deprecativam Latini usurparunt, quae exhibetur in Sacramentario Gregorii Magni. Quae nunc in Ecclesia Latina sit adhibenda, jam a Tridentino accepimus, et clarius in Rituali Romano explicatur, quae his verbis expressa est: *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum, olfactum, gustum et tactum:* quae magis

congruit Iacobi verbis, et *orent* (Presbyteri) *super eum, ungentes eum oleo . . . et oratio fidei salvabit infirmum.* Cur vero hoc Sacramentum prae ceteris omnibus precatoriam habeat formam, varias rationes affert S. Thomas in IV Sententiarum, Quaestione 14, Articulo IV, quaestiuncula III: *Prima est, quia suscipiens hoc Sacramentum, est viribus propriis destitutus, unde indiget orationibus sublevari. Secunda est, quia datur exeuntibus, qui jam desinunt de Foro Ecclesiae esse, et in solius Dei manu requiescunt, unde et ei per orationem committuntur.* Forma insuper deprecatoria significat necessitatem Divini auxilii ad roborandum infirmum contra languorem ex peccatis praeteritis, et praesenti infirmitate relictum, et ad superandas daemonis tentationes, quibus, quia tum videt quod modicum tempus habet, acrius hominem insectatur.

VIII. Sacramenti Extremae Unctionis ministros solos esse Sacerdotes, contra Novatores, definivit Tridentinum. Posito jam, hujus Sacramenti administrationem solis esse commissam Sacerdotibus, dubitare quis posset, num ad illud valide conficiendum unus sufficiat, an plures requirantur Presbyteri. Rationem dubitandi praebent verba Apostoli Iacobi ajentis: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* At nihilominus firmiter tenendum est, per unum tantum Sacerdotem valide Sacramentum confici: quod et definivit Alexander III in Cap. *Quaesivit: de verborum significatione*: hodieque vigens in Ecclesia Latina usus confirmat. Neque refragantur verba S. Iacobi, qui dixit *Presbyteros Ecclesiae;* significavit enim aliquem ex Presbyteris Ecclesiae: novum quippe non est, in sacris Litteris numerum pluralem poni pro singulari, quemadmodum advertit Augustinus Lib. III *De Consensu Evangelistarum* Cap. 16. Opp. tom. 2 part. 2, cujus auctoritate fretus S. Thomas Lib. IV *contra Gentes* Cap. 73 scripsit: *Iacobus dicit: Inducat Presbyteros Ecclesiae, et oratio fidei sanabit infirmum. Si tamen unus solus Presbyter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiae, cujus Minister existit, et cujus personam gerit.* Sed quanquam unus certe sufficiat,

plures, nihilominus Sacerdotes fuisse olim in Ecclesia Latina adhibitos, ex pluribus antiquis Ritualibus colligit Menardus, nota 909 *ad Sacramentarium S. Gregorii;* quibus alia ejusdem generis, praecipue Cadurcense, Rutenense, et Tutelense, addit Martene *de antiquis Ecclesiae Ritibus* Lib. I Cap. 7 art. 3 § 3. Recte tamen observat Laudatus Martene, cit. art. 3 § 5, hanc ipsam Ecclesiae Latinae consuetudinem non fuisse firmam, constantem atque universalem, cum ex aliis atque antiquis monumentis, ab eodem productis, constet, saepius infirmos ab unico Sacerdote inunctos. At vero, etsi quilibet Sacerdos possit illam valide conferre, solus tamen Parochus est ordinarius ejusdem minister, nec ulli fas est, extra necessitatis eventum, sine ejusdem Parochi licentia, sacro oleo aegrotantes inungere. Quae autem diximus de Extrema Unctione, per unicum Sacerdotem administranda, locum tantum habent in Ecclesia Latina, non vero in Graeca, in qua antiqua retinetur consuetudo septem adhibendi Sacerdotes in hujusce Sacramenti collatione, uti legitur in eorumdem Euchologio. Quod si septem praesto non sint, tres saltem ad Sacramentum conficiendum ab ipsis adhiberi, uti Arcudius, et Thessalonicensis enarrant: neque Ecclesia Latina hanc Graecorum disciplinam, unquam improbavit, modo Graeci nobiscum credant et fateantur, valide posse idem Sacramentum ab unico Sacerdote administrari.

IX. Sed his tandem abunde explicatis, devenio ad nostrum Rituale ubi edicitur, ut Parochus, si nimirum id commode fieri potest, administraturus sacram Unctionem, utatur *saltem uno Clerico, qui Crucem sine hasta, Aquam benedictam cum Aspersorio, et Librum Ritualem deferat.* Idem plane mandat S. Carolus in Instructionibus *de Sacramento Extremae Unctionis.* Esse antiquum ritum, ut Crux ad inungendum aegrotum deferretur, ex variis Ritualibus constat, in quibus non modo ea Crucis delatio praescribitur, verum etiam ut ipsa Crux una cum sacro Evangelii Codice ante Unctionem deosculanda infirmo praebeatur, ac post unctionem coram eo relinquatur. Esse praeterea antiquum ritum, ut aqua benedicta ad ipsum aegrotum inungendum por-

taretur, docent nos permulti antiqui Codices Rituales: Quamquam Rituale nihil dicat de vestibus, quibus tunc indutus esse Parochus debeat, cum ad Sacramentum ipsum Extremae Unctionis administrandum accedit, conveniunt tamen Rituales passim Codices recentiores, ac Synodi cum Concilio Provinciali Mediolanensi IV Sancti Caroli, in quo edicitur, *ut accedat illud ministraturus Stola*, et *Superpelliceo indutus*. Idem legitur in ejusdem S. Caroli Instructionibus, ex quibus etiam addiscimus Stolam debere esse violacei coloris. Decenter vas ipsum sacculo serico violacei itidem coloris inclusum, cauteque deferendum, ne effundi possit.

X. Conveniunt omnes in eum ritum pervetusti recentioresque Libri Rituales, ut, *cum perventum fuerit ad locum, ubi jacet infirmus, Sacerdos intrans Cubiculum dicat: Pax huic domui*, aspergatque cum aqua benedicta infirmum circumstantesque. Legitur haec aspersio in omnibus antiquissimis Ritualibus. Quoniam autem nihil Sacramenti gratiam magis impedit, quam mortiferi alicujus peccati conscientia, idcirco in eo ministrando id potissimum Rituales Codices pervetusti recentioresque, ac praeterea sacrae Synodi mandant, ut, si fieri potest, infirmus non ante inungatur, quam peccata confessus sit, ac praeterea sacram Eucharistiam sumpserit. Constat id quidem non modo ex Catechismo Tridentini Concilii, Parte II *De Extremae Unctionis Sacramento*, verum etiam ex variis Ritualibus, Librisque Sacramentorum. Notandum hic illud censeo, quod, si morbi vis ita impediat aegrotum, ut confiteri non possit, eum Sacerdos excitare debet, ut verum suorum peccatorum dolorem concipiat, eorumque remissionem ita percipere mereatur.

XI. Consuevisse olim praemitti Extremae Unctioni infirmorum varias preces orationesque, constat ex multis antiquis Sacramentorum Libris. Notatu dignum illud censeo, consuevisse olim èx variorum Ritualium praescripto Fidei professionem Extremae huic Unctioni praemitti. Ritus ungendi infirmi sensus in modum Crucis, communis est, et a Ritualibus non modo, sed etiam a Conciliis praescriptus. Dum infirmi sacro liniuntur oleo, septem de poenitentia psalmos cum Litaniis precibus-

que recitandas esse, praescribunt plures Rituales Libri. Enimvero, uti animadvertit Trombelli, hoc Sacramentum speciem quamdam praefert publicae poenitentiae, atque in poenitentiae argumentum consueverunt majores nostri cinerem quoque et cilicium aegrotis imponere ante unctionem sacram. Fuisse nonnullos graves ceteroqui scriptores labente Saeculo XI et ineunte XII ea imbutos opinione, ut illicitum reputarent, fidelem sancto oleo semel inunctum, unquam deinceps eodém linire, notavit inter alios sapientissimus Benedictus XIV Lib. VIII *De Synodo Dioecesana*, Cap. VIII num. III. Ejus plane opinionis fuere Gaufridus Vindocinensis Lib. II Epistola XIX, Ivo Carnotensis apud eumdem, Theobaldus Senonensis aliique illustres viri. Censuerunt denique alii apud Petrum Cantorem in *Summa*, Cap. VIII num. 25, non licere Extremam Unctionem intra ejusdem anni spatium repetere, etiamsi contigeret quempiam in periculosum morbum iterato incidere. At vero ex adverso Ritualia, et exempla multa non desunt, quibus docemur, non modo olim reiterari consuevisse in diversa aegritudine unctionem ipsam Extremam, verum etiam per septem continuos dies in eadem infirmitate repeti. Quidquid autem sit de varia antiqua in hanc rem disciplina, certa est plane regula illa, quam tradit Rituale: *in eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut si, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidat.* Atque haec est regula, quae pluribus etiam ab hinc saeculis praevaluit, et communi usu recepta ac probata Theologorum non modo, sed et Ritualium atque Synodorum auctoritate, qui hujus Sacramenti iterationem docent ac jubent, quotiescumque fidelis in novum incidit morbum, et in diversum adducitur vitae discrimen. Ita plane statuit definitque Tridentinum Concilium, Sessione XIV Cap. III.

CAPUT XV.

DE VISITATIONE ET CURA INFIRMORUM.

I. Inter praecipuas Parochorum (1) obligationes postremum certe locum non habet visitatio et cura infirmorum. Opportune autem notandum hic illud censeo, quod ubi Parochi legitimo impedimento detenti, assistere ipsis infirmis non possunt, cogendi plane sint, ut necessarios ministros sibi adjungant. Salus animae primo, et principaliter quaerenda est in infirmis, quia tunc temporis diabolus circuit, ut devoret, atque ut a desperata corporis salute ad desperandam illam quoque animae aegrum perducat. De consolandis Infirmis, et tribulatis plura habentur in S. Cypriani operibus, quae a Parocho percurrenda sunt, ut animum suum instruat ad prompte respondendum infirmi lamentationibus et instantiis, Insuper non desunt alia volumina a piis Sacerdotibus edita ad hoc laudabile opus exercendum. Hóc in primis suadere infirmo Parochum debere, *ut de peccatis confiteatur* idque maxime studere, *ut ad generalem de tota vita anteacta confessionem illum inducat*, monet quidem S. Carolus in suis Instructionibus de visitatione et cura Infirmorum, Capite inscripto: *De Confessione.* Eadem admonitio legitur passim in variis Synodis, ac iis potissimum post Oecumenicam IV Lateranensem celebratis. Celebris eam in rem est Bulla Sancti Pii Papae V quae incipit, *Super gregem.*

II. Consuevisse potissimum generalem Confessionem ab aegrotantibus morientibus fieri, et quidem coram Sacerdotibus multis, demonstrari potest. Insigne plane ejus rei exemplum suppeditant Acta S. Theodardi, sive Audardi Narbonensis Episcopi apud Bollandum die 1 Maji. Quod si aeger aliquis, hortationibus ac monitis Sacerdotum, vel amicorum et domesticorum consiliis adduci non potest, ut velit peccata sua confiteri, verbis primo utendum est ad convincendos pertinaces, deinde orationibus. Itaque genibus flexis et omni humi-

(1) Mancini, De *Practica visitandi Infirmos*, Cap. I et seqq.

litate jacentes tam Parochus, quam domestici, et si qui alii sint, orent super eum enixis precibus, ut audiantur et videantur a pertinaci infirmo. Cum enim perniciosissima instigatio haec sit daemonis, superbiae patris, maxime valent ad eam profligandam actus humilitatis: nam inquit S. Iacobus Apostolus Cap. I *Orate invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.* Hinc egregie docet nostrum Romanum Rituale, nequaquam Parocho sufficere in sola Theologia Morali esse instructum, sed opus illi esse, ut in sacrae Scripturae studio, ac Patrum, et in lectione Vitarum Sanctorum sit bene versatus, ex quibus argumenta ac rationes desumat ad suadendum confiteri nolenti, ut peccata sua confiteatur. Recte admonet S. Carolus, quod, quoniam causa quamobrem aeger confiteri nolit, multiplex et varia esse potest, utpote vel desperatio, quam ex peccatorum magnitudine multitudineve concepit, vel affectus alicujus peccati, quod abjicere nolit, vel accidia quaedam, qua fiat, ut is laborem se disponendi exhorrescat vel alia gravis causa quae eum a confitendo deterreat; ideo bene notos habere debet Parochus locos, rationes et argumenta suadendi vel dissuadendi prout causa tulerit, qua aeger impeditur, aut deterretur.

III. Quod sacras Imagines spectat, ac praesertim illam Christi Domini patientis ob oculos morientis ponendas, praeter Rituales Codices, qui hunc ritum praescribunt, afferri possent innumera pene Sanctorum exempla, qui aegrotantes morientesque, varias id genus Imagines, ad pietatem excitandam, praeparandas sibi curarunt. Insuper aqua benedicta adsit, qua inorentur tam infirmus, quam qui adstant, et hoc saepissime ob maximas et innumeras virtutes ejus ad fugandos ac prosternendos daemones. Religiosis, doctis et litteratis viris proponendi sunt versiculi ex psalmis. Rudibus vero viris et foeminis optimum consilium est proponere recitationem Orationis Dominicae, vel Salutationis Angelicae, seu Symboli Fidei, per quae in aegroto Fides vivificetur. Exempla sanctorum Martyrum frequentissima sunt, et valent praecipue si recordentur infirmis, qui maximis doloribus crucientur in corpore.

IV. Varios Psalmos, Evangelia, atque Orationes, non quidem eo ordine quo in nostro Rituali describuntur, sed sparsim recitari jam olim consuevisse a Sacerdotibus super infirmos, docent nos passim antiqui Codices Sacramentorum, longo agmine ab Edmundo Martene allati Lib. I *De antiquis Ecclesiae Ritibus, Capite* VII Articulo IV per totum. Ceterum consuevisse non modo olim legi Evangelium infirmis, verum etiam capiti eorum imponi, testis est S. Augustinus *Tractatu VII in Ioannem*, qui quidem tantam Sacro Evangelii Codici virtutem tribuit, ut non animi tantum, sed et corporis morbos ab eo depelli posse asserat, si cum fide adhibeatur: *Cum caput*, inquit, *tibi dolet*, *laudamus*, *si Evangelium ad caput tibi apposueris.* Ritus imponendi manum dexteram super caput infirmi varii antiqui recentioresque Libri Rituales praescribunt, et Christum Dominum habet auctorem, qui in Evangelio Marci Capite ultimo, suis Discipulis dixit: *Super aegros manus imponent, et bene habebunt.* Quae quidem verba, ex Ritualium praescripto et communi Ecclesiae praxi, Sacerdos pronunciet, dum manum super infirmi caput imponit. Quinque Evangelia a Rituali praescripta ad hoc ut legantur super infirmo, fere omnia ad infirmitatem et ad salutem pertinent. Primum loquitur de puero Centurionis a Salvatore saluti restituto: Secundum tractat de potestate Apostolis a Christo tradita sanandi infirmos: Tertium loquitur de socru Simonis quae tenebatur magnis febribus, et a Christo sanata fuit: Quartum historiam affert de Probatica Piscina, et de languido ibi jacente, quem Christus ab antiqua infirmitate liberavit: demum quintum est initium Evangelii S. Ioannis.

CAPUT XVI.

DE MODO JUVANDI MORIENTES.

I. Facta mentione huc usque de praeparatione infirmi ad mortem, agitur nunc de ipso infirmo moriente, et de officiis quae ei praestare Parochus debet. Sacrae Synodi districte praecipiunt: *ingravescente morbo*, *infirmum frequentius visitabit.* Tempus mortis, misericor-

diac : atque indulgentiae tempus vocatur a Dionysio Carthusiano, *Noviss. I.* Ideo, ut infirmi anima, donec in corpore est, expietur ab omni etiam levi culpa, et poenas in Purgatorio tolerandas imminuat, ad Indulgentias a Summis Pontificibus concessas recurrendum est. Multae Indulgentiae sunt, quae lucrantur cum brevi invocatione tantummodo Sanctissimi Nominis Iesu. Hoc facile insinuari potest infirmo, ut, quam saepius possit, illud ineffabile nomen repetat, et in extremo agone ultima sit haec vox, quae ab illo, saltem corde, si non ore, promatur. Plurimae praeterea sunt Indulgentiae lucrandae in articulo mortis, vel per filiationem spiritualem, qua multi variis Religionibus aggregantur, vel per aggregationem alicui Confraternitati, vel per recitationem alicujus orationis. Praeter hasce Indulgentias, recentioribus saeculis multas alias Summi Romani Pontifices globulis piacularibus, numismatisque Sanctorum Imaginibus insignitis concedere consueverunt, ut iisdem ad suam ipsorum spiritualem utilitatem in articulo mortis uterentur. Hinc S. Camillus de Lellis, jamjam moriturus, teste Cicatello in ejus Vita Lib. II Cap. XVIII *alligata habebat utrique brachio sacra numismata Pontificis benedictione ditata.*

II. Quamvis autem, ex Divinis Scripturis Sancti Patres, ac Theologi tradunt, actum spei saepius in vita elicere Christianus, potissimum tamen elicere illum in mortis periculo debet; quia nimirum cum eo praesertim tempore diabolus peccatorum nostrorum multitudinem ac gravitatem nobis repraesentans, in desperationem inducere nos tentet, ideo tunc praecipue in Divinam misericordiam spem nostram conjicere debemus, sicut anchoram animae tutam ac firmam, ut loquitur Apostolus in Epistola ad Hebraeos, Capit. VI. Excitandus est infirmus, ut ob amorem Dei doleat ex corde de omni offensa: atque huc facit quod inter alia praescribit vetus Rituale Ecclesiae Catalaunensis, ubi Sacerdos sic infirmum interrogat: *Cognoscis te in hoc mundo Deum tuum multipliciter offendisse, et doles?* Cui ille: *Doleo.* Similia legere est in aliis Ritualibus, cum ad ejusmodi concipiendum dolorem de peccatis tenetur unusquisque fidelium, qui in Deum et proximum pec-

cavit. Praeterea Sacerdos infirmum monere debet, *ut ex corde ob amorem Dei parcat omnibus, qui sibi quoquo modo fuerint molesti, aut inimici*. Atque haec est antiquissima disciplina in variis Ritualibus expressa, ex quorum praescripto praemittenda erat Sacrae Unctioni Extremae remissio injuriarum.

III. Orationes jaculatoriae potissimum inserviunt ad suscitandos in anima pios affectus; ideo nonnulli Psalmorum et precum versiculi assignantur a Rituali. Multi, et quidem plurimi versiculi in Psalterio reperiuntur, quorum significationes maxime conferunt ad implorandum divinum auxilium et Dei misericordiam. Quocumque idiomate pronunciari possunt, et si infirmi latinam linguam ignorent, dici possunt materna lingua. Insuper hoc observandum est, quod, cum dicantur ad profectum et subsidium infirmi, melius est, ut et ipse intelligat quid loquatur. Quoad Benedictionem pontificalem spectat moribundis impertiendam, antiqua profecto est ipsa in Ecclesia, et quidem saeculo IX usitata, uti addiscimus ex P. Lupo, Tomo VI Operum editionis Venetae, in septimum S. Gregorii VII Pontificis Romanum Concilium, Capite inscripto: *Sacerdotalis Benedictionis antiquitas, forma, fructus exponuntur*. Quod moribundi fideles passim videant tentatorem, ideoque tunc quammaxime indigeant pio isto clypeo, docent nos exempla plurima, quae passim occurrunt in Sanctorum Vitis. Ex Bulla Benedicti Papae XIV quae incipit, *Pia Mater Catholica Ecclesia*, legiturque Tomo II ejus Bullarii, ampliatur Episcopis facultas impertiendi Benedictionem cum Indulgentia plenaria Fidelibus in mortis articulo constitutis. Quum nulla praescripta haberetur generalis formula impertiendae Pontificiae Benedictionis in articulo mortis, illam ordinavit Benedictus XIV uti videre est in ejus Bulla. Praemittuntur nonnullae preces, quae ex antiquo Ecclesiae ritu, uti ex priscis Ritualibus constat, a Sacerdote visitante infirmos adhiberi solent. Sequitur Oratio, qua infirmus Deo commendatur, ut per Unigeniti sui passionem et mortem, omnium delictorum remissionem et veniam ei clementer indulgeat. Niti potissimum Indulgentias virtute meritorum Passionis Christi, definiit jam Clemens Papa VI in sua

extravagante Bulla, quae incipit: *Unigenitus*, ubi diserte ait, Christum superabundanti Passione sua infinitum thesaurum Ecclesiae militanti reliquisse.

CAPUT XVII.

DE ORDINE COMMENDATIONIS ANIMAE ET DE EXPIRATIONE.

I. Magni momenti, unde (1) pendet aeternitas, est exitus animarum de suis corporibus, et ideo unicuique Sacerdoti, nedum Parocho, datur facultas commendandi animas Deo in hora mortis et in earumdem animarum transitu, ut scite observat Gavantus in *Breviarium Romanum Sectione IX Cap. V*. In Rituali Pauli V praescribitur commendanti animam, ut induat superpelliceum et stolam violaceam, aspergat locum et infirmum aqua benedicta, dicens: *Asperges me, etc.* et imaginem Crucifixi aegroto tradat osculandam. Iubet etiam ceream candelam in commendatione animae accendi, et a moriente, si potest, teneri, dum Sacerdos cum circumstantibus, flexis genibus, breviores Litanias recitat in nostro Rituali praescriptas: qui quidem antiquissimus est Ecclesiae ritus, quem omittere nullatenus decet, ejusque mentio fit in Testamento S. Ephrem Syri, qui obiit anno Christi CCCLXXVIII Cap. III. Ista candela debet esse benedicta, atque ad hoc, ut plurimum pii fideles utuntur candela benedicta in die Purificationis, aut benedicta cum benedictione Rosarii Beatissimae Virginis. Commendatio animae fit a Sacerdote stando, unice vero genuflectit in recitatione Litaniarum. Breves appellantur istae Litaniae ad distinctionem Litaniarum majorum, quae post Psalmos poenitentiales et alibi recitantur. Respondetur cuique versiculo ab adstantibus: *Ora pro eo*, seu *Intercedite pro eo*, sive *Parce ei Domine*, vel *Libera eum Domine*; quia tota oratio in illa occasione fit pro aeterna salute morientis, non autem pro orantibus. Itaque morituri ipsi per se ipsos, vel una cum adstantibus Litanias recitabant canebant-

(1) Catalano, *Rituale Romanum commentariis illustratum*, Titulus V, Cap. VII et VIII.

ve, ut patet ex Sancto Stephano Abbate Obazinensi. Iuxta varios Rituales Codices, variae etiam sunt Litaniae cum variis Sanctis, finitisque Sanctorum nominibus, variae preces subjiciebantur, uti videre est in antiquis manuscriptis Consuetudinibus Monasterii Cluniacensis apud Martene Lib. V De *antiquis Monachorum Ritibus*, Cap. IX n. 9.

II. Sed explicemus nunc Orationes, quas dicendas praescribit Rituale, cum in agone sui exitus anima anxiatur. Prima Oratio est: *Proficiscere anima Christiana* etc. quae in variis Ritualibus legitur a Martene allatis Lib. *De antiquis Monachorum Ritibus* Cap. IX. Est quidem prima denunciatio, quae fit animae, ut corpus deserat et ab eo separetur, atque ad suam aeternitatem se conferat. Vere est terribilis denunciatio, ad quam morientes vel sanctimonia insignes contremuisse leguntur, inter quos S. Hilarion, cum octogesimum annum agens, multis aedificatis monasteriis, et clarus miraculis in morbum incidisset. Continet haec denunciatio compendium Litaniarum jam recitatarum, et omnium Ordinum Hierarchicorum, quorum in Litaniis facta est per nomina enumeratio, a Sanctissima Trinitate initium sumens, et usque ad Sanctas Virgines, et omnes Sanctos et Sanctas Dei descendens et procedens. servato ordine Litaniarum. Oratio *Commendo te omnipotenti Deo*, est integra Epistola, quam S. Petrus Damiani scripsit amico suo morienti, ut facile dignosci potest ex ejus operibus. Cuicumque versiculo, seu supplicationi in hac oratione contentae respondetur per adstantes *amen*, per quod verbum affirmant id quod a Sacerdote pronunciatum est.

III. Hora exitus cum sit incerta, difficile dari potest et praescribi norma et numerus orationum dicendarum. Evangelio, seu Historiae Passionis Dominicae per S. Ioannem Evangelistam conscriptae voluit Ecclesia, ut praecederet Oratio a Salvatore facta ante ejus agonem, in qua praeter alia, adest illa excelsae et infinitae misericordiae et charitatis expressio: *Pater*, S. Ioannes Cap. XVIII, *quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum*, a qua moriens magnae consolationis argumentum desumere potest pro aeterna sui

salute. Passonis Christi memoria fructuosissime legitur, quia per illam salvi facti sumus. Ne, durante agone morientis, Orationes et preces desint, addit Rituale tres Psalmos, nempe *Confitemini Domino*, *Beati Immaculati* et *Retribue*. Prior de misericordia Dei loquitur, alter de munditia cordis, tertius vero de animae desiderio fruendi bona coelestia.

IV. Summa semper fuit fidelium pietas erga morti proximos, ut eos in exitu vitae suis Orationibus precibusque ab Ecclesia probatis adjuvarent. Hoc munus potissimum Parocho incumbere, innumerae pene Synodi testatae sunt, inter quas Provincialis IV Mediolanensis. Ad morientem tandem quod attinet, monet Rituale ut *ipse moriens, si potest, dicat, vel si non potest, assistens sive Sacerdos pro eo clara voce pronunciet*: *Iesu*, *Iesu*, *Iesu*. Quanta sit virtus invocationis sanctissimi Nominis Iesu, Apostolorum princeps satis nos docet, Cap. III Actuum Apostolorum, ubi de eo nomine loquens, sic inquit : *Non est in alio aliqua salus ; nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri*. Pia admodum est consuetudo pulsandi Campanam in exitu morientis, et fit ut populus audiens pro agonizante oret. Instituta est etiam aliquibus in locis pia Confraternitas nuncupata Agonizantium, cui, qui associantur, tenentur recitare nonnullas preces in actu transitus alicujus fidelis ex hac vita. Cognita veritate de expiratione, Sacerdos inchoare debet precem: *Subvenite Sancti Dei*, quae est antiquissima, et habetur etiam in Antiphonario S. Gregorii. Hoc Responsorium bis pro quocumque defuncto recitatur. In domo defuncti recitatur privatim, in Ecclesia vero publice; in domo invocantur Angeli tutelares loci, in Ecclesia custodes Ecclesiae. Iterum Campana pulsanda statuitur, ut qui eam audiunt, orent pro anima defuncti. Variis nominibus signum hoc in diversis regionibus nuncupatur, nempe *Transitus*, *Extremum*, *Ave Maria Mortuorum*. Sponte sua sonuisse Campanas in Sanctorum multorum obitu, ex eorum Vitis addiscere licet a Bollandianis descriptis. Sed sono illo excitabantur saepe fideles ad se sancto homini vita functo, cum Christo in coelis regnanti, commendandos.

CAPUT XVIII.

DE RITIBUS AD SACRAMENTUM MATRIMONII PERTINENTIBUS.

I. Matrimonium (1) jam inde a prima mundi origine a Deo auctore institutum, ac deinde a Christo Domino ad Sacramenti dignitatem evectum, quamvis semper sanctum ac inviolabile apud omnes fere gentes habitum fuerit; inventi sunt tamen nonnulli, qui nuptias tanquam rem illicitam tenebant. De personis matrimonii vinculo conjugandis multa disserunt Theologi et Canonistae, quae a nobis ultro praetermittuntur, nonnulla quoad antiquos ritus hic adnotare contenti. In primis ergo praecedebant sponsalia, seu futurarum nuptiarum promissa foedera, deinde conficiebantur tabulae matrimoniales, pacta seu conditiones futuri matrimonii continentes, quae tabulae signatoriis eorum qui interfuerant annulis obsignabantur. Eumdem praeterea sponsaliorum contractum munera comitari solebant, quibus sponsa a sponso, et quandoque contrarie, donabatur. Hujusmodi munerum, quae *arrhae et pignora* vocantur , et apud Christianos etiam usurpata fierunt, meminit Gregorius Turonensis Capit. XX *de vitis Patrum*. Inter munera in sponsaliis dari solita unum erat *annulus*, qui a viro feminae dabatur ante nuptias, dictus propterea a Tertulliano *Apologet* Cap. VI, *pronubus*. Meminit hujus ritus Gregorius Turonensis in Libro *de vitis Patrum Capite XX* ubi agit de Leobardo , qui postea reclusus vixit in Monasterio. Sanctus Isidorus Libro XX *Etymologiarum* id ipsum de annulis a sponso sponsae dono datis testatur, addens mulieres toto suae vitae curriculo illis tantum annulis uti , qui a viro mittebantur , nec nisi duos in digitis gestare solitas. Idem praeterea *de Divinis Officiis Capite XVIII* eumdem annuli ritum docet adeo sanctum ac religiosum in Ecclesia habitum, ut in sponsaliis praetermittere nefas prope duceretur; per illam enim annuli donationem et acceptionem mutua fides in conjugio servanda significari credebatur, sive potius ca-

(1) De Sacramento Ordinis vide Librum I de Ordinationibus.

sti amoris veluti nodo ac vinculo futurorum conjugum corda irretiri. Medio autem aevo passim annulus in ipsomet nuptiarum die a sponso sponsae tradebatur ante ipsas Ecclesiae fores. Sacerdos enim annulum primo accipiebat, atque super illum benedictionem quamdam recitabat. Ut initis sponsaliis majus robur ac firmitas accederet, simulque ne ansa clandestinis nuptiis praeberetur, quidam testium numerus requirebatur: quorum nomine venire adfines atque amicos ex utraque parte sponsaliorum celebrationi admissos videtur. Quot autem testes interesse deberent, non satis liquet.

II. Constituto ad celebrandas nuptias die adveniente, sponsus et sponsa benedicendi a parentibus sistebantur Sacerdoti ad portas Ecclesiae. Parentes autem ad Ecclesiam ferebant quoque tabulas nuptiales, ut conjicere liquet ex antiqua figura sponsi atque sponsae in vetusto vitro apud Bonarrotium *Osservazioni sugli Antichi vetri Tav. XXI fig. 3*, in quo prope sponsam habetur volumen, quod tabulas illas indicare putavit ipse Bonarrotius. Illud porro advertere praestat, eam olim apud Christianos obtinuisse consuetudinem, ut non modo Episcopos de ineundis nuptiis consulerent; verum etiam ut nuptiae nonnisi communibus Christianorum precibus, sacrorumque ministrorum benedictione consecrarentur. Et re quidem vera Patres diserte adfirmant nuptias per Sacerdotem esse benedicendas. S. Ignatius Martyr in *Epistola ad Polycarpum*, *decere* inquit, *ut ducentes uxores et nubentes*, *cum Episcopi arbitrio conjungantur*, *ut nuptiae juxta Domini praeceptum sint*, *non autem ad concupiscentiam*. Tertullianus Lib. II *ad uxorem num*. 8 scribit, solum illud matrimonium a Deo ratum haberi, quod *Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, obsignat benedictio;* ubi inter cetera illud *obsignat benedictio;* dignum notatu est: innuere enim videtur, quod ecclesiastica benedictione, veluti sigillo quodam, nuptiae confirmarentur. S. Basilius Homilia VII in *Hexameron* matrimonium definit *jugum* per benedictionem impositum. Chrysostomus *Homilia* LXVIII in *Genesim* sacerdotali benedictioni matrimonii concordiam, quae Sacramenti effectus est, tribuit: *et Sacerdotes vocare, et precibus ac benedictionibus concordiam coniugii constrin-*

gere. Et Ambrosius Lib. III *Epist.* 23 *Coniugium velamine sacerdotali, et benedictione sanctificari oportere* scribit. Eamdem benedictionem memorant Concilium Carthaginiense IV, an. 398 Can. 13.; Giricius, *Epistola ad Himer.*; Innocentius I, *Epistola ad Victric.* Capite quinto; Isidorus Hispalensis, Lib. II *de Officiis Ecclesiasticis Capite decimo.* Vix Rituale antiquum recentiusve invenias, in quo non extet annuli benedictio, qui in celebratione Sacramenti Matrimonii ex veteri Ecclesiae ritu a sponso digito annulari sinistrae manus sponsae imponi consuevit. Benedictio Nuptiarum intra Missarum solemnia fiebat post Orationem Dominicam, ut ex antiquis Sacramentorum Libris docet Hugo Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii Papae. Integram actionem nuptialem, sive Missam propriam nuptialem ex pervetusto Gelasiano Missali, et manuscriptis codicibus Remensi, et Gellonensi legere est apud eruditissimum P. Martene Lib. I *De Antiquis Ecclesiae Ritibus,* Cap. IX Articulo V.

III. Ad nuptiarum caeremonias pertinent dextrarum conjuctio, velatio, et coronatio. Et sane quod ad primam attinet, antiqua est haec caeremonia ab exemplo Tobiae petita, cujus meminit Tertullianus in Libro: *de Velandis Virginibus, Capite undecimo.* Et S. Gregorius Nazianzenus ad Anysium scribens *Epistola* 57 excusansque se quod affectus aegritudine ad ejus filiae nuptias venire non potuisset, *Animo et voluntate adsum, simulque festum celebro, juvenilesque dextras inter se jungo, atque utrasque Dei manui.* De velo autem, sive pallio, ut ajunt, quod supra conjugum capita tamdium tensum habebatur, donec benedictio a Sacerdote daretur, loquens Ambrosius *de Virginibus* Capite XVI, illud *flammeum nuptiale* appellat, quod nimirum purpurei esset coloris ad denotandum fortasse pudorem, quem in conjugio servari oportet. Ejusdem meminit etiam laudatus Pater Epistola LXX. Non minus antiqua, quam ceteri nuptiarum ritus, imo si benedictionem excipias, sollemnior fuit capitis coronatio; quae sic peragi consuevit. Fine jam nuptiarum celebrationi imposito, novi conjuges jam discessuri corona ex olea ut plurimum variis distincta taeniis caput devinciebant: ita ex Templo di-

mittebantur domum. Cujus ritus praxim videre est apud Palladium, in *Lausiaca Capite octavo*, Evagrium, Lib. 61 *Hystoriae Capite* primo; Gregorium Turonensem, Lib. I Cap. 42; Acta S. Amatoris apud Bollandum 1 Maii. S. Ioannes Chrysostomus *Homilia IX* in I ad *Timotheum* docet ideo ab Ecclesia conjuges donari corona, ut victoria, quam ex mundanis illecebris sanctitate morumque innocentia reportaverunt, ostenderetur: adeo ut hunc honorem nuptiis non rite initis nunquam concessum, perraro secundis reperiamus.

IV. Cum sua sint in Ecclesia poenitentiae assignata tempora, quibuscum Matrimonium gaudiaque varia, quae nuptias comitari solent, compati nequeunt; sapientissime omnino ab antiquis Patribus provisum est, ut nulla his temporibus inirentur matrimonia. Quaenam vero illa sint, discimus ex Concilio Herdensi apud Gratianum 33 q. 4. *Non oportet a septuagesima usque in Octavam Paschae, et tribus hebdomadibus ante festivitatem S. Iohannis Baptistae*, et *ab Adventu Domini usque post Epiphaniam, nuptias celebrare. Quod si factum fuerit, separentur.* Notandum hic vero est pro faciliori intellectu olim alicubi ante festum S. Ioannis Baptistae fuisse speciem quandam Quadragesimae, at variam pro diversitate Ecclesiarum, de qua tractat Filesacus in Opusculo *de Quadragesima Christiana*, Capite III. Longum esset per diversa Christiani Orbis loca vagari, in quibus pro diversitate Ecclesiarum, diversa fuerunt statuta tempora, quibus poenitentiae peculiarisque devotionis causa vetitae sunt celebrari nuptiae. Quod in quibusdam etiam Germaniae locis, diebus triginta post Assumptae in coelum Deiparae Virginis festum celebrari Matrimonium interdictum erat testatur Ioannes Mabillonius in suo *Germanico Itinere* pag. 46. Matrimonium celebrandum esse in Ecclesia, antiquum est institutum, cujus meminisse videtur non uno in loco Tertullianus, et haec disciplina constat etiam ex aliis Patribus, ac Synodis. Aliquando solemnis nuptiarum benedictio in domo eelebrabatur. Hujus ritus exemplum praebent Acta S. Amatoris Episcopi Autissiodorensis apud Bollandum 1 Maii.

V. Etsi Matrimonia a liberis personis legitime inita

receperit semper probaveritque Ecclesia, tamquam vera et indubitata Sacramenta ; ipsius tamen desiderium fuit, ut nonnisi virgo virgini nuberet, secundasque nuptias, ut certa incontinentiae signa aegre tulit. *Non prohibemus secundas nuptias, sed non probamus saepe repetitas*, inquit S. Ambrosius Libro *de Viduis Capite* II. Quamquam igitur veteres Patres secundas sequioresque nuptias, quippe intemperantiae macula aspersas, reprehenderint, aut saltem non probaverint, eas tamen nunquam ut illegitimas proscripserunt. Quapropter secundas nuptias nonnisi certis legibus et conditionibus Ecclesia permisit. Prima fuit ut relicta integro ab obitu mariti anno evoluto nuberet. Hujus conditionis legem discimus ex Actis S. Mengoldi Martyris apud Bollandum 8 Februarii. Secunda conditio viduarum matrimonia contrahentium erat privatio benedictionis nuptialis, quae ipsis a Sacerdote non impertiebatur. Id sane disertis verbis tradit S. Caesarius Serm. 289 in Appendice novae editionis S. Augustini: *Qui uxorem optat accipere, sicut illam virginem invenire desiderat, ita ipse usque ad nuptias virgo sit ; quia si non fuerit , benedictionem accipere cum sponsa non merebitur.* Tertio non solum benedictione carebant , sed neque velamine, sive flammeo ornabantur , et neque coronis a Presbytero donabantur. Tandem Ecclesia etsi secundas pateretur nuptias, secundo nubentibus poenitentiam canonicam imponebat , quam dum illi exolvebant , sacra communione carebant. Ea fuit antiquior Ecclesiae disciplina, ut docent vetustiora Concilia Ancyranum canone decimonono , Laodicenum Canone primo , et Neocaesarense canone tertio. Cum autem secundo nupti huic addicerentur poenitentiae, neque Presbytero licitum erat interesse eorum convivio, ut legimus in Canone LXXXIX apud Egbertum Eboracensem Episcopum, quem inter Concilii Neocaesarensis canones refert Gratianus *In Cap. debui* 31 qu. I.

LIBER NONUS.

DE DIVINO OFFICIO.

CAPUT I.

DIVINI OFFICII NOMINA ET ANTIQUITAS.

I. Preces vocales, quae singulis (1) diebus a Clero recitari debent, varia sortitae sunt nomina apud antiquos. Plerique Patres appellarunt has preces *Divinum Officium*, eo quod Deo praestare et persolvere debe-

(1) Durandus, *Rationale Divinorum Officiorum*, Liber V Caput I et seqq., Bona, *de Divina Psalmodia*, *ejusque causis*, *mysteriis et disciplinis*, *deque variis ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis divinis Officiis*, Caput I et seqq.; Martene, *de antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis*, Liber primus, Caput I et seqq.; et *de antiquis Monachorum ritibus*, Liber primus, Caput I et seqq.; Bonartius, *De Horis Canonicis*, Liber primus, Caput III et seqq.; Francolinus, *de Horis Canonicis*, Liber primus, Caput VII et VIII; Gavanto, *Thesaurus sacrorum Rituum cum novis observationibus*, *et additionibus Cajetani Mariae Merati*, Tomus secundus, sectio secunda, Caput I et seqq.; Thomassinus, *Vetus et Nova Ecclesiae Disciplina*, Pars prima, Liber II, Cap. 71 72 et 78; Macchietta, *de Divino Officio*, Caput III et seqq.; Grancolas, *Commentarius historicus in Romanum Breviarium*, Liber primus, Caput XXIV et seqq.; Azevedo, *de Divino*, *Officio*, Caput XXI et seqq.; Cavalieri, *Commentaria in authentica sacrae Rituum Congregationis Decreta*, Tomus secundus, pars prima, Caput XXXIV et seqq.; Pianacci, *Trattato dell' Offizio divino*, Parte prima, Capitolo I et seqq.; Selvaggius *Antiquitatum Christianarum Institutiones*, Lib. II Cap. 9 § 7 et seqq.; Albergotti, *della Divina Salmodia*, Cap. III et seqq.

mus hoc laudis sacrificium. Appellatae etiam sunt hujusmodi preces *Horae Canonicae*, quia a regulis, sive legibus Ecclesiae quae *Canones* vocantur, praescriptae sunt, vel potius quia statutis horis tales preces ab Ecclesia recitandae sunt. S. Columbanus in sua Regula Cap. 47 praedictas preces *Cursum* appellat, et S. Gregorius Turonensis Lib. I de *Gloria Martyrum* ait opus a se conscriptum fuisse de *Cursibus Ecclesiasticis*, quod et alio loco repetit: *Exurgente Abbate cum Monachis ad celebrandum officium*. Circa medium autem saeculi VII *Romanus Cursus* commemoratur in Vita S. Alberti Abbatis. Idem divinum officium in Regula S. Pacomii *Collecta* dicitur. In compluribus Conciliis *Agenda* appellatur. Nonnunquam Officium divinum appellatur etiam *Opus Dei*, quod propter Deum laborem illum sanctum subeamus, tamquam homines servituti ejus devoti; atque juxta aliorum loquendi rationem, officium servitutis nostrae erga Deum, *Pensum servitutis*. In Regula S. Benedicti semper *opus Dei* appellatur. Graeci *Canonem* sive *Synaxim* illud vocant, quod juxta Cassianum fideles ad canendos Psalmos convenirent.

II. Quod ad *Breviarii* appellationem attinet, quae hactenus viget quaque *Divinum Officium* hodie designari solet, inde fortasse exorta est, quod temporis successu valde contractum fuerit praecipue apud Monachos. Testatur S. Benedictus, se illud ad breviorem formam redegisse; antea siquidem totum Psalterium quotidie recitabatur: ipse vero ita rem composuit, ut semel tantum in hebdomada absolveretur. *Breviarium* dictum est, *breve Orarium*, sive precum epitome. Hoc Breviarii nomen pervulgatum erat Micrologi aevo, qui circa an. 1180 vivebat. Olim Monachi Breviarium appellabant Officium, quod iter facientes extra Chorum recitabant: e solis enim lectionibus Officii, quod in Choro canebatur, contractis, quasque secum portabant, illud conflatum erat. Itaque per hactenus dicta facile conficitur, Breviarii appellationem inditam fuisse collectioni precum, ex quibus Officium constat, quod in Ecclesia variis diei et noctis horis recitatur; atque sequiori aevo *Breviarii* nomen illi impositum, sive quod vetus officium contractum fuerit, sive quod haec Col-

lectio sit quaedam omnium precum epitome. Haec autem contractio S. Gregorium VII auctorem habuit. Exstat apud Gratianum Cap. *Sancta Romana Ecclesia* dist. XV ordo praescriptarum ex sacris Scripturis in Officio divino lectionum. Novis deinde contractionibus obnoxium Breviarium nostrum fuit, currente nempe saeculo XIII, ut Radulphus Tungrensis de *Canonum observantia* proposit. 22 refert. Hoc Breviario usos fuisse Fratres Minores creditur cum S. Franciscus eorum Institutor eis mandasset, ut divinum Officium secundum ordinem Romanae Ecclesiae peragerent. Breviarium porro istud quum male digestum esset, Haymo Franciscanorum Generalis Minister illud reformandum suscepit. Emendavit enimvero, atque in meliorem formam redegit, Gregorio Papa X probante, ut Wadingus narrat. Hoc postea Breviarium ab Haymone correctum Nicolaus III recipi jussit in omnibus Romanis Ecclesiis. Verum aliam sub Clemente VII eamque breviorem formam Officium induit a Cardinale Francisco Quignoniano concinnatum. De hoc Breviario Quignoniano specialem mentionem facit Ricardus Simon in primo tomo suarum Epistolarum selectarum Epist. 27. Sed tandem hanc Quignoniani Breviarii formulam Pius V sustulit atque abrogavit, novamque ex Concilii Tridentini decreto conditam substituit. Inter eos, quos ad Breviarii Romani recognitionem adhibuit Pius V, recensentur Meratius, Bernardinus Scotus Cardinalis, et Thomas Golduellus. Nec dubitandum, quin primas in hoc opere Cardinalis Guillielmus Sirletus tenuerit; quod et multis ostendit Cl. Hieronymus Lagomarsinius in egregiis ad Gratiani de rebus a Iulio Pogiano gestis epistolam adnotationibus. Summa quidem, et qua major desiderari non poterat fuit Pii diligentia in nova Breviarii editione, ea tamen nequiit, ut numeris omnibus absoluta prodiret. Ideo Clemens VIII Pontifex zelo infaticabili admodum elaboravit in emendandis iis, quae a studio decessorum evaserant, iisque pariter tollendis, quae progressu temporis in Pianam correctionem invaluerant, ut testatur ipsemet Pontifex in Bulla quae incipit: *cum in Ecclesia*, data Romae sexto Idus Maii anno 1602. Denique eamdem provinciam ultimus omnium obivit Urbanus VIII, qui et cura

eruditorum liberavit ab aliquibus mendis edita jam a Pio V et recognita Clementis VIII Officia, et proprio labore multa addidit, plura elegantiori stylo concinnavit sacrosque hymnos ad exactas metri regulas adornavit. Alia quae S. Pontifex gessit, ut Breviarium reduceret ad eam formam, quam nobis suspicere licet, legesis in Bulla ejusdem Urbani data octavo Calendas Februarii anni 1631, quae incipit: *Divinam Psalmodiam.*

III. Horarum Canonicarum originem nemo, qui Ecclesiae Annales Sanctosque Patres, vel a limine salutavit inficias ire poterit Apostolorum aetati esse referendam. *Quod spectat ad antiquum certis horis orandi ritum, ab Apostolis in Ecclesiam deductum*, ait Eminentissimus Annalium Parens ad annum Christi 34. Nam primo *media nocte Paulus et Silas orantes* Deum laudasse memorantur Act. Cap. XVI. Deinde Apostolos ipsos orantes hora tertia accepisse Spiritum Sanctum, testatur idem Actuum Liber Cap. XXI. Praeterea *ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam diei sextam.* Denique etiam Petrus et Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Ex quo Apostolorum vestigia certis diei horis gloriam Deo per preces reddentium sequenda sibi esse duxit Ecclesia, ut evincunt Tertulliani, aliorumque Patrum in medium producenda loca. Tertullianus igitur Lib. I de *Iejuniis* Cap. X affirmat Tertiam, Sextam, Nonam, horas fuisse Apostolorum precibus consecratas. Apostolicam sapere institutionem morem se Deo commendandi Psalmis et Hymnis in Ecclesia, disertis verbis pronuntiat Augustinus Epist. 119 Cap. 18: *De Psalmis, et Hymnis canendis, cum et ipsius Domini, et Apostolorum habeamus documenta, et praecepta.* Eadem et aperta de divino Officio occurrit mentio apud Athanasium, Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum, Theodoretum, Eusebium Caesariensem, Cassianum, aliosque Patres.

IV. Quoad causas institutionis horarum Canonicarum, Hugo de S. Victore Cap. 3. *Speculi De Ecclesiae Mysteriis* hanc rationem affert. Octo horas Sancti Patres prae ceteris ad laudandum Deum elegerunt, mediam scilicet noctem diluculum, primam, tertiam, sextam, nonam, vesperas, et completorium. Et cum omni tem-

pore laudandus sit Deus, potissimum in praedictis horis laudatur ab Ecclesia, in quibus opera prae ceteteris insignia dignatus est facere. Nocte enim media natus est de Virgine, diluculo surrexit, hora prima mulieribus ab Angelis nunciata est Resurrectio, hora tertia Spiritus Sanctus inflammavit Apostolos, hora sexta crucifixus est Dominus, hora nona emisit Spiritum pro salute mundi. In vesperis commemoramus adventum Domini in mundi vespere. In Completorio completum erit gaudium Sanctorum in die generalis retributionis. Alia ratio omnium scriptorum calculo approbatur, quam eleganter explicant Rubertus Abbas, et Gemma animae. Ad conservandam enim copiosae Redemptionis memomoriam septies in die laudem dicimus Domino, juxta vulgatissimos Glossae versiculos.

Haec sunt septenis propter quae psallimus horis.
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.
Prima replet sputis. Causam dat Tertia mortis.
Sexta Cruci nectit. Latus ejus Nona bipertit.
Vespera deponit. Tumulo Completa reponit.

Pulchra ratio ex capite vigesimo Matthaei clare deducitur. Enimvero coelestis Paterfamilias operarios mittens in vineam primo mane, tertia, sexta, nona, et undecima hora, et cum sero esset factum, reddens illis mercedem, has praecipue horas divino servitio deputavit, ut docet Cassianus Lib. III *de Institutione Coenob.* Cap. 3. Ceterum hora prima illud aevi denotat spatium, quod fuit ab Adamo usque ad Noe. Tertia a Noe usque ad Abraham producta est. Sexta ab Abraham usque ad Moysen. Nona a Moyse usque ad Christum. Undecima a Christo incipiens in extrema judicii die finem habebit. Ita Origenes, Gregorius Magnus, Hieronymus, Chrysostomus, Teophylactus, Beda, Hilarius, et Fulgentius interpretantur.

V. Augustinus, Gregorius, Hieronymus, Theophylactus et Honorius, per horas diei aetates hominum, quamvis non omnino simili explicatione, interpretantur. Matutinae laudes primam aetatem denotant, quam infantiam aliqui, pueritiam alii vocant. Prima diei hora, cum jam se purior exerit solis radius, adolescentiae in-

dex est. Iuventus per Tertiam designatur, cum solis radii longe lateque diffusi orbem terrarum nitidius illustrant. Per Sextam, virile robur, sole in medio coeli, et maxima e terrae altitudine constituto. Hora Nona inclinato jam die tarda senectus indicatur. Vespere ultima aetas decrepita innuitur terram respiciens, in quam mox terrenum corpus resolvi debet. Completorium denique aevi seriem completam, vitaeque finem manifestat. Adeo brevis est vita nostra, ut unicae diei omnis ejus decursus comparetur. Rex Ezechias clamabat dicens: *De mane usque ad vesperam finies me.* Sunt vero qui has temporum praescriptiones ideo censent ordinatas, ut per nocturnum Officium tempus tenebrarum ante Christi adventum significemus. Nox enim, ut ait Remigius Antissiodorensis, in capite ultimo *Jonae*, tempus significat ante Christi adventum: per diurnum vero tempus gratiae et miserationis, quo visitavit nos oriens ex alto. Septies igitur Deum laudamus, quia dono septiformis gratiae lucem et libertatem adepti sumus. Par esset quidem supernae Hierusalem imitari custodes, quorum militia est semper esse in Dei laudibus, ut Ambrosius scribit, qui super muros aeternae civitatis constituti tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt.

CAPUT II.

DE OFFICIO, QUOD NOCTURNUM APPELLABATUR, HODIE VERO MATUTINUM DICITUR; ET QUA HORA INCIPI SOLERET.

I. Nocturnum Officium (1) ita appellatum est, quia noctu recitabatur. Inter omnes Officii horas, nocturna in tota vetustate celeberrima est. Vetustissimi Christianorum, vel ipsis Gentilibus testantibus, eam sanctissime servabant. Sic Plinius junior Epistola 75 Lib. I Lucianus in Dialogis: *Ad hymnos tota nocte decantantes, vigilantes.* Lactantius Lib. VII Cap. 10 moris hujus rationem reddit in haec verba: *Nocte vigilias elaboramus propter adventum Regis ac Dei nostri.* Quoad ho-

(1) *Matutinum*, haec vox antiqua deducitur a *matuta* idest aurora. Sunt autem apud auctores haec synonima pro eodem, *Nocturni: Vigiliae Nocturnae et Matutinum.*

ram spectat, qua nocturnum Officium paragebatur, non ubique eadem fuit. In Regula Abbatis Isaiae Cap. 57 tempus illud noctis medium appellatur; *Media nocte;* atque in Regula S. Columbani Cap. 7. S. Benedictus duabus post medium noctis horis, surgendum esse praecipit. Veteres Monachi non omnes eadem noctis hora surgebant; quidam enim ipsa media nocte excitabantur, quales ii sunt, quorum meminit S. Ioannes Chrysostomus. S. Basilius jubet, suos ter per noctem laudes Deo canere, scilicet ineunte, media, atque exeunte nocte. Palladius refert, Ammonii discipulos noctes totas orando traduxisse stantes modo, et modo sedentes. Sed cum illis temporibus non essent horologia, quaeret aliquis quo modo statutas sibi surgendi horas dignoscere possent. Hoc quidem sex potissimum modis praestabant. Nam primo antiqui Monachi, teste Cassiano Lib. II Cap. 17, ex aspectu syderum nocturnae synaxeos horam explorabant. Idem a Cluniacensibus observatum fuisse colligitur, ex relatione de *Miraculis* S. Hugonis, quae habetur in Bibliotheca Cluniacensi pag. 448. Secundo ex lectionis prolixitate, aut psalmorum numero, quos observator horarum recitarat, praestitutum vigiliarum tempus agnoscebat. Hunc ritum indicat Concilium Turonense II Can. 14. Tertio ex cerae ardentis candelae consumptione. Ita Divionenses S. Benigni Consuetudines Cap. 6. Quarto clepsydris sive aquariis horologiis utebantur. Quinto gallorum cantu ut plurimum regebantur Monachi, ad quem etiam nonnulli vigilias celebrabant. Denique posteris temporibus excitatoriis usi sunt horologiis. Ubi vero surgendi hora advenisset, fratres excitabantur, idque variis modis pro consuetudine locorum, nutu ac voluntate Abbatum: Primo voce aliqua altius prolata et decantata; et ita excitabantur Pachomiani. Secundo ligneo crepitaculo. Tertio malleo dormientium fratrum ostium percutiebant. Quarto squilla sive campanula Monachos excitabant, ut habetur in vita S. Benedicti Abbatis Anianensis n. 52. Quinto sola Ecclesiae campana, ut ex Bernardo Cassinensi colligitur. At vero ut ad romanos mores circa Matutini horam redeamus, haec in vetustis Romanis Ordinibus reperiuntur. Solemnioribus diebus, quibus duplex Offi-

cium recitabatur, prima Matutini pars, prima noctis hora decantabatur. Aliis vero diebus, quibus unicum Officium erat, decernitur ad galli cantum semper esse recitandum. Affirmare tamen possumus per primum galli cantum Romae noctis medium intellectum fuisse.

II. Ab ipsis Apostolis sacrarum vigiliarum origo fuit. Nec desunt in Veteri Testamento hujus pietatis exempla. Abraham de nocte consurgens filium immolaturus ascendit in montem, Jacob noctu scalam mysticam videre meruit, et luctatus cum Angelo usque mane, coelesti benedictione repletus est. Noctu eduxit Dominus filios Israel de Aegypto. Samuel Propheta oraturus pro Rege clamavit ad Dominum tota nocte. Iudith exibat nocte, et orabat. Regius Propheta lavabat lacrymis lectulum suum per singulas noctes, media nocte surgebat ad confitendum Domino. Praeclare Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi IX: *Quid nocte ad sapientiam utilius? nam in ea saepe de Deo cogitamus: in ea divinorum oraculorum lectionem, et contemplationem meditamur. Quandonam majori mens nostra contentione psalmos canit, et preces fundit? nonne noctu? Ipsimet Angeli,* ut observat Hieronymus in Cap. IV Danielis, *vigiles nuncupantur quod semper vigilent, et ad Dei imperium sint parati. Unde et nos crebris pernoctationibus Angelorum imitamur officia. Quod si institores aurifices* ut docet S. Caesarius Homilia XXXIII, *maturius vigilant, quatenus possint corporis necessaria providere: nos non debemus ante lucem ad Ecclesiam surgere, ut peccatorum indulgentiam mereamur accipere? Semper,* inquit Chrysologus Serm. XXIV, *et ad omnia vigilias esse salutares, nullus ignorat, quia revera plus vivere est. Miles in castris supervenientes nocturnos impetus cauta pernoctatione propellit. Nauta vigilando diffusi itineris incertas vias intrat. Viator solers per auras noctis aestus solis praevenit actumque diem providentius deputat mansioni. Hoc Propheta sciens non die solo, sed et nocte tota clamabat ad Dominum: Domine Deus salutis meae, in die clamavi, et nocte coram te. Quid plura? Ipse Dominus pernoctat in oratione Dei.* Theophylactus in Cap. XXI Lucae: *Nocte,* ait, *secedebat Christus ad montem, monstrans nobis quod opor-*

teat nocte quidem per quietem colloqui cum Deo. Isaac de *Contemptu* mundi: *Anima*, inquit, *quae in vigiliis laborat, et perseverat, quasi Cherubim oculos habet, quibus semper intueatur coelestem contemplationem.*

III. Principio unicus erat Nocturnus in noctis officio, constabatque duodecim psalmis, quemadmodum ad hanc diem ferialibus diebus, atque in primo Dominicae Nocturno fieri solet. Verum cum Dominica dies tota Deo colendo atque laudando sacra esse debeat, coeperunt Monachi noctem orando transigere. S. Columbanus in sua Regula satis significat, quam longum esset Officium nocturnum Dominicae diei, quod tribus intervallis triginta sex psalmi, atque duodecim Antiphonae recitarentur. Apud S. Caesarium Arelatensem Cap. 21 videmus, trium lectionum loco, quae feriarum diebus recitabantur, diebus Dominicis duplo plures scilicet sex perlectas fuisse. S. Benedictus diebus dominicis matutinum usque ad auroram protrahi curabat. S. Fructuosus in sua Regula Cap. 3 jubet tres Nocturnos, singulisque Nocturnis duodecim psalmos, cum tribus lectionibus ad primum, quatuor vero cum totidem Responsoriis ad secundum recitari. Itaque Dominicae officium ubique longius erat quam ceteris diebus. Ad Dominicae exemplum festorum officio tres Nocturni tributi fuere. Singuli autem Nocturni paulo longiores erant, qualis hodie primus est, ut totum spatium atque intervallum tribus illis officiis destinatum occuparent. Haec est Amalarii Lib. IV Cap. 9 sententia qui affirmat tres Nocturnos institutos fuisse, ut tribus vigiliis, sive noctis stationibus responderent, quibus ad orandum surgendum erat; quemadmodum et interdiu Tertia, Sexta, et Nona hora tribus diversis intervallis oramus. In quibusdam Ecclesiis tot chori, quot erant Nocturni, instituebantur. Legimus in Carthusianorum Statutis a Guigone conscriptis Cap. 9 eos inter singulos Nocturnos septem Psalmos poenitentiales recitasse, vel alias quasdam non breviores preces, ut inter Nocturnos intervallum notaretur.

CAPUT III.

DE LAUDIBUS.

I. Laudes Officium erant a Nocturnis sejunctum; hi enim noctu dicebantur, Laudes vero summo mane, teste Gregorio Turonensi *de Miraculis S. Martini* Lib. II Cap. I: *Vigilias implevimus; mane autem facto, signo ad Matutinas commoto reversi sumus dormitum.* Haec est vera Laudum significatio, Matutinum scilicet Officium, sive ut veteres Scriptores loquuntur, Matutinae Laudes. Idem Gregorius Turonensis mortem S. Galli describens, ait in Vitis Patrum Cap. II *Et ille Psalmo 50 et benedictione decantata, et Allelujatico cum Capitello expleto, consumavit totum Officium temporis Matutini.* Quis autem fuerit Romae Laudum ordo, patefacit Regula S. Benedicti, qui Ecclesiae Romanae morem hac in re sequutus est. Canticum a Prophetis excerptum singulis diebus canebatur: *Canticum unum quodque die suo ex Prophetis, sicut psallit Ecclesia Romana.* Psalmus sexagesimus sextus sine Antiphona dicebatur: inde *Laudate, Lectio, Hymnus, Canticum de Evangelio:* tandem Oratio Dominica. Mutabantur quoque Prophetarum Cantica singulis Hebdomadae diebus, uti hisce temporibus fieri solet. In Officio Mozarabico loco *Benedictus* varia sunt Cantica, et Natali Christi die, atque Festis Beatissimae Virginis ad Laudes dicitur *Magnificat*; Festo tamen S. Johannis Baptistae cantatur *Benedictus*. Lectionem seu Capitulum memoriter recitabat Celebrans. S. Benedictus nullam antiphonam ad *Benedictus* designavit; atque diu Romae mos servatus est.

II. Differunt Laudes ab aliis horis minoribus in pluralitate precum; quia mane et vespere holocaustum offerebatur a Iudaeis. Psalmi quinque sunt, ad muniendos quinque corporis sensus, ait Hugo in *Speculo Ecclesiae* Cap. 3, qui notat praeterea, eos esse octo vere ad significandos octo ordines electorum; sed dicuntur quinque, quia tertius et quartus sub una conclusione terminantur. Unde factum est, ut hi psalmi quotidie

dicantur in Laudibus, nec unquam omittantur. Dicuntur autem semper in Festis iidem, et in feriis paschalibus, ex Micrologo Cap. 54, quia resonant laetitiam. Duo ex his mutantur in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive: vice quorum dicimus psalmos, *Miserere* et *Confitemini*, ad timorem et spem eo tempore excitandam: timorem ob peccata in primo, spem ex bonitate Dei in altero. Haec Amalarius Lib. IV de *Officiis* Cap. 18 et quia non est tempus laetitiae, quam exprimunt ii duo psalmi, *Dominus regnavit*, et *Iubilate*. In feriali officio per annum primus psalmus est poenitentialis, *Miserere*, quia dies feriales sunt poenitentiae, inquit Hugo *de Officiis* Cap. X secundus variatur, ut expleatur psalterium.

CAPUT IV.

DE PRIMA.

I. Prima erat Oratio, quae Sole supra Orizontem orto fiebat. Ante Cassiani tempora nullum Horae Primae vestigium extat, testaturque Lib. III *Institut.* Cap. 4 in Monasterio Bethleemitico aetate sua additam Officio fuisse, eique tres Psalmos atque tres Collectas tributos, id vero per Orientem non servatum. S. Aurelianus Primam Laudibus jungit, praescribitque ad Primam duodecim Psalmos, Hymnum, et tres Lectiones. S. Benedictus clare et distincte Primam a Laudibus distinguit, jubetque Cap. 16 hunc ordinem in eo servari: *Deus in adjutorium*, *Hymnus*, tres Psalmi cum Gloria ad cujusque finem, Lectio, Versiculus, Kyrie Eleison, inde abire licebat. Hora Prima Romae Amalarii tempore recepta conspicitur. Prima sine Antiphona dicebatur. Primus Rodulphus Tungrensis scribit, singulas diei horas Antiphonam habere. Circa istud Primae Officium nonnulla observanda sunt. Primo ejus institutionem Cassiano antiquiorem non esse, ut recte probat Gazaeus in Commentario ad Cassianum Lib. III Cap. 4 quidquid reclament nonnulli. Secundo istud Primae officium a Cassiano alteram Matutinam appellari, eo quod mane orto jam sole celebrarctur. Tertio quamvis Pri-

ma alterum sit ac vere distinctum officium a Matutinis Laudibus, nihilominus a nonnullis eodem tenore consequenter persolvebatur. Ita S. Aurelianus, relatus ab Edmundo Martene Lib. I *de antiquis Monachorum ritibus* Cap. 4, praescribebat recitationem hujus horae nullo interposito exercitio inter hanc, et Matutinos: ita etiam in Regula incerti auctoris manuscripta Cap. 2 habetur.

II. Post ortum Solis Prima congruentius recitatur, tum ex origine apud Cassianum expressa, tum ex Hymno *Jam lucis orto sydere*, tum etiam ex auctoribus pluribus citatis a Francolino Cap. 15 n. 14. Ideo fit Primae Horae celebratio, ut verbis utar Rabani Mauri de *Institutione Clericorum* Lib. II Cap. 3 quia in exortu diei oportet ut Solem justitiae nobis oriri postulemus. Sic incipiente die, Evangelici praecepti non surdi auditores, primum quaerimus regnum Dei et justitiam ejus, ut et cetera adjiciantur nobis. Sic juxta legem Exodi, quod primo nascitur, Domino consecramus. In hora Prima, quae finis est noctis et initium diei; quia noctem cum salute transegimus, Pastori nostro gratias reddere debemus. Sicut autem ovibus mane ad pascua exeuntibus necessarius est pastor, qui eas a lupis defendat: ita etiam nos, ut docet Amalarius Lib. IV de *divinis Officiis* Cap. 2 initio diei ad opera et mandata Domini surgentes, pastoris boni custodia indigemus, qui lupos abigat irruentes, de quibus legimus apud Joannem Cap. X v. 12: *et lupus rapit, et dispergit oves.* Ceterum Hora ista sancta est, qua Dominus noster illusus, consputus et alapis caesus, Pilato propter nos ligatus astitit, ad omnem contumeliam et adversitatem patienter sustinendam suo exemplo nos erudiens.

III. Psalmis in Dominicis quatuor, additi sunt alii qui secundo loco ponuntur, quique omnes dicebantur ante Pium V in Dominicis, ex Breviariis manuscriptis et impressis: nunc distributi sunt per ferias, tamquam Psalmi olim assignati Primae: tum vero etiam ne de Psalterio quidquam supersit. Et in Dominica quidem dicitur Psalmus *Confitemini*, quia in eo habetur versus, qui est de Resurrectione Domini, quam significat dies Dominica; *Haec dies quam fecit Dominus.* Cum autem nullus supersit Psalmus qui assignari queat

Sabbato, in quo etiam saepius fit de Beatissima Virgine, ideo Sabbato quatuor Psalmi nunquam dicuntur. Quaternarius hic Psalmorum numerus denotat, quod in quatuor mundi partibus doctrina quatuor Evangelistarum laudatur, ita Durandus. Verum in Festis Psalmi tres dicuntur, ut etiam toto tempore Paschali, ob temporis jucunditatem. Amalarius autem Lib. III Cap. 3 tres ideo dici putat, quia pro tribus horis a Prima ad tertiam laudandus est Deus Trinus, et armandi sumus contra tres hostes. Primus Psalmus, *Deus in nomine tuo etc.* dicitur pro toto itinere et cursu diei, contra hostes aptissimus, et Psalmus *Beati Immaculati*, plenus est morali instructione.

Post Psalmos Primae Dominicis diebus dicitur Symbolum S. Athanasio tributum: *Quicumque vult salvus esse*. Plura de hoc Symbolo in proprio capite. Affirmari non potest quo tempore *Quicumque* Romano Officio insertum fuerit. Verum Amalarius ea de re agit, testaturque aetate sua recitatum fuisse. In Regula S. Benedicti vero nulla ejus fit mentio neque ac in novo Breviario Cluniacensi. Hincmarus Rhemensis in Synodo quadam an. 842 statuit ut perlegeretur, atque S. Athanasii symbolum appellat. Honorius Augustodunensis Lib. II Cap. 19 refert in quibusdam Ecclesiis quotidie ad Primam cum oratione Trinitatis „*Omnipotens qui dedisti famulis verae Fidei Trinitatis*, recitatum fuisse. In Catalogo Abbatum Floriacensium Tom. I Miscell. Baluzii refertur, Theodulphi Abbatis tempore ad Primam tres Psalmos quotidie perlectos fuisse, atque post eos explicationem Symboli S Athanasii ab illo Abbate compositam. Idem videre est in Ordinario S. Apri Tullensis, atque in Consuetudinibus Cluniacensibus, ab Ulrico collectis Lib. IX. Hoc symbolum post Psalmos quotidie dicebatur, et Dominicis post preces. Novum Breviarium Cluniacense hunc morem non servavit, sed penitus Symbolum hoc praetermisit. Carthusiani quoque illud quotidie recitant post Psalmos Horae Primae. Mos illud Dominicis tantum recitandi, in Attonis Basileensis Capitularibus reperitur: *Ut fides S. Athanasii a Sacerdotibus dicatur, et ex corde die Dominico ad Horam Primam recitetur*. Fiebat autem id memoriter. Post Symbolum

lectio e Scriptura petita legitur. In Regula S. Aureliani duae erant lectiones, ex Novo una, ex Veteri altera Testamento. In Magistri Regula duae quoque sunt, ex S. Paulo, atque ex Evangelio excerptae; Evangelicam vero Abbas legere solebat.

IV. Capituli officium dicitur quidquid ad Primam recitatur post orationem *Deus omnipotens* usque ad finem, quia id in Capitulo dicebatur, ubi tunc Conventus habebatur. Capitulum locus erat Claustro contiguus, atque plerumque ad ejus Orientalem plagam, ut Petrus Blesensis Serm. 25 adnotavit: *Ad Orientem in Capitulo correctio Matutinalis.* Congregati omnes atque in unum sedentes ad actus capitulares procedebant, ex quibus tres dumtaxat memorat Radulphus Tungrensis in Libro de *Observantia Canonum. In officio autem Capituli quod fit post Primam fiunt tria: Primo memoria Sanctorum in recitatione Martyrologii cum versu Pretiosa, et Capitulo Sancta Maria. Secundo memoria Defunctorum in anniversariis recitandis cum Miserere mei Deus, et collectis. Tertio quia tunc ad labores diurnos praeparari debemus, addunt preces congruentes dicendo ter: Deus in adjutorium.* Sed multo plures Capitulares actus recensere possumus. Primo Lectionem Martyrologii cum Collecta sequenti. Secundo Divini invocationem auxilii ad reliquos diei actus per ℣. *Deus in adjutorium* etc. Tertio Lectionem Regulae aut alicujus Homiliae. Quarto Commemorationem defunctorum et benefactorum per lectionem Necrologii. Quinto Commemorationem Benefactorum viventium cum precibus. Sexto Officialium institutionem. Septimo culparum correctionem. Octavo laboris injuctionem. Denique his omnibus peractis, surgentes a Capitulo quinque pro Defunctis psalmos decantabant; scilicet *Verba mea* : *Domine ne in furore* : *Dilexi quoniam* : *Credidi* et *De profundis* : ut praescribunt Concilium Dunstani atque antiquae Germaniae Consuetudines manuscriptae. Quibus finitis, pulsata tabula, mittebantur ad opera; et hic est ultimus Capituli actus. Quando apud veteres Monachos labor sit habitus in pretio, quibus de causis ab iis sit institutus, quot horas in eo impenderent, quibus denique operibus potissimum vacarent, in Commentario ad Regulam S. Benedicti Cap. 48 expli-

cat Martene. Juxta Regulam S. Pachomii Capitulum habebatur ad operis jussa accipienda, initiumque ab Oratione fiebat; atque dicebant: *Sit splendor Domini Dei nostri, et opera manuum nostrarum dirige super nos, et opus manuum nostrarum dirige.* Id in nostris Breviariis servatum est cum *Deus in adjutorium.* Injuncto distributoque labore, ferramenta aliaque id genus istrumenta ad suas operas idonea accipiebant. Ad locum labori destinatum prompti convolabant, et quidem praeeunte Priore. Pergebant autem bini aut singuli, summum servantes interea silentium, aut certe psalmos recitantes. Laborantes autem aut Psalmos percurrebant, aut mente Divinis intenta omnino silebant, aut certe cum quieto aliquo in loco laborarent, librum aliquem legebant. Tandem ut unde coeperant, inde quoque finirent absolverentque laborem, oratione terminum imponebant operi. Ab operum labore convertimus ad Lectionis quietem. Primo enim in Ecclesia lectioni vacasse docent Capitula Monachorum ad Augiam directorum, idem Statuta Lanfranci. Secundus locus lectioni deputatus Claustrum fuit. Tertio legebant in Capitulo, et maxime hyemis tempore, quo propter aeris intemperiem et frigoris molestiam in Claustro remanere difficillimum erat. Explicabatur Regulae Capitulum, quod legebatur, vel concio quaedam habebatur, vel Homilia de pio quodam argumento perlecta aut Sacra Scriptura. Hariulfus in Chronico Centulensi Lib. III Cap. 3 recensitis monasterii sui libris, sic exclamat: *Hae ergo divitiae claustrales, hae sunt opulentiae celestis vitae dulcedine animam saginantes, per quas in Centulensibus impleta est salubris illa sententia: Ama scientiam Scripturarum, et vitia non amabis.* Illud hoc loco notandum est, Orationem illam, *sancta Maria, et omnes Sancti,* etc. esse antiquissimam, et in Ordine Romano legi. Ter quoque dicitur, *Deus in adjutorium,* ut praesentia, et praeterita deleamus, et futura peccata caveamur, velut armemur contra diabolum, mundum, et carnem, in nomine Trinitatis, ita Durandus Lib. V Cap. 5. Denique Prima et Completorium non variantur, sicut aliae Horae, in quibus Capitula, Responsoria, Versus, Oratio variantur; quia principium et finis operum nostrorum firmiter sunt tribuenda Deo, ait Hugo Lib. II de *Officiis* Cap. 1.

CAPUT V.

DE TERTIA, SEXTA ET NONA.

I. Orientalium mos erat, diem in duodecim horas aequales dividere, quas a solis ortu usque ad occasum numerabant. *Nonne duodecim sunt horae diei?* ait Jesus Christus in Evangelio apud Joannem Cap. II. Alio loco vero Pater familias variis diei horis usque ad undecimam, operarios in vineam mittit, atque ab opere duodecima cessabant: *Circa undecimam horam* Math. Cap. 10. Horae istae longiores, aut breviores erant pro dierum ratione, et brevissimis hyemis diebus duodecim enumerabantur horae, aeque ac longissimis aestatis. Horae istae ab ipso usque Synagogae tempore Orationi sacrae erant, ipsique Apostoli horis illis orabant. Et re quidem vera hora tertia Apostoli orantes acceperunt Spiritum Sanctum, ut S. Petrus testatus est *Act.* Cap. II v. 16 dicens: *Cum sit hora diei tertia.* Rursus Act. Cap. X v. 9 legitur quod *ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam.* Denique Act. Cap. III v. 1 habetur: *Petrus autem, et Joannes ascendebant in Templum ad horam Orationis nonam.* Hinc Tertullianus eas Apostolicas horas appellat, tamquam ab Apostolorum more profectas. S. Cyprianus de *Oratione Dominica* ait: *hora Tertia orandum esse, ut Spiritum Sanctum, qui hora illa descenderat, veneremur: Sexta, quod Christus Cruci affixus sit, atque Nona mortuus.*

II. Psalmorum ternarius numerus universis Palestinae, Mesopotamiae, totiusque Orientis Monachis magis placuit; eumdem numerum ab his acceperunt in Occidente S. Benedictus, S. Columbanus, S. Isidorus, S. Fructuosus; eumdemque praescribit Regula cujusdam ad Monachos. Hunc numerum duplicavit S. Caesarius, quod etiam alios fecisse aliis in provinciis testatur Cassianus. Nonnulli Psalmorum numerum horis exaequabant, tres ad Tertiam, sex ad Sextam, novem ad Nonam, Psalmos decantantes. Horae singulae a primo Psalmo incipiebant, ut ante Pascha fit; verum S. Benedictus mandat, ut prius recitetur, *Deus in adjutorium*, atque ideo hujus moris

auctor habetur. Hymnum ipse ante Psalmos ponit, sed S. Caesarius, et S. Aurelianus post Psalmos statuunt. ut nos ad Completorium solemus. Quoad Lectiones spectat, nullae erant apud Monachos Orientis : In Occidente vero S. Benedictus, S. Caesarius, S. Aurelianus unicam praescribunt; S. Isidorus, et Regula Magistri duas, unam, ex Veteri; ex Novo Testamento alteram; vel ex S. Paulo unam, alteram ex Evangelio. In pluribus Ordinariis minores horae absolvebantur per *Kyrie eleison*, *Preces*, *Pater*, et *Miserere*. In quibusdam Ecclesiis festis diebus Tertia canitur solemniter, in aliis vero fit incensatio.

III. Festis diebus in Prima, Tertia, Sexta, et Nona, duodecim canimus Psalmos pro numero duodecim horarum diei, ut Deo praesentes simus omnibus horis. Psalmus *Beati Immaculati in via* est omnium maxime prolixus ac praestantissimus, tantoque praestantior, quanto prolixior, cum mirificam Auctoris sui eloquentiam ostendat. Totius carminis propositum est Divinae Legis amor et exercitium, et bona quae Legem servantibus parantur. Eo autem artificio studioque sublimissimum argumentum versat Propheta, ut in singulis versiculis Divina Lex nominetur, novis tamen semper phrasibus, quae illius et naturam, et praestantiam docent. Nunc Lex appellatur via, testimonium, mandatum, praeceptum, nunc eloquium, verbum, judicium, justitia, statuta, veritas. Tanti vero hunc Psalmum facit Ecclesia, ut quotidie recitandum Clericis tradat. Quo tempore, cujusve rei causa exaratus fuerit, non satis convenit. Nostrorum Interpretum plerique scriptum a Davide exule, ac Saulis odiis agitato arbitrantur. Judaeis Babilone captivis tribuunt Origenes, Theodorus Heracleota, vetus Corderii Paraphrastes Graecus et Beda. Babylone scriptum esse hunc Psalmum censet Calmetus, adolescentibus traditum, ut ejus lectione Divinae Legis suaeque Religionis ac Rituum amorem studiumque inter Babyloniorum superstitiones ac fabulas discerent: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, séd non ut lex tua.* Hora Tertia oramus ob adventum Spiritus Sancti. Horae Tertiae precibus sedulo recolendum, observat Bona, ut hac hora, qua Spiritus Sancti gratia olim in Apostolis diffusa est, talem nos vitam instituere pro-

ponamus, qualem exigit ipse Spiritus fons puritatis, gratiarum thesaurus, discretor cognitionum. Sexta item hora oratio necessaria est Sanctorum exemplo, ait Basilius, ut liberemur ab incursu et daemonio meridiano. Orandum meridie, inquit Ambrosius in Psalmum 118, quia hoc tempore virtus divinae lucis operatur. Hora igitur Sexta Abhram tres Angelos in typum Sanctissimae Trinitatis hospitio suscepit. Eadem hora mulier Samaritana ad Christum sedentem super puteum fiducialiter accedens edocta est ab illo, quemadmodum Deus sit adorandus, quid sit aqua viva, quid fons saliens in vitam aeternam. Petrus quoque hac hora ascendit superiora, ut oraret. Sexta hora sextam mundi aetatem denotat. Jesus Salvator mundi hac ipsa hora pro salute nostra crudeliter crucifixus est. Sanctus Prosper Aquitanicus addit Christum eadem hora in coelum ascendisse. Insuper sicut hora Prima, juxta Cardinalem Bona, incipientium statum, Tertia proficientium designat, ita Sexta perfectionis sanctitatisque culmen manifestat. Sunt qui dicant hora Nona ejectos primos parentes e Paradiso, mox enim ut intravit peccatum, simul eos invasit erubescentia, clamante coscientia, et reos accusante. At vero haec potissima ratio est, ob quam ad horae Nonae celebranda mysteria non sine lacrymis atque singultibus convenire debemus, quia nempe hac hora Dominus Jesus exclamans voce magna emisit spiritum. Hac hora centurioni Cornelio per Angelum viae salutis patefactae sunt; qua itidem hora SS. Petrus et Joannes ascenderunt in templum ad orandum; quae erat solemne tempus sacrificii vespertini Judaici.

CAPUT VI.

DE VESPERIS.

I. Ex omnibus Officii divini cursibus celebriores tam apud Clericos quam apud Monachos extiterunt Matutinae Laudes et Vesperae. Praecipuum ac celeberrimum hujus Officii nomen, quod etiam nunc ubique retinet, fuit *Vespera*, sic dictum a *sidere*, quod *Vesper vocatur, et decidente sole exoritur*, inquit, S. Isidorus *de*

Ecclesiasticis Officiis Cap. 20 quod tunc temporis celebraretur. Hoc vocabulo et nomine nihil frequentius apud auctores, ut eorum testimonia proferre necesse non sit. Secundo a S. Ambrosio Lib. I *de Virginibus* vocatur *Hora incensi*, haud dubium quod in veteri Lege aromata et thura ad Altare adoleri vespere mos erat. Tertio *Duodecima*, eo quod hora diei duodecima decantaretur: *Prima*, inquit Magister, *sic debet dici quomodo duodecima, quae dicitur Vespera*. Quarto *Lucernarium*, quo nomine frequenter apud antiquos auctores hunc divini Officii cursum appellatum occurrit; quia in eo lucernae in Ecclesia accendebantur, et veteres olim hora vespertina lucernas accendebant, ut fuse ac docte demonstrat Menardus. Neque tamen confundenda est Vespera cum Lucernario, seu cum precibus quae ad accendendas lucernas in Ecclesia dicebantur ante Vesperas, quas etiam *Lucernarium* appellarunt; utrumque enim distinguitur, licet eodem nomine vocaretur, ut probat idem Menardus, et patet ex Regula quae sub nomine S. Augustini inter ejus opera vulgata est in Appendice. Constat ex Constitutionibus Apostolicis, ex S. Basilio, Lib. ad Amphilochium; S. Joanne Chrysostomo, in Psalmum 118; S. Hieronymo, *Epistola ad Laetam*; S. Epiphanio, aliisque Patribus, Christianos vespere orasse, Psalmosque decantavisse. Preces vero istae occasionem dederunt origini hujus officii. Meminit quoque hujus Officii Concilium Toletanum, quod *Lucernarium* appellat, Concilium Agathense can. 30 mandat, ut quotidie peregatur. Socrates Lib. III Cap. 5. *Lucernae accensionem* illud vocat.

II. Circa Vesperarum Officium nonnulla erant in Ecclesiis discrimina, quemadmodum et in ceteris Officiis. Aliqui sex Psalmos et sex Lectiones recitabant, alii vero plures, aut pauciores, prout videre est apud Martene *de Antiquis Monachorum Ritibus* num. 10 et seqq. Hodie quinque Psalmi juxta Romanum morem decantantur. Officium Vespertinum inter diurnas horas numerandum est, quia ultima diei artificialis hora, scilicet occidente sole, recitari solebat: ac proinde tempus canonicum Vesperarum erat hora duodecima, et postrema totius diei. Est autem omnino adnotandum, Judaeos Festorum initium a Vespere duxisse, *a Vespera ad Ve-*

speram, atque ad ipsorum imitationem Ecclesia Festa sua a Vesperis Vigiliae incipit; atque ea ratio est, cur solemnius peragantur. Vesperarum Capitulum ab Amalario *Lectio a Pastore prolata* dicitur; Praepositus enim, sive celebrans illud recitabat, et ideo *Jube* non praecedit. Olim benedictionem post Vesperas impertiebantur Episcopi : solent etiam ad hanc diem benedictionem post Laudes et post Vesperas, cum rem divinam faciunt, impertiri, idque a Concilio Agathensi Can. 30 mandatum est : *Plebs collecta Oratione ad Vesperam ab Episcopo cum benedictione dimittatur*. In Vita S. Caesarii Arelatensis Lib. II legimus, eum benedictionem elargitum fuisse ad Vesperarum finem: *cum expleto Lucernario benedictionem populo dedisset*. Vetus Vesperarum Hymnus apud S. Caesarium; aliosque erat, *Jam ter quaternis* quae verba duodecimam diei horam significant.

III. Quinque Psalmi qui cantantur in Vesperis, quinque vulnera Christi recolenda monent, *Gemma* Lib. II Cap. 2. Item, quia sicuti quinque sensibus quotidiano affectu tendimus ad tenebras, ita necesse est, ut initio noctis pro eis veniam precemur. Amalarius Lib. IV *de Officiis* Cap. 7. Canticum *Magnificat* cantatur in Vesperis ob multas causas. Primo Vesperae sunt nobiliores Laudibus, et Completorio; illis ideo debetur Canticum nobilius. Secundo quia sub Vesperam Beatissima Virgo pervenit in domum Elisabeth, quam salutavit, et Canticum statim hoc composuit, Benzonius in *Magnificat* Lib. I Cap. 20. Tertio ex Amalario Lib. IV *de Officiis* Cap. 7 ut castigatis sensibus per quinque Psalmos, castigentur cogitationes cordis tumescentis cum humilitate, de qua in Cantico B. Virginis agitur. Quarto Amalarius addit de Ordine Antiphonarum Cap. 6 ut Maria cum suo Cantico introducat Virgines cum quinque lampadibus, hoc est Psalmis quinque praeparatas ad Christum. Quinto ex Beda *Magnificat* cantatur ad Vesperas, quia in ipsa Vespera mundi suo assensu Beatissima Virgo mundi succurrit perdito, et ipsa est Vespera stellae Maris. Denique cum Vespera diem claudit, Deo, uti observat Divus Ambrosius Cap. 2 in fine *Commentarii in Malachiam*, debemus per Psalterium laudem dicere, et

gloriam ejus modulata suavitate concinere, quo operum nostrorum consummato certamine, veluti victores requiem mereamur. Insuper Vespertinum Officium diurnae lucis occasus est: atque ideo saeculi hujus interitum, vitaeque nostrae finem demonstrat, ut Hieronymus et Caesarius luculenter demonstrant.

CAPUT VII.

DE COMPLETORIO.

I. Completorium, quia in eo divinum Officium completur, sic dictum, S. Benedictum institutorem agnoscit, teste Cardinali Bona *de Divina Psalmodia* Cap. 48. Nullus scriptor S. Benedicto antiquior, ejusdem meminit; at tamen orationes aliquae fiebant, et demandatae reperiuntur post Vesperas, quas Gavantus sect. 4 Cap. 6 num. 2 rude Completorium nuncupat, idest Completorii nostri vestigium quoddam. Conveniebant Monachi ante Completorium ad Collationem habendam. Collationem vocabant lectionem eam, quam S. Benedictus ante Completorium fieri instituit ex vitis et collationibus Patrum. Hanc ad lectionem convenire solebant in Ecclesia; idque omnino, ut videtur, ad mentem S. Benedicti, qui eodem plane in loco lectionem fieri voluit, quo et Completorium cantari, ut satis innuunt haec ejus verba: *Omnes ergo in unum positi compleant.* Antiquus Ordo conversationis Monasticae locum Collationis faciendae designat Capitulum. Petrus Boherius claustrum vel Capitulum designat ad collationis lectionem. Camaldulenses, ut scribit Haestenus, collationem faciunt in Capitulo, vel claustro Ecclesiae proximiori. Hanc ad lectionem, dato signo, in locum deputatum illico conveniebant, quo audito, aliorsum divertere nefas ducebatur. Omnibus in unum congregatis, Lector accedens ad analogium, lectionem incipiebat; idque petita benedictione. Finita ad nutum Abbatis collatione, et dicto ab Lectore: *Tu autem Domine* etc. subjungebat Abbas: *Adjutorium nostrum*, et sic intrabant ad Completorium. Hinc est, quod Completorium nostrum incipit a *Jube* cum lectione desumpta ex Epi-

stola S. Petri, quae subrogata fuit loco Collationis: inde sequitur *Adjutorium nostrum*, et deinde confessio, quae fit per *Confiteor*. Apud omnes idem tamen omnino non erat usus, sed Confessio ab aliquibus post Completorium fiebat, unde factum est, ut Parisiis et alibi *Confiteor* ad finem Completorii sit reservatum. Deinde confessio fit ad delenda peccata, et reliquia quaedam est confessionis antiquae, unde ab omnibus indubie fieri debet, hoc solum inter veterem, et novum morem intercedente discrimine, quod ubi illam faciebat socius socio, hanc hebdomadarius facit universo choro, et chorus hebdomadario.

II. Juxta Romanum ritum quatuor Psalmi ad Completorium recitantur, tres apud Monachos. Nam Psalmis quatuor, ait Amalarius, quatuor elementa corporis nostri Domino commendamus. Et quidem in primo Psalmo cum Christo quietem poscimus *in pace in idipsum dormiam et requiescam*. In secundo ad ea verba quae protulit Christus in extremo vitae: *In manus tuas* etc. optamus mori cum eo. In tertio et quarto contra tentationes nocturnas armamur. Psalmos sequitur statim Hymnus, pro temporis diversitate variabant Monachi, ut refert Martene. Post Versus dicitur quoque Canticum Evangelicum *Nunc dimittis* etc. quod neque in Breviario Monastico S. Benedicti, neque Cluniacensium, neque Carthusianorum reperitur, sed est peculiaris Romanae Ecclesiae ritus. De ea re agit Amalarius Lib. VII Cap. 49. Hoc Canticum invenitur etiam in Constitutionibus Apostolicis ad preces Vespertinas. Preces subsequentes *Kyrie*, *Benedictus es Domine*, *Dignare* etc. a Monachis profectae sunt, atque in Breviario Cassinate perleguntur. Quare quidquid Psalmos praecedit, atque etiam Capitulum, Preces et Collecta a Monachis Completorio addita, ab eisdem accepta fuerunt. Oratio *Visita* in nullo Romano Ordine, vel Monastico invenitur, sed solum in Carthusianorum Breviario: dicebatur tamen apud Monachos quando post Completorium in dormitorio aquae benedictae aspersio fiebat, et per eam Dei protectio petebatur adversus insidias Diaboli, et Angeli invocabantur, ut custodirent eos qui dormituri erant. Deinde dabatur Monachis benedictio per ea ver-

ba : *Benedicat, et custodiat vos.* Omnes conveniunt Auctores, quod canonicum tempus Completorii erat hora duodecima post collationem, unde dicebatur Completorium post omnia opera somnum antecedentia ante finem crepusculi vespertini, postremo scilicet termino abeuntis diei, et ita docent omnes, praesertim Bellarminus, Lib. I *de bonis operibus* in particulari Cap. XI; Francolinus, in *Tractatu de tempore horarum Canonicarum* Cap. 29 n. 1 et seqq; probare nititur Completorium ante solis occasum recitari debere, praesertim quia Completorio Christi sepultura repraesentatur, Christus autem sepulturae consignatus fuit ante Solis occubitum, ut asserunt auctores ab eodem citati; deinde aliam addit rationem Francolinus, nimirum quia alias in Hymno Completorii non deberent dici illa verba *Te lucis ante terminum.* Quamvis optime in Completorio potest repraesentari Salvatoris nostri sepultura, etiamsi post Solis occasum recitetur; non enim mathematice, accipiendum est temporis momentum, quo Sacrosanctum Christi Corpus in tumulo repositum fuit; ad illud de verbis Hymni *Te lucis ante terminum* optime responderi posset cum Clichthoveo in *expositione dicti Hymni,* illud verbum *lucis* accipiendum esse pro luce crepusculi, non vero pro luce corporis solaris, et ita verificatur Completorium dici ante terminum lucis, nempe ante terminum crepusculorum, et sic optime proferuntur, et concordant illa alia verba, quae inter preces Completorii dicuntur, nempe *Dignare Domine nocte ista* etc. quia nimirum haec recitantur incipiente jam noctis crepusculo. Hac hora totius diei defectus supplere debemus, ut, caeteris forsam officiis minus alacriter, et devote interfuimus, majori nunc fervoris, ac pietatis conatu peractae per diem orationis negligentiam compensemus. Fratres Praedicatores ut ait Theodoricus in Vita Sancti Dominici, ceu rem valde optatam Completorium expectabant, atque ad illud tanquam ad solemne quoddam festum se praeparantes, mutuis se precibus commendabant. Precibus complemus; ad humilitatem in fine diei, cum Oratione Dominica, et Symbolo Fidei ad munimentum ab hostibus nocturnis, ita Hugo *in Speculo Cap. 3.* Concluditur cum benedictione Praela-

ti : *Benedicat* etc. quae valet contra hostes, aït Turrecremata in *Regula S. Benedicti Tract.* 107. Adhuc in fine dicuntur Oratio Dominica Salutatio Angelica, et Symbolum Apostolorum secreto, tum quia iisdem ritibus finiendum est totum Officium, quibus est incoeptum, tum quia in fine mundi tempore Antichristi ora fidelium claudentur, et secreto Deum orabunt ita Durandus Lib. IV Cap. 26.

CAPUT VIII.

DE ORATIONE DOMINICA, SALUTATIONE ANGELICA, ET SYMBOLO APOSTOLORUM.

I. Quamvis in antiquis Breviariis reperiatur hic ritus sumendi initium Officii Divini ab Oratione Dominica, nihilominus fateri cogimur, quod Monachi primi fuerunt, qui id usurparunt, nullumque hujusce Ritus vestigium invenitur ante librum Consuetudinum Cisterciensium, ubi haec habentur Cap. 68: *Dimisso Officii signo, orationem super misericordias faciunt, idest Pater noster, et Credo in Deum, antequam versum Deus in adjutorium decantent.* Id vero in nulla Monastica Regula X XI vel XII saeculi occurrit, neque in Breviario Montis Casini XI saeculi, neque in veteribus consuetudinibus Cluniacensibus; ubique enim Officio initium datur illis verbis : *Deus in adjutorium.* Sed postquam *Pater* ante Officium recitari consuevit, regulas videre est, quae illud cum aliis precibus ter recitari jubeant, legimusque Monachos ante officium omnia Ecclesiae altaria percurrisse, atque coram singulis *Pater* recitasse, quae res aliquando Officii initium morabatur. Verum hujus generis supplicationes atque pietatis opera abolita fuere, statutumque fuit, ut suo quisque loco in Choro eas preces recitaret, dum celebrans officium inciperet. Hinc in Carthusianorum Rubricis facultas datur *Pater*, et *Ave* ter ante Matutinum recitandi inclinato corpore, vel flexis genibus. Initio Horarum dicitur ad animorum praeparationem, ut mens oratione serenetur, et digne in Officio cum Deo loquatur. In fine vero, ne diabolus de corde Sacerdotis ra-

piat si quid boni seminatum est in Horis Canonicis. Recitatur autem in Officio clara voce in precibus Laudum, et Vesperarum, in aliis precibus partim secreto, partim clara voce ut omnibus modis orandum esse Deum intelligamus. De praestantia hujus orationis Dominicae legenda sunt ea, quae tradit Cardinalis Bona, de *Divina Psalmodia,* nec non omnes auctores ab ipsomet allegati, qui exponunt dictam Orationem.

II. Orationem Dominicam sequitur Salutatio Angelica, duabus constans partibus, laude et petitione. Prima pars ex Scriptura Sacra desumpta est, duosque habet auctores, Angelum et Elisabeth. Ab Angelo tamquam a primario auctore Angelicae Salutationis nomen sortita est. Verba ejus haec sunt: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Ad quam salutationem conceptis verbis componendam totius Trinitatis dignatio intervenit, Patris nimirum mittentis auctoritas, Divini Verbi carnem humanam suscepturi Sapientia, et Sancti Spiritus Virginem obumbrantis operatio. Addidit Elisabeth sola; *Et benedictus fructus ventris tui.* Primae vero huic parti adjecta sunt ab Ecclesia nomina Iesu et Mariae. Posterior autem pars sic exprimitur: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae.* Quod additamentum in magna Synodo Ephesina Salutationi Angelicae factum fuisse contendunt Baronius, et Bona. Sed quamvis certum sit, quod in praedicta sacrosancta Ephesina Synodo Beatissima Virgo Maria vere Mater Dei declarata fuerit, nulla satis valida auctoritas produci potest, quae faveat piae opinioni Baronii et Bonae. Quin additamentum *Sancta Maria etc.* in nulla precum formula ante annum millesimum quingentesimum octavum reperitur. Subinde Franciscani addiderunt: *Et in hora mortis nostrae*, et S. Pius V hoc Franciscanorum additamentum retineri voluit in Breviario Romano sua auctoritate recognito. Addere etiam lubet, quod nullus eorum scriptorum, qui hortati sunt Fideles ad persolvendas quasdam pias preces, de Salutatione Angelica ullum verbum protulerunt; et Concilia usque ad Saeculum XI nec non Patres, Symboli tantum et Orationis Dominicae meminerunt, quae fide-

*

les discere, et quotidie recitare hortabantur; hujusmodi sunt Concilium Forojuliense anno 795, Moguntinum anno 813 et plures aliae Synodi, in quibus nulla fit mentio hujus precis *Ave Maria*. Occurrit tamen *Ave Maria* in minori Officio B. Virginis ad Invitatorium, et in S. Gregorii Sacramentario habetur ad Offertorium Missae quartae Dominicae Adventus. Inter preces igitur fidelibus praescriptas haec oratio *Ave Maria* primum invenitur apud Odonem de Soliaco Episcopum Parisiensem in suis Statutis an. 1295. Post ea vero tempora saepius in Conciliis hujus orationis recitatio inculcatur: ita in Oxoniensi anni 1287, in Bituricensi, in statutis Lingoniensibus, et in aliis pluribus Conciliis: et progressu temporis adeo invaluit usus salutationis Angelicae, ut eam recitantibus etiam Indulgentiae concessae fuerint. Symbolum Apostolorum ex veteri fidelium more, quotidie antelucanis horis recitandum est juxta S. Ambrosium de *velandis Virginibus*. Nostris vero Officiis illud peculiare est, quod ter, atque tribus diversis temporibus Symbolum Apostolorum recitetur. Priscis temporibus neque ante Officii initium, neque post finem dici consuevisse; quod S. Pius V peragi mandavit. Quinquies hodie recitatur Symbolum in Officio, si dicantur Preces in Prima, et Completorio: initio quidem Matutini, et Primae ad professionem Fidei, quae est virtutum omnium fundamentum: et dicitur secreto, quia in primitiva Ecclesia sub silentio plerique fideles erant metu persecutionum, ita Durandus Lib. IV Cap. 15. In fine quoque Completorii secreto dicitur, quia in fine mundi plures in corde reservabunt Fidem, non ore palam praedicabunt: idem laudatus Durandus. In medio ad preces Primae et Completorii, quia in primitiva Ecclesia, et in fine mundi in electis solidior Fides; unde et bis in his duabus Horis dici solet.

CAPUT IX.

DE INITIO HORARUM ET DE INVITATORIO.

I. Omnes Horae canonicae a primo versiculo psalmi sexagesimi noni, *Deus in adjutorium meum intende* incipere solent. Huic in Matutino versum *Domine labia mea aperies* ex psalmo 50 praemittit Ecclesia Romana. Primus autem, qui pro singulis Horis hanc psalmi orationem *Deus in adjutorium meum intende* adhibuit, fuit S. Benedictus, atque ab eo hunc ritum Romana Ecclesia accepit, sed cum hoc discrimine, quod S. Benedictus ad Matutinum recitabat *Deus in adjutorium* ante *Domine labia mea*, Romae vero a *Domine labia mea aperies* incipitur Divinum Officium. Quamvis Oratio *Deus in adjutorium* in Officio Divino a S. Benedicto primum invecta fuit, qui hoc fecit ad antiquorum Monachorum exemplum, quorum meminit Cassianus *Collatione secunda*, ubi ait: *Abbatem Paphnutium praecepisse Monachis suis ut in omnibus vitae suae actibus hanc psalmi precatiunculam adhiberent.* Praedictum ritum praescripsit etiam Concilium Aquisgranense anno 816. Psalmus *Deus in adjutorium*, ut colligitur ex allegato Concilio Aquisgranensi antiquitus totus recitabatur, postea vero primus tantum versus cum *Gloria Patri*, et *Amen* servatus est. Difficile tamen est posse tempus assignari quo facta est hujus ritus prima institutio, propter varias et oppositas scriptorum, qui de hac re disseruerunt sententias. Aptius autem principio totius Officii praeponitur, *Domine labia*, quia ore laudandus est Deus cum recitatione Officii: et quia per diem vagamur a Deo, ideo sub noctem dicimus aptius: *Converte nos Deus* etc. Per diem autem saepius cum antiquis Monachis dicimus: *Deus in adjutorium*. Contingit enim, ait Turrecremata ad Regulam S. Benedicti, tribus modis peccare, corde, ore et opere. *Domine labia*, dicitur contra peccatum oris: *Converte*, contra peccatum cordis: *Deus in adjutorium*, contra peccatum operis.

II. A saluberrimo signo Crucis omnes Horas auspicari solemus. Nam dum Sacerdos sacrarum precum ini-

tio divinum postulat adjutorium, eo nos contra diabolicas fraudes armamus, orantes fieri nobiscum signum in bonum, ut videant qui oderunt nos, et confundantur, quoniam Dominus psallentes adjuvat et consolatur. De Crucis signo diffuse scribunt Ionas Episcopus Aurelianensis, et Dungalus adversus Claudium Iconoclastam. Extant quoque de Cruce doctissimae lucubrationes Iusti Lipsii, et Iacobi Gretseri. De ejusdem veneratione antiquos canones refert Antonius Augustinus Lib. XVI *Iuris Pontificii*, de qua re plura etiam habent Baronius, in *Annalibus*; et Iacobus Bosius, in *Cruce triumphante*. Ad finem palmorum dicitur *Gloria Patri*. Quis autem fuerit praedicti hymni *Gloria Patri* auctor, ambigitur ex Cardinali Bona, qui de *Divina Psalmodia* Cap. XVI § 6 ait certissimum esse, quod hymnus glorificationis, ab Apostolis compositus, a Patribus Nicaenis auctus, ab Universa Ecclesia receptus, omni reverentia debet cantari. Manavit ergo ad nos apostolica traditione, atque adeo errarunt illi, qui innixi auctoritatibus Theodoreti, Lib. II *Historiae Ecclesiasticae* Cap. 24; Sozomeni, Lib. III Cap. 19; et Nicephori, Lib. IX Cap. 24. Flavianum monachum Antiochenum hujus hymni faciunt auctorem. Sed hunc hymnum Flaviano antiquiorem evincunt Sanctus Athanasius, in *Libro de Virginitate*; et S. Basilius, in Libro de *Spiritu Sancto* Cap. 7. Idem docet Cap. 27 et 29 ubi agit de Traditionibus Apostolicis. Ceterum modus exprimendi etiam primam hujus hymni partem varius fuit et multiplex, primo *Gloria Patri*, *et Filio*, *et Spiritui sancto*, secundo ex S. Basilii Libro de *Spiritu Sancto* Cap. 27 *Gloria Patri*, *et Filio cum Sancto Spiritu*; tertio *Gloria*, *et honor Patri*, *et Filio*, *et Spiritui Sancto*, ita legitur in vita S. Eugeniae, et ita decernitur in Concilio Toletano quarto. Antiquissimus fuit Ecclesiae mos decantandi in Templo ad finem diei *Gloria Patri*, *et Filio*, *et Spiritui Sancto*, quam glorificationem Graeci Doxologiam minorem appellarunt, ad differentiam Hymni Angelici *Gloria in excelsis Deo*, quem Doxologiam majorem dixerunt: verbum enim graecum δοξα, latine *Gloria* redditur. Additum fuit verbum *Amen* in fine dictae glorificationis, ad si-

gnificandum Ecclesiae desiderium; ut gloria scilicet a se Trinitati data, eam re ipsa glorificet; verbum enim *Amen* haebreum est, quod significat *ita est*, vel *ita sit*, estque comprobatio eorum, quae dicta sunt, atque ut expleatur desiderium. Cetera ad hanc vocem spectantia tradit Grancolas.

III. *Alleluja*, seu *Hallelu-jah*, scilicet *laudate Dominum*. In quorumdam Psalmorum initio vel fine invenitur. *Alleluja* solemnibus festisque diebus cantabatur. *Per vicos ejus Hierusalem alleluja cantabitur*, ait Tobias Cap. XIII v. 12 loquens de Hierosolymis reaedificandis. S. Ioannes in Apocalypsi Cap. XIX v. 1 3 plures tubas in coelo *alleluja* occinentes se audisse testatur. Idem etiam vigintiquatuor seniores, ante Omnipotentis sedem prostrati, repetebant. Canticum hoc laetitiae et laudis a Synagoga ad Ecclesiam transiit. Dum Sanctae Fabiolae parentabatur, *Sonabant Psalmi, et aurata tecta Templorum reboans in sublime quatiebat alleluja*, ait S. Hieronymus in obitu Fabiolae. Palestinae Monachi cantato *alleluja*, ad vigilias nocturnas excitabantur. Ea in hoc verbo vis elucet, ut in nullum idioma transferendum putaverint interpretes, ne illius dulcedo minueretur. Divus enim Isidorus Libro VI Cap. 19, ait: *Amen, et Alleluja sacrosancta sunt, ut etiam Iohannes refert audisse caelestes exercitus dicentium Amen, et Alleluja, ac per hoc sic in terris oportet utraque dici, sicut in caelo resonant*. Ecclesia hujus cantici usum temporibus poenitentiae constitutis, et in caeremoniis funebribus interdixit. Nihilominus in Missa Defunctorum, juxta Ritum Mozarabum, ad Introitum dicitur: *Tu es portio mea, Domine, alleluja: in terra viventium, alleluja, alleluja*. Amalarius Lib. III Cap. 13: *Alleluja*, inquit, *quod cantatur in recordatione aeternae laetitiae, tam laetitiam electorum, quam laudem Domini ad memoriam reducit*. Paulinus Epistola 18 de eadem voce sic canit:

Hinc senior sociae congaudet turba catervae,
Alleluja novis balat ovile choris.

Infantes ipsi in hanc vocem linguam primum solvere docebantur. Agricolae rusticum opus agentes eo cantico laboris molestiam allelujabant. S. Germanus Parisiensis

Episcopus concinens *Alleluja*, magnum extinxit incendium, ut Fortunatus Pictaviensis scripsit in ejus vita Cap. 5. Ab altero Germano Episcopo Antisiodorensi devictos fuisse hostes, dum Sacerdotis inclamaretur Alleluja, acta ejus a Constantio Presbytero conscripta commemorant.

IV. Invitatorium dicitur signum illud, quo Ecclesia filios suos ad officium vocat, et reipsa psalmus *Venite* est quaedam invitatio. In Officio Mozarabico Invitatorium vocatur *Tonus*, quasi tuba esset excitans homines ad Deum laudandum. In Regula Magistri, Invitatorium dicitur *Versus aperitionis*, seu *Responsorium hortationis*. Romae olim nullum erat Invitatorium, quod ad hanc usque diem servatur tribus ante Pascha diebus, et in Defunctorum officio solemniter non celebrato. Grancolas Lib. I Cap. 27 asserit Invitatorium a Monachis originem habere; qui hoc signo mane excitabantur, et ut expergefierent, promebantur illa verba: *Venite adoremus Dominum,* inde Invitatorii occasione psalmus *Venite* additus fuit, ex quo desumptus est versiculus ille *Venite adoremus.* Haec tamen intelligenda sunt de antiquissimis Monachis, nam in Regula S. Benedicti Cap. 9 praescribitur, quod post praedictum hymnum glorificationis psalmus 94, Invitatorius appellari solitus, sit decantandus, idque in ipso divini Officii exordio. Rursus in praedicta Regula S. Benedicti non solum praescribitur recitatio psalmi 94 sed etiam additio antiphonae quam vocat Invitatoriam Antiphonam, id quod confirmat Ordo Romanus II in quo ad vigilias Paschae legitur: *Infra albas Paschae super Venite dicitur Antiphona: Surrexit Dominus vere.* Solet Ecclesia Romana Invitatorium omittere in Officio Epiphaniae, qui ritus antiquissimus est, teste Alcuino et Hugone, tum quia totum officium est de vocatione gentium, ut docet Bonaventura in psalmum 94, et ea verba frequentius iterantur, *venimus adorare eum:* tum quia idem psalmus in tertio nocturno cantatur, inconveniens autem esset bis in eodem officio eumdem psalmum recitari. Non dicitur in triduo ante Pascha ne imitemur, sed potius per silentium detestemur pestiferum Iudaeorum consilium et conventum eorum contra Iesum

Christum. Praeterea Apostoli tunc dispersi erant, qui alios ad Dominum invitare consueverant. Psalmus *Venite* quibusdam Patribus esse videtur paraenetica oratio ad Iudaeos incredulos, ut Iesum Christum excipiant, victasque illius praedicationi, et Evangelii veritati manus dent, neque majorum pertinaciam imitentur. Alii ad libertatem e captivitate Babylonica rejiciunt. S. Basilius et Theodoretus ajunt, Davidem, cum ea quae sub Iosiae regno ventura erant, prophetice praevidisset, hunc psalmum exarasse, quo populos ad Domini cultum atque obsequium revocaret.

CAPUT X.

DE HYMNIS.

I. Hymni graece, Laudes latine. Sunt enim cantus laudem continentes Dei. De Hymnorum origine superfluum hoc loco censemus aliqua agere, cum plurimi de ea re copiose ac erudite scripserint, et compertum sit apud omnes non modo ab Hebraeis, sed etiam ab Ethnicis inanes ipsorum Deos hymnis fuisse celebratos. Hujusmodi Hymnorum auctores Hymnographi dicti sunt; inter eos autem celeberrimi fuerunt Linus, Musaeus, Callymachus et Homerus. Antiquissimum esse ritum in Ecclesia cantandi Hymnos in laudem Dei, Augustinus *Epistola 119* et post ipsum Concilium Toletanum IV Can. 3 asserunt, quod de Hymnis in Ecclesia canendis, et ipsius Domini, et Apostolorum habemus documenta, et exempla: quae quidem mire confirmant P. Gavanti dictum asserentis, Hymnorum usum esse Apostolicum inventum, immo a Salvatore deduci posse. Qui primum Hymnos ediderit in Ecclesia, incertum omnino videtur. S. Isidorus *Lib. I de Officiis Ecclesiasticis* Cap. 6 hoc Hilario laudi tribuit, quod Hymnorum carmine claruit primus. Id tamen de Latinis Hymnorum auctoribus omnino capiendum est, siquidem ex Eusebio non modo Therapeutas, sed et alios scriptores graecos longe ante Hilarii tempora Hymnos composuisse compertum est. Hilarii vestigia secutus Ambrosius plures Hymnos et ipse conscripsit, adeo commendatos Ecclesiis, ut pleraeque

illos adoptare non dubitaverint. S. Benedictus Monachorum Occidentalium Patriarcha Hymnorum cantum Cap. 9 Regulae suae praescribens, hac utitur formula: *Inde sequatur Ambrosianum:* qua voce Hymnos ab Ambrosio compositos indigitari consentiunt Regulae Benedictinae doctiores expositores, Smaragdus, Menardus, Martene, aliique, et confirmat Amalarius in supplemento ad *Librum quartum de Divinis Officiis* edito ab Edmundo Martene tom. 2 *Analectorum*. Praeter allegatos auctores sunt et alii qui Hymnos scripserunt, Synesius, Cosmas Hierosolymitanus, Ioannes Damascenus, Thophanes, Prudentius, Beda, Sedulius, Paulinus, Venantius Fortunatus, Fulbertus Carnotensis, Paulus Diaconus, Thomas de Aquino, et alii.

II. Huc spectat mentionem facere de Hymnario, seu Hymnorum libro, quem edidit Cardinalis Thomasius, in tres partes divisum; quarum prima eos Hymnos continet, qui *per anni circulum* ab antiquis; a modernis vero *de tempore* appellantur. Secunda de Natalitiis Sanctorum. Tertia de quotidianis ac diversis causis. Alium pariter Hymnorum librum edidit P. Carolus Guyetus Soc. Iesu, qui reperitur in calce sui praeclarissimi operis inscripti: *Heortologia, seu de Festis propriis Sanctorum*. In eo Hymnario collegit omnes quotquot ex variis Galliae Breviariis Sanctorumve propriis reperire potuit Hymnos, eosque triplici serie disposuit. Aliam Hymnorum collectionem, juxta veram metri et latinitatis normam ediderat olim Romae Zaccharias Ferrerius. Hymnos et Preces Latinae Ecclesiae collegit etiam Georgius Cassander, quae una cum ejusdem in Hymnos notis, tum seorsim Coloniae, tum inter ejus opera Parisiis excusa leguntur. Plures etiam praeter jam laudatos commentaria in sacros Hymnos ediderunt: celebriores sunt Donatus Marra, qui enarrationes evulgavit in Hymnos omnes, qui cantantur in Ecclesia per annum. Ioannes Baptista Possevinus, qui Romani Breviarii Hymnos italica lingua donavit, addita singulis morali explicatione, Gregorius Valentinianus qui scripsit Hymnodiam Sanctorum Patrum, quae a Sancta Romana Ecclesia per annum decantari solet, commentariis uberrimis explicatam, Venetiis impressam an-

no 1640. Sanctolius Victorinus, qui Hymnos sacros et novos composuit, ediditque Parisiis anno 1689.

III. Romae non ab antiquo tempore, sed sero Hymni cani coeperunt; neque enim in ullis Romanis Ordinibus mentio aliqua fit Hymnorum recitandorum in Officiis. Hinc, et ex aliis conjecturis infert Grancolas *Lib. I* Cap. 23 post XII dumtaxat saeculum Romae Breviario Hymnos insertos fuisse. Hymnos Romani Breviarii, emendavit Urbanus VIII. Ad praefatos Hymnos corrigendos adhibuit laudatus Pontifex tres lectissimos Societatis Iesu viros ac politiorum literarum bene peritos, et hi fuerunt Famianus Strada, Tarquinius Galluccius et Hieronymus Petruccius; quorum laborem magni omnino faciendum esse adstruit clarissimus vir Theophilus Raynaudus *Tom. XI Opp. punct.* 2 *pag.* 12. Quinque sunt tantummodo metri species, quibus scripti reperiuntur Hymni Ecclesiastici. Prima omnium frequentissima est Iambicorum, suntque hujus speciei in Breviario Romano Hymni numero 79. Secunda est Sapphicorum, juncto post tertium cujuslibet strophae versum Adonio. Tertia Asclepiadaeorum. Quarta Elegorum, rarissima tamen, ut in *Gloria, laus et honor* pro Dominica Palmarum. Quinta Trochaicorum, rarior et ista, nec nisi duorum quorum initium est *Pange lingua gloriosi*, et *Lustra sex qui jam peregit*. Significant Hymni fortitudinem et majestatem Dei, et ejusdem vel beneficia, vel facta miranda, ait Hieronymus citatus ab Amalario Lib. IV Cap. 3. Unde et stando eos cantamus ob reverentiam, et ut ostendamus nos sursum habere quoque ad Deum corda nostra, ex Durando Lib. V Cap. 2. In Officio nocturno solent Hymni statim post Invitatorium decantari. Vocati enim et invitati ad Deum, illico gaudemus et exultamus, et si quae sunt adhuc torpentia corda ad invitantis vocem nondum satis commota, per Hymni alacritatem et jubilationem ad Psalmos devote persolvendos excitantur. In Laudibus vero, itemque in Vesperis et Completorio Hymni dicuntur post Psalmos, quia cum his horis ferventiores in divinis laudibus inveniri debeamus, consentaneum est, ut ad opus psalmodiae sine praevia Hymni cohortatione procedamus. At ceteris diurnis

horis Hymnus praecedit Psalmos, quia curis quotidianis occupatum cor ad dulcedinem divini amoris hymnico personante concentu retrahi debet. De hac re videri possunt Cardinalis Bona, *de Divina Psalmodia* Cap. 16 § 9; Cardinalis Thomasius, *in Praefatione ad Hymnarium;* Ioannes Filesacus, *Lib. II Electorum ;* Nicolaus de Nourry, *in Apparatu ad Bibliothecam Patrum;* Anacletus Siccus, *De Ecclesiastica Hymnodia ;* Carolus Guyetus, *Heortologia sive de Festis propriis locorum,* Liber tertius Caput V.

CAPUT XI.

DE ANTIPHONIS.

I. Antiphona graecum est vocabulum ex propositione ac nomine conflatum : Φωνη namque *vocem*, propositio autem *αντι oppositionem vicissitudinemque* significat. Hinc Antiphona vox inteliigitur reciproca. Quamvis vocabuli notione inspecta, vocum oppositionem importare videatur Antiphona, apud Ecclesiasticos tamen scriptores pro ea tantum vocum reciprocatione accipitur, qua bini Cantorum Chori cantum alternant, ita ut Chorus Choro respondeat. In veteri Testamento ex Davidica institutione Levitae in tres Choros distributi canebant coram Tabernaculo Testimonii. Apud Christianos alternus psalmorum cantus per duos choros serius est introductus. Primi qui psalmos binis choris concinendos instituere, fuerunt Flavianus et Diodorus, S. Athanasio aequales. *Isti namque primi,* ut scribit Theodoretus Episcopus Cyri apud Historiam Tripartitam Lib. V Cap. 32, *in duas partes Choros psallentium dividentes, ex successione Davidicam melodiam cantare docuerunt; et hoc in Antiochia primitus fieri coepit, et dispersum, ad terminos totius Orbis usque pervenit.* Vide S. Basilium, *Epistola ad Clericos* Neocaesarienses ; Sidonium, *Lib. V Epistola 17 ;* Cassiodorum, in psalmum 32 et alios passim. S. Ambrosius primus instituit Antiphonas in Ecclesia Mediolanensi; inquit enim Paulinus in ejus vita: *Hoc in tempore primo Antiphonae, hymni et Vigiliae in Ecclesia Mediolanensi celebrari coeperunt : cujus*

celebritatis devotio usque in hodiernum diem, non solum in eadem Ecclesia, verum per omnes pene provincias Occidentis manet. Antiphonarum usum Ecclesia Romana, quantum ex antiquis scriptoribus haberi potest, S. Caelestino Papae acceptum refert: vide eruditissimum Henschenium in Actis Sanctorum T. I Aprilis die 6 pag. 344: semel autem acceptum constanter retinuit, ut ex Libro Diurno Romanorum Pontificum Tit. 7, et Antiphonariis S. Gregorii tum Missae, tum Officiorum plane docemur. Antiphonarum apud Graecos auctor creditur S. Ignatius, a quo formam illam alterna vice cantandi in Ecclesiam Antiochenam profluxisse tradunt Georgius, *in* Vita S. Ioannis *Chrysostomi;* Socrates, Lib. I Cap. 8; Nicephorus Callistus, Lib. XIII Cap. 8; Amalarius, *de Ecclesiasticis officiis* Lib. IV Cap. 7; Walafridus Strabo, Cap. 28. etc.

II. Exploratum sane apud scriptores sacrae Liturgiae est, omnes antiquitus Antiphonas integras fuisse decantatas ante psalmos vel cantica, tum festis diebus, tum quotidianis, et in Officiis majoribus vigiliarum, Matutini ac Vesperae, et in minoribus Horis et Completorii. Id adstruere videtur Amalarius Lib. IV Cap. 7 inquiens: *Antiphona dicitur vox reciproca. Antiphona inchoatur ab uno unius chori, et ad ejus symphoniam psalmus cantatur per duos choros; ipsa enim, idest Antiphona, conjuguntur simul duo Chori.* Quibus in verbis satis indicatur integram concinendam esse Antiphonam ante psalmum. *Symphonia* est enim plurium concentus: itaque ob Antiphonam ab uno Cantore tantummodo inchoatam, recte dici non potuisset ad Antiphonae symphoniam psalmum decantari. Antiphonae istae, sive breviores preces ad singulos psalmi versiculos repetebantur, praecipue ad *Magnificat* et *Benedictus;* idque hodie ad Invitatorium servatur, ubi ad singulos versiculos Psalmi *Venite* antiphona repetitur. Amalarius de repetitione Antiphonarum ad singulos psalmi versiculos feriarum diebus, haec habet Cap. 3: *Ex senis Antiphonis quas vicissim Chori per singulos versus repetunt.* Refert vita S. Odonis Cluniacensis in *Saecul. Bened.* ad protrahendum S. Martini Officium, cujus Antiphonae breves erant, et quod hyems esset, qua

noctes longiores sunt, atque vigiliae ea de causa longiores esse debent, Antiphonas eum ad singulos psalmorum versiculos repeti curavisse, ut noctis Officium ad lucis usque ortum duraret. Antiphonarum triplex est genus; Scripturalium, Historicarum, et ex utrisque mixtarum. Scripturales sunt, quae ex Libris Sacrae Scripturae tum veteris, tum novi Testamenti depromptae sunt. Historicae sunt illae, quae ex historia mysterii, vel Sancti cujus festum est, carptim delibatae per singulos psalmos, seu cantica distribuuntur; cujusmodi sunt Festorum Christi Domini, Sanctorum Petri et Pauli, Stephani, Laurentii, Clementis, et aliae omnes Officiorum propriorum. Mixtae denique dicuntur illae, quae vel ex psalmis, vel ex alio Scripturae libro depromptae, paucis verbis additis vel mutatis vel transpositis, ad rem Mysterii seu Sancti traducuntur. Insuper animadvertimus, Antiphonarum inchoationem, sive ut antiqui loquebantur, *impositionem*, ad Clericos Cantores semper pertinere, illos scilicet qui majores sunt in Schola Cantorum, qui septem olim erant in Ecclesia Romana, non Presbyteri, nec Diaconi, sed tantummodo Subdiaconi. Ii Cantores ordine suo inchoabant Antiphonas, ut primam Primicerius, secundam Secundicerius, et sic reliqui reliquas imponerent, ad nutum tamen Archidiaconi, exceptis aliquibus Antiphonis. In Antiphonis inchoandis exordium sumebatur in unoquoque Officio, ab antiquioribus Cantoribus ad inferiores usque descendendo. Cantor solus incipit Antiphonam, quae ab omnibus deinde completur, tum quia charitas ab uno Christo ad membra diffunditur, tum quia summus Dei amor praevenit nostrum, et ipse prior dilexit nos. Ideo post Psalmos cantant omnes communiter Antiphonam, quia commune gaudium a communi oritur dilectione. Ante Psalmum imponitur Antiphona, quia opus bonum, ut sit meritorium, ex charitate procedere debet. Iuxta tonum Antiphonae cantatur Psalmus, quia juxta charitatis mensuram solet manus operari. Plures Antiphonae nobilioribus dantur Horis, Matutino, et Vesperis, non aliis horis quae humilius celebrari debent, ita ex Radulpho Prop. 10. Additur Antiphonis tempore Paschali in fine, *Alleluja*

ad laetitiam paschalem saepissime declarandam. Quid si Antiphona sumitur ex principio Psalmi, vel Cantici, et incipit sicut Psalmus vel Canticum? eo casu non dicitur principium Psalmi seu Cantici; sed continuatur, quod sequitur in Psalmo, vel Cantico, ab eo loco ubi desinit Antiphona.

CAPUT XII.

DE PSALMIS ET CANTICIS.

I. Liber Psalmorum inscribitur in Hebreo *Sepher theillim*, *Liber hymnorum*, *vel laudum*, quod scilicet major eorum pars laudes Dei prosequatur. Apud Graecos est *Psalterion*, seu *Liber Psalmorum*; quod etiam in nostris Bibliis Latinis nomen servatum est. Porro *Psalterion* musicum est istrumentum, cujus nominis etymon, uti et *Psalmus*, ducitur ex Graeco ψαλλω, *psallo*, *instrumentis cano*. In Evangelio dicitur βιβλος ψαλμων, *Liber Psalmorum*. Psalmorum lectione discimus unum esse et singularem Deum, inania vero spectra esse profanorum Deos: Deum summae esse potentiae, sapientiae, justitiae, misericordiae. In amplissimo ejus Providentiae sinu omnes creaturae foventur: ejus imperio nemo sive Angelus sive homo non subjicitur. Lapsis retro saeculis patrata ab Altissimo prodigio producuntur. Mortales omnes, et dispersae per Orbem gentes ad ejus laudes vocantur, jubenturque spes omnes in illum rejicere, nunquam ab agendis Deo gratiis cessare, utpote quem unum habuerint omnium bonorum auctorem. Quanta ille severitate in impios animadvertat, solidis argumentis luculentisque exemplis demonstratur. Post hanc mortalem, altera nos manet vita perennis in coelo. An vero David sit auctor omnium psalmorum, dubium est et controversum. Nam aliqui Patres psalmos iis auctoribus tribuunt, qui in titulis psalmorum praenotantur, *Davidi*, *Moysi*, *Salomoni*, *Asaph*, *Idithum* etc. At S. Augustinus *Lib. XVII de Civitate Dei* Cap. 14 aliique Davidem psalmorum omnium auctorem agnoscunt. Utraque sententia suis nititur argumentis;

quamvis ea, quae psalmos omnes Davidi tribuit, communior et magis recepta sit.

II. Quamvis autem verisimilius psalmi ab Esdra, vel alio collectore dispositi sint eo ordine quo sunt inventi, non tamen existimandum est, quod haec inventio et collectio prorsus fuerit casualis, sed divina sic ordinante providentia facta est. Unde S. Augustinus in *Enarratione* in Psalmum 150 ait: *Ordo psalmorum mihi magni sacramenti videtur continere secretum.* Et S. Ioannes Chrysostomus observat, tristiores psalmos fere primo ordine collocatos; laetiores et qui laudem sonant, ad finem reservatos esse, ut laboribus doloribusque excitatus animus in Dei laudes, inque ipsum *alleluia* desineret, ibique facto fine conquiesceret. Bellarminus *Praefatio in psalmos* non contemnendam censet illorum opinionem, qui volunt primos quinquaginta psalmos, quorum ultimus incipit, *Miserere mei Deus*, pertinere ad poenitentes, sive incipientes: alteros quinquaginta, qui desinunt in psalmum, *Misericordiam et iudicium cantabo tibi Domine,* pertinere ad iustos proficientes: postremos quinquaginta, quos concludit psalmus, *Laudate Dominum in sanctis ejus,* pertinere ad viros consummatos et perfectos. Metrice psalmos compositos esse, communis est etiam opinio SS. Patrum. Iam Synagoga, quam Ecclesia Christi ab antiquissimis temporibus non plures, quam 150 psalmos qui in nostra Vulgata extant, pro Canonicis agnovit. Non multos duntaxat, sed omnes omnino psalmos ad Iesum ejusque Ecclesiam collineare vel in sensu literali, vel in sensu spirituali seu figurato, gravissimis nititur rationum momentis, scilicet: Primo assertione ipsius Davidis quasi communem ad psalmos praefationem asserentis his verbis: *Dixit David filius Isai: dixit vir, cui constitutum est de Christo.* Secundo Iesus Christus et Apostoli psalmos in Novi Testamenti libris non alia de causa toties allegant, nisi ut eos de Christo accipiendos esse ostendant. Tertio SS. Patres legitimi S. Scripturae interpretes eundem psalmorum scopum esse affirmant. Si quis autem ad dispicienda singula animum applicaverit, statim ob oculos observabit, in Psalmo CIX v. 3 aeternam Verbi generationem non obscure his verbis expressam:

Tecum principium in die virtutis tuae. In splendoribus Sanctorum, ex utero ante luciferum genui te. De Sacerdotio Christi haec accipe Psalmo CIX v. 4 5: *Iuravit Dominus, et non poenitebiteum. Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Idipsum constat ex psalmo vigesimoprimo, quo Passio et Mors Christi, et vocatio gentium per Salvatorem parta praenuntiantur. Nec enim Davidi, nec alio cuiquam, praeter Iesum, haec conveniunt: *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti . . . Foderunt manus meas, et pedes meos. Dinumeraverunt omnia ossa mea.* Merito itaque Tertullianus Libro contra Praxeam, Cap. 2 ait: *Sed et omnes pene Psalmi Christi personam sustinent, Filium ad Patrem idest Christum ad Deum verba facientem repraesentant.*

III. Quoad obscuritatem libri Psalmorum, plures sunt tantae obscuritatis causae. Primo Textus hebraici abstrusitas, quae sane in psalmis, utpote poetice et metrice scriptis, magis quam in aliis prosa exaratis libris, sese prodit. Secundo apparentes antilogiae seu contradictiones; quamvis reapse tales non sint. Tertio varietas sensuum, cum alius sit sensus literalis seu historicus, alius mysticus. Quarto praedictio rerum futurarum. Quo sane difficiliores psalmi ad percipiendum videntur, cum plusquam ceterae Scripturae affectibus abundent, et quidquid in illis est, in se contineant. Librum psalmorum esse valde obscurum, nihil magis probat, quam immensa Commentariorum in psalmos editorum multitudo. Sunt qui ultra 500 enumeraverint, non computatis veterum Patrum commentariis. P. Le-Long sacerdos Oratorii, sedulus, si quis alius et exactus earum rerum perscrutator, expansis tabulis ad 630 recensuit, iis demptis, qui super universam Scripturam Commentaria elucubrarunt, tum et iis, qui psalterii solummodo partem aliquam prosecuti sunt; ut proinde teste Calmeto in *Dictionario Biblico V. Psalmus* omnibus collectis, ad 1000 scriptorum in psalmos summa constet. Accedit, quod etiam post hujus auctoris assertum quidam in psalmorum expositione magno studio laboraverint. Pulcre Radulphus Prop. 9 psalmos mannae comparat, habent enim illi, ut et istud omne delecta-

mentum, et omnem saporem suavitatis, adeo ut nulla sit materia laudis divinae quam non evolvant, nullum mysterium sacrum quod non praedicent, nulla virtutis species, nullumque sanctitatis decus, quod singularibus praeconiis passim non exornent ; ita ut non immerito Sanctus Nicetius Episcopus in brevi libello de *Psalmodiae bono* Cap. I exclamaverit : *Quid in his psalmis non invenies quod faciat ad utilitatem et aedificationem, ad consolationem humani generis, conditionis, sexus, aetatis ?*

IV. Psalmodia omni aevo potissimam Officii Divini partem constituit, atque hodie etiam horae omnes certo psalmorum numero constant. Psalmodia praecipua semper fuit Christianarum precum pars, quod in id semper intenti fuerint, ut e Scriptura peterent preces ad Deum fundendas, eumque laudarent, ea ratione, quam Spiritus Sanctus divinitus inspiravit. Complures etiam Psalterium totum quotidie recitabant. Post Davidis tempora ad nostram usque aetatem psalmi piarum animarum delitiae fuere tam in Synagoga , quam in Ecclesia. Lex autem ubique fere vigebat , ut Ecclesiastici et Monachi Psalterium memoriae mandarent. Quanti momenti esset apud veteres haec disciplina, ut Clerici Psalterium totum animo perciperent et memoria custodirent, praeclare demonstrat, quod legimus de Gregorio Magno , qui Episcopum ordinare recusavit Iohannem Presbyterum, utpote psalmorum nescium: et id habetur in ejusdem Pontificis Epistola 44 Lib. IV. Idem Sanctissimus Pontifex antequam quempiam ordinaret Episcopum, inquirebat an psalmos memoriter teneret nec ne, ut colligitur ex Epistola 34 Lib. VIII ad Episcopum Clusinum de Ioanne Diacono promovendo in Episcopatum Balneoregiensem, ubi haec scribit : *Requirendum quoque est, si in opere Dei studium habuit, vel psalmos novit.* Et in Epistola sexta Libri XII habetur, quod ab eodem Pontifice repulsus fuit ab Episcopatu Anconitano , ad quem erat electus, Rusticus Diaconus, quia psalmorum ignarus repertus fuit. Hunc eundem morem in ordinandis primi ordinis Sacerdotibus reintegravit Oecumenica Synodus Nicaena II. Hoc idem antiquae disciplinae caput anno 889 suis Presbyteris commendarat Riculphus

Svessionum Episcopus. In Ecclesia etiam Constantinopolitana inter veteris suae disciplinae officia id fuit, ut Clerici psalmos omnes memoriter complecterentur. Ceterum psalmos memoriter et sine libro cantandi mos diu viguit, ejusdemque moris adhuc in quibusdam locis remanserunt vestigia, ut de Carthusianis asseverat Gussanvillaeus in notis suis eruditissimis ad Epistolam 45 Divi Gregorii. Immo hanc esse disciplinam PP. Benedictinorum praescriptam a S. Benedicto, pluribus auctoritatibus ostendit Martene in suo eruditissimo Commentario ad caput 9 *Regulae S. Benedicti*.

V. Psalmorum, prout in Psalterio dispositi sunt, duplex est ratio. Sunt enim aliqui certis locis addicti, a quibus nunquam dimoveantur; alii contra mutabiles, adeo ut modo hi, modo isti recitentur. Ordo psalmorum triplex esse potest: Biblicus, Historicus, Ecclesiasticus; Biblicus est, qui in sacris Bibliis habetur, a primo usque ad psalmum 150. Historicus secundum tempus, quo quilibet psalmus conscriptus est. Ecclesiasticus vero, secundum situm quem quisque obtinet in Psalterio Breviarii per hebdomadam disposito. Iuxta vero hunc ordinem alii sunt psalmi Matutinales, alii Vespertinales. Matutinales ii sunt omnes qui in Matutino, Laudibus et Horis positi sunt, Vespertinales vero reliqui per vesperas dierum hebdomadae dispertiti. Pluralitas psalmorum mystice significat recolendos esse mores bonos diversorum operum per plures psalmos: ita Ordo Romanus in *Octavis Paschae*. Antiquissimum esse ritum, ut Psalmi a stantibus cantentur, eruditissime probant Antonius Caracciolus, in secunda editione *sui Commentarii ad Constitutiones Clericorum Regularium*, nec non Franciscus Maggius, *Disquitione quinta* et seqq. *de Divino Officio, et choro*. S. Athanasius in *libro de Virginitate* ait: *Media nocte surgito, et psalmos dicito, quantum potes, stans*. Rursus idem colligitur ex S. Ioanne Chrysostomo de vita Monachorum sui temporis, ita scribente, *Hom. 14 in prima Thimothei: Cum ante lucem gallus emittit vocem: omnes cum reverentia, discusso sopore, consurgunt a suo excitati Praelato, adstantque sacro choro: protinus expansis manibus sanctos concinunt hymnos*. Petrus Bo-

hërius, quamvis affirmat ex verbis Regulae S. Benedicti colligi non posse utrum standum, vel sedendum sit, quando psalmi canuntur, fatetur tamen in magnis Monasteriis Sublacensi et Cassinensi Monachi in psalmis omnino non sedisse. In Rituali Cisterciensi legitur: *Stamus adhuc in stallis ad Psalmos, hymnos, Cantica, et Antiphonas communes.* Non solum praedicti Caenobitae, sed etiam alii Religiosi psalmos stando decantant.

VI. Quamvis multa sint Cantica, quae in Sacris paginis leguntur, Ecclesia tamen Romana plura non admittit in suo Breviario, quam septem ex Veteri, et alia tria ex Novo Testamento. Omnia Cantica ad gratias agendas Deo, pro insigni aliquo et speciali beneficio fuisse composita, Richardus Victorinus, *Lib. IV in Apocalypsin* Cap. 6; Rupertus Abbas, in *Prolegomena Canticorum* affirmant. Alii tamen observarunt multiplicem esse Canticorum materiam. Est materia gratulatoria, ut in Cantico Moysis post transitum maris rubri; in Cantico Deborae post interfectum Sisaram; in Cantico Iudith post necem Holofernis; et in eo quod tres pueri ab incendio liberati cecinerunt. Est et materia prophetica, ut in Canticis Isaiae et Habacuc. Est item invectiva, ut in Cantico quod cecinit Moyses coram filiis Israël. Hisce Canticis diutinam hujus exilii solitudinem consolamur, donec in coelesti patria Canticum vere novum immortalitate donati sine ulla doloris admixtione modulemur. Canticum trium puerorum est festivus, et ideo in omnibus festis dicitur; reliqua tamen in ferialibus. In feria secunda Canticum Isaiae, in feria tertia, Ezechiae. In feria quarta, Annae. In quinta Moysis; et de his afferunt mysticas causas valde arbitrarias, Amalarius Gemma, et Durandus. In feria sexta, Canticum Habacuc, in quo mentionem de Cruce facit. Sabbato Canticum Moysis ultimum. Tria vero Cantica Evangelica quotidie dicuntur, quae ab antiquioribus Evangelia etiam dicuntur; ita Ordo Romanus; quia sunt pars textus Evangelii Sancti Lucae: et ideo stant omnes dum haec dicuntur, uti fit ad Evangelium in Missa.

CAPUT XIII.

DE VERBIS, PATER, BENEDICTIONE, ET ABSOLUTIONE, QUAE LECTIONES PRAECEDUNT.

I. Olim nihil horum recitari solebat, quemadmodum constat ex Officio trium ante Pascha dierum, atque ex Regula S. Benedicti. Iuxta Cisterciensium morem ante Lectiones neque *Pater*, neque Absolutio dicitur. Praemonstratenses *Pater* dicunt quidem, sed nullam absolutionem habent. Versiculus est brevis oratio ad Deum post Psalmorum Cantum fusa. Dicitur autem Versiculus a *vertendo*, vel quia ab Officio Psalmorum ad Lectiones vertimur, vel quia quando Versum audimus faciem illico vertimus ad Altare, ut omnis cogitatio quae foras exivit per vagationem, revertatur ad Deum per devotam introversionem, ut loquitur Cardinalis Bona *de Divina Psalmodia* Cap. XVI § 13. Canitur autem Versus clara voce, inquit laudatus Cardinalis, ut eo audito excitentur pigri et revertantur ad cor. Insuper canitur Versus ab uno, vel duobus Cantoribus, juxta qualitatem Ritus sub quo celebratur Officium, duplicis, vel semiduplicis, et canitur nomine totius coetus; Chorus deinde junctis omnium vocibus respondet. Amalarius Lib. IV Cap. 4 ait, pluribus locis Versiculos post Lectiones fuisse, quod Responsiorum loco essent, fere ut in minoribus horis Versiculus post Lectionem est. Ante Cantica Evangelica, in Laudibus, Vesperis, et Completorio, excitamur Versibus ad intelligentiam eorumdem, et ad Orationem proximam. Tempore Paschali additur utrique parti versus *Alleluja*, ad majorem laetitiam exprimendam. Ritus autem *Pater* dicendi inde proficiscitur, quod ad Officii finem recitaretur, quemadmodum et hodie dicitur ad minorum Horarum finem in Ordine S. Benedicti. Testis est Cassianus post Psalmos breves quasdam preces fieri consuevisse. S. Ambrosius vero Lib. III de *Virginitate* ait: *Volo post Psalmos cum Oratione Dominica frequenti contexas voce.* Eadem oratio claudebat Nocturnum. Oratio Dominica dicitur ex Durando Lib. V Cap. 3 ut qui eget sapien-

tia ad Lectiones intelligendas necessaria, postulet eam a Deo qui dat omnibus affluenter, et ut ejusdem Orationis auxilio proficiat in nobis renovata per praecedentem versum intentio.

II. Absolutio quae profertur ab Hebdomadario, et quae sequitur post praedictam Orationem Dominicam est alia brevis Oratio, quae pro quolibet Nocturno describitur in Breviario, et ita dicitur, nimirum *Absolutio, ab absoluta prece:* vel dicendum cum Gavanto, triplicem illam Orationem, Absolutiones appellari, sumpta denominatione a nobiliori, quae dicitur post recitatos Psalmos tertii Nocturni, in qua continentur ea verba: *A vinculis peccatorum nostrorum absolvat nos etc.* Rupertus Lib. I Cap. II putat Absolutionem esse Orationem qua rogamus Dominum messis, ut mittat operarios in messem, et aperiat cor nostrum in Lege sua, ne semen, idest verbum Dei, quod audituri sumus, aut volucres comedant, aut spinae suffocent, aut in petra, quae non habet humorem, arescat. Iuxta veterem disciplinam Lector destinatus ad legendam Lectionem, antequam inciperet, ab Abbate Benedictionem petebat verbis ipsis: *Benedic Pater.* Refert S. Gregorius Turonensis *de Miraculis S. Martini.* Lib. III S. Ambrosium Lectiones incipi noluisse, nisi Lectori prius ipse signum daret: *Cui celebranti ita erat consuetudo, ut veniens Lector, non ante legere praesumeret, quam Sanctus ei jussisset. Cum autem die quadam Sanctus iste obdormivisset, et Lector ad legendum paratus esset, jubeat, inquit, Dominus Lectori Lectionem legere.* Ex quo loco patet origo hujusce Ritus, nempe petendi Benedictionem his verbis: *Iube Domne benedicere.* Iuxta Rubricas Lector dicere debet: *Iube Domne*, non *Iube Domine*, quia hic Dei titulus est, ille autem hominis praeclari; et solus Episcopus dicit *Iube Domine benedicere*, et non *Domne*, cui absolute respondetur per Chorum *Amen.* Lector etiamsi Clericus sit, non genuflexus, sed inclinatus tantum versus Celebrantem manet proferendo illa verba: *Iube Domne benedicere*, et sic perseverat donec ab illo stante proferatur benedictio.

CAPUT XIV.

DE LECTIONIBUS, RESPONSORIIS, CAPITULIS ET DE ORATIONE.

I. Filiorum profectui sedulo incumbens Sancta Mater Ecclesia, in nocturnam Psalmorum modulationem Sacrarum Literarum, Sanctorumque Patrum Lectiones inserendas esse decrevit. Mos autem Sacras Scripturas legendi à Synagoga profectus est, ubi singulis sabbatis capita aliquot ex Lege et Prophetis legebantur. Idem priscis saeculis Liturgiae tempore factum est, atque vetus et novum Testamentum praelegebatur populoque explicabatur. Lectiones in Officio e Scriptura Sacra tantum peti solebant, quod ad haec tempora in Officio feriali servatur. In Adventu legitur Isaias; quia inquit Amalarius *de Ord. Antiph.* Cap. 76 nemo Propheta apertius loquutus est de Nativitate Iesu Christi. In Passione Ieremias legitur, qui multa narrat de eadem. Post Pascha Actus Apostolorum et Epistolae Apostolorum; quia virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Iesu Christi. Legitur Iob, quia in pace Ecclesiae non desunt fidelibus tentationes ad probationem et exercitium virtutis. A Septuagesima ad Dominicam de Passione, Genesis et Exodus; quia passionem Domini celebraturi recurrere debemus ad Adae peccatum. Mense vero septembris Libri quatuor percurri solent, videlicet Tobias, Iudith, Esther et Esdras per quos quatuor virtutes cardinales indicantur; Tobias enim prudentiae typum gessit, Iudith fortitudinis, Esther temperantiae, Esdras, justitiae. Mense novembri leguntur Ezechielis, Danielis, et duodecim Prophetarum Libri, quia saepe loquuntur de adventu Messiae, quem celebramus in proximo Decembri.

II. De Passionibus vero SS. Martyrum legendis publice in Ecclesia antiquissimus est usus. Hujus rei praeclarum perhibet testimonium S. Augustinus in Sermone II de S. Stephano. Et in Concilio Carthaginensi tertio sub finem saeculi IV celebrato permissum fuerat legi passiones Martyrum in eorumdem Anniversario,

sive die Festo. Trullana vero Synodus can. 63 falsa Martyrum, aliorumque Sanctorum Acta legi vetat; sed ex hac prohibitione, colligi potest genuinas Martyrum historias solitas fuisse legi. S. Caesarius quoque *Serm.* 140 apud S. Augustinum Actorum Martyrum meminit, quae ipsorum festis legebantur. Praetereundum non est, quod Martyrum Actorum Lectio ad Missam fiebat ante Epistolam et Evangelium , et hinc est quod eadem Acta quibusdam Missalibus et Sacramentariis inserta fuerunt. Mos iste servatus fuit in Gallia ad IX usque saeculum , in Hispania vero ultra X. — Eadem Acta sub Missae medium explicabantur ab Episcopo, et hinc originem suam traxerunt Homiliae sive sermones, quas Patres in Martyrum laudes pronunciabant. Primae Historiae de Sanctis in officio Divino habuerunt auctores Paulum Diaconum et Usuardum Monachum. Quas nunc habemus secundas Lectiones et Historias Sanctorum , eae fuerunt a Baronio et Bellarmino recognitae et approbatae sub Clemente VIII. Priscis temporibus ad tertium Nocturnum Lectiones ex Novo Testamento desumptae legebantur, sicut etiam usque modo leguntur tribus diebus ante Pascha , non vero legebatur Evangelium, quia hoc Missae Lectioni destinatum erat. Verum postea tertii Nocturni ordo mutatus fuit. Institutus est enim ritus legendi Evangelii diei currentis initium tantum, ad nimiam Officii longitudinem evitandam, et deinde Homiliam, sive cujusdam Patris ejusdem Evangelii explanationem. Censet Grancolas hunc morem originem suam trahere ex Regula S. Benedicti. Olim valde prolixae erant Lectiones quae recitabantur in Nocturnis ; Aureliani siquidem Regula praescribit, ut tres, vel quatuor paginae legantur pro Scriptura ; S. Caesarius vero ait tres paginas ad singulas lectiones legendas esse ; Udalricus in Consuetudinibus Cluniacensibus refert librum Geneseos Septuagesimae hebdomada perlectum fuisse, Isaiam sex ante Adventum noctibus, Epistolam ad Romanos duabus; unde Libri cujusque Lectio, donec absolutus esset, perdurabat, et ideo integra legebatur Sacra Scriptura in cursu Officii Divini.

III. Mos assidendi ad Lectiones est antiquissimus , et quia valde longae erant, et ut majori cum attentione

audirentur. Iuxta Regulam S. Caesarii non solum audientibus, sed Lectori ipsi, propter longitudinem lectionum sedere licebat: et idem praescribitur in Regula S. Aureliani. Quidquid vero in Ecclesia praeter Scripturam Sacram legebatur, ab Episcopo, vel a Synodo approbandum erat; nihil autem a laicis compositum legi poterat juxta Concilium Laodicenum Can. 55: *Nihil a plebe editum legatur in Ecclesia.* Et tertium Carthaginense: *Ut nullae preces, et orationes legantur, nisi sint in Synodo approbatae.* Inter Patres autem, qui in Ecclesia ad secundum Nocturnum legebantur, adnumerantur S. Cyprianus, S. Ioannes Chrysostomus, S. Hilarius, S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Isidorus, et S. Leo Papa. Radulphus Tungrensis ait aetate sua Bedam Romae lectum non fuisse, sed tantum in Anglia, in Gallia et in Germania. Cum Prophetae legebantur, dici ad finem solebat; *Haec dicit Dominus, convertimini ad me, et salvi eritis,* quod Carthusiani ad hanc diem servant. Saepe Lectores e superiore loco, ut facilius ab universis audirentur, Lectiones praelegebant; *Qui suggestum ascendunt,* ait Concilium Laodicenum Can. 15 *vel super Ambonem legentes,* ait Concilium Nicaenum II Can. 14, Lector lectionem orditurus plerumque dicere solebat: *pax tecum.* Quamvis suae singulis diebus assignatae essent Lectiones, non co erant tamen modo distinctae, qui hodie in Breviariis nostris est digestus. Lectiones autem terminandi varius fuit modus: aliquando enim Praeses manus plausu lectioni finem imperabat, qui ritus praesertim viguit apud Monachos, teste Cassiano Lib. II Cap. 11. In Turonensi S. Martini Basilica qui choro praerat alta voce clamabat: *fac finem,* statimque lector parebat. In Romana Ecclesia cum lectiones singulae finiendae essent, Diaconi praecinebant *Tu autem Domine,* uti Benedictus S. Petri Canonicus et Cencius praescribunt in suis Romanis Ordinibus. Constat praeterea in qualibet Ecclesia Lectionarium fuisse, quo Lectiones continebantur per annum recitandae, sive ad Missam, sive ad Officium. Sidonius Apollinaris Lib. IV Epist. 7 Claudianum laudat, quod lectiones in Officio per anni curriculum distribuisset, et proprias pro Festis solemnibus inseruisset. *Iube* autem, sive venia le-

gendi a Lectore petita demonstrat, missione opus esse a Praepositis data, ut docendi alios atque erudiendi munus exerceri possit: legere enim revera erudire est. Hinc *Iube Domne* dicitur, non *Domine*, celebrantem non Deum alloquendo, contra vero ad finem *Tu autem Domine*, sermone ad Deum ipsum converso, veniam de peccatis inter legendum admissis petendo, vel ut in ejus nomine Divini Verbi lectionem absolvere liceat; quare universi ad Deum convertuntur, gratias illi pro verbo suo agentes, *Deo gratias*. Omnes hi ritus a Monachis profecti sunt, neque adhuc Officio trium ante Pascha dierum, neque Defunctorum Officio inserti. Postquam Libri inscriptio semel perlecta fuerat, sequentibus diebus minime repetebatur; hinc sine iscriptione legitur Isaias ad primum Nocturnum Natalis.

IV. *Responsoria vocata sunt hoc nomine, quod uno canente, chorus consonando respondet*, ita Isidorus Lib. I Cap. 8, *Responsorium*, ait Rupertus Lib. I Cap. 25 *appellatum est, quia respondet lectionibus tristia tristibus, laeta laetis succinente Choro*. Antiquissimus est ejusmodi Responsoriorum usus in Ecclesia Romana. Ex Italia ab antiquissimis temporibus Responsoria acceperunt Ecclesiae Galliarum atque Hispaniarum, ut ex veteribus illarum gentium Conciliis, aliisque monumentis satis apparet. Responsorium quodlibet duabus constat partibus, priori, quae ipsa *Responsorium* dicitur, et posteriori, quam *Versum* appellamus. Sanctus Benedictus *Gloria Patri* ad finem postremi Responsorii cujusque Nocturni cani jussit; eaque *doxologia* ad ejus exemplum in Romanum Officium fuit inserta. Significat autem Responsorium, juxta Amalarium *de Ordine Antiphonarum* Cap. IV quod exoptat nos Ecclesia non tantum auditores verbi Dei in Lectione, sed etiam factores post Lectionem, et novem Responsoria nos conjungunt gaudiis novem Ordinum Angelicorum. Et juxta Durandum Lib. IV Cap. 19 est etiam gratiarum actio de beneficio collato intra illam horam, cui cum Nocturno, seu hora Canonica correspondet Responsorium, et quia laus Dei repeti debet, ideo repetitur Responsorium, et in fine additur *Gloria Patri*, ut de omnibus donis ac datis laudemus Creatorem. Qui inchoat Responsorium,

idem et Versum recitat, ait Ordo Romanus ceteri repetunt, ut ipsum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata. Repetitio est imperfecta, hoc est, partis tantum Responsorii, ut fateamur, opera nostra esse imperfecta. In aliquibus Festis est perfecta a capite, ut in primo Responsorio Natalis Domini, Paschatis, et primae Dominicae Adventus: ad denotandam plenam notitiam et perfectionem Sanctorum. Qui olim Responsorium praecinebat, unus dumtaxat erat Cantor, non duo Cantores, ut testatur Isidorus Cap. VIII *de Divinis Officiis*. Romae vigebat hic ritus etiam saeculo IX, ut unus scilicet Cantor Responsorium cantaret, et hoc testatur Amalarius *de Ordine Antiphonarii* Cap. XVIII et alibi. Posteriori aevo Cantores duo in Ecclesia Romana Responsorium Graduale modulari coeperunt, ut in Caeremoniali Benedicti Canonici habetur. Ritus praesens canendi dicta Responsoria varius est juxta Ecclesiarum variarum consuetudines et dispositiones.

V. Capitula de quibus hoc loco est sermo, sunt breves quaedam Lectiones e sacra Scriptura depromptae, quae dicuntur ad Horas Canonicas, aliquando ante Hymnum, ut ad Laudes et Vesperas, aliquando post Hymnum, ut ad Completorium, aliquando dictis Psalmis cum Antiphona, ut ad reliquas Horas minores. Haec Capitula Radulphus *Proposit.* 13 *Lectiunculas* appellat observante Gavanto, S. vero Benedictus semper Lectiones vocat, quas memoriter recitandas esse praescribit Cap. XIII et XVII Regulae suae, quod quidem S. Benedicti praescriptum non aliam habet causam praeter brevitatem ipsam Lectionum. Ante Capitula non petitur benedictio, quia, teste Amalario Lib. IV Cap. 3, ut plurimum has Lectiones legit Superior, qui Iesu Christi vicem gerit. Stamus ad Capitula, non sedemus, sicuti ad Lectiones Matutini; tum quia breves sunt Lectiones, tum quia, stante majore, qui Capitula legit, ob ejusdem reverentiam stare debent alii, ut de Nona Lectione ab Episcopo lecta in Natali Domini praescribitur in *Caeremoniali Episcoporum* Lib. II Cap. 5. Capitulum Tertiae in Festis idem, ut plurimum, cum Capitulo Laudum et Vesperarum. Laudes et Tertia sunt Horae nobiliores. Sumi vero debent ex sacra Scriptura. In fine non dicitur

Tu autem Domine, quia neque dicitur ante *Iube Domne*, quae duo sunt invicem correlativa; tum vero quia Sacerdos Hebdomadarius ea recitat, cui non convenit ordinarie benedictionem ab alio petere; et praeterea in breviori Lectione facilius culpa evitatur, praesertim a perfecto viro, qualem repraesentat Hebdomadarius qui Capitula recitat, uti observat Durandus.

VI. Sive Officium fiat de Sancto aliquo, sive de Feria, eadem Oratio dicitur ad omnes Horas juxta Ritum Romanum, exceptis Prima et Completorio, in quibus quocumque recurrente Officio, semper eadem dicuntur Orationes. In Ambrosiano tamen, sicut et in proprio quorundam Monachorum Ritu multas in unoquoque Officio haberi Orationes, observavit Guyetus, ut ipse testatur Lib. III Cap. 2 quaest. 8, praesertim in antiquis Breviariis Cluniaeensibus. Oratio desinit in clausulam istam: *Per Dominum nostrum Iesum Christum*, quia Sacerdos Deum alloquitur per Iesum Christum Mediatorem in unitate Spiritus Sancti, S. Fulgentius testatur Africae Ecclesias preces suas iisdem verbis absolvisse. Animadvertendum insuper est cum doctissimo Grancolasio, licet nullibi majori eloquentia quam Romae Orationes conscriptae sint, serius tamen in Divinum Officium invectas fuisse, atque pro Missa tantum deservisse. Horae omnes *Pater noster* absolvebantur; Orationes vero dicebantur, cum populus conveniebat, ut ab una ad aliam Ecclesiam transiret, teste Micrologo Cap. III. Mos Officia per *Pater noster* absolvendi in Concilio Toletano IV conspicitur Can. 10 atque in Officio Mozarabico servatur. *Pater* alta voce dicitur, atque ad singulas petitiones *Amen* respondetur, quarta excepta *panem nostrum*, ad quam dicitur: *Quia tu es Deus.* Postea Oratio sequitur. Ioannes Abrincensis in suo de Officiis Tractatu ait, Laudes et reliquas Officii Horas per Dominicam Orationem absolutas fuisse, Festis exceptis: *Laudes in ceteris Horis cum Oratione Dominica et precibus, exceptis Festis, Oratione vero semper complentur*. Praedicta autem Oratio Dominica alta voce ad Laudes et Vesperas dicebatur ex Cap. 13 Regulae S. Benedicti, et ex Decreto Concilii Gerudensis anno 517 celebrati Can. 10 his verbis: *Item nobis semper placuit*

observari, ut omnibus diebus post Matutinas, et Vesperas Oratio Dominica a Sacerdote proferatur.

CAPUT XV.

DE COMMEMORATIONIBUS COMMUNIBUS, SEU SUFFRAGIIS SANCTORUM.

I. Gradimur ad Commemorationes Communes dictas, quod non uni aut alteri Officio particulares sint, sed cuilibet Officio feriali et semiduplici communes; quae etiam *Suffragia Sanctorum* appellantur, utpote ad horum auxilium implorandum institutae, et *Memoriae* a Radulpho prop.14, quod in iisdem fiat memoria eorumdem Sanctorum. Excluduntur ab Adventu, ut in adventu Principis cedant servi; a tempore Passionis, ut uni Christo illo tempore, quo ejusdem repraesentatur passio, vacemus; a tempore Paschali, quia cum juxta Ioannem Epistola I Cap. 2 Christus post resurrectionem suam apud Patrem advocatus noster factus sit singularis, aequum est, quod eo tempore spes nostra specialiter elevetur ad unicum ejus singulare refugium; ab officio denique duplici et ab octavis, ad majorem celebritatem; ceteris vero temporibus in officio feriali et semiduplici, quod non sit infra octavam, semper dicuntur. Fiunt de S. Maria, et de SS. Petro et Paulo tanquam Patronis totius Ecclesiae; de Patrono principali loci, et Titulari Ecclesiae tanquam particularibus Protectoribus; qua de causa a Regularibus additur suffragium Institutoris. Ultimo loco fit commemoratio de Pace, quiaulti mum quod expectamus, est pax aeterna, et quia in pace bona omnia continentur. In Officio feriali additur Commemoratio de Cruce; quae quidem, exclusis ceteris, locum habet toto Paschali tempore in feriali et semiduplici officio extra Octavam, ad recolendam ejusdem Crucis victoriam. Gavantus, Sect.5 Cap. 18 num. 7; et Guyetus, Lib. III Cap. 17 quaest.7; putarunt in Ecclesiis SS. Salvatoris, et Redemptoris sufficere suffragium Crucis ordinarium, quia cum suffragium Crucis sit de eodem Christo, bina de eodem commemoratio haberetur.

II. Commemorationem S. Mariae silendam esse in-

ter Sanctorum suffragia, quando in Choro dicitur officium parvum ejusdem, expressa Rubrica est 35 num. 4. An autem sileri et debeat in Ecclesiis eidem dicatis, negative Congregatio reponit. In Ecclesiis B. Mariae dicatis ex duplici capite ejusdem suffragium venit addendum, ratione scilicet generalis patrocinii, quod de universali gerit Ecclesia, et causa particularis protectionis, seu Tituli, sub qua quiescit, et sub quo inscripta est particularis Ecclesia illa. Opinio fuit Gavanti Sect. 5 Cap. 18 n. 3 privatum recitantem officium parvum teneri ad commemorationem generalem Beatissimae Virginis, perinde ac si illud minime recitaret. In Vigiliis Patroni, aut Titularis Ecclesiae, vel Fundatoris Religionis, eorum officiis votivis, inventionis, translationis, etc., quae de iisdem sub ritu semiduplici fortasse celebrantur, esse omittenda eorumdem suffragia, cum Rubricistis omnibus tradunt Gavantus, sect. 5 Cap. 18 num. 14; et Guyetus, Lib. III Cap. 17 quaest. 13.

CAPUT XVI.

DE HYMNO *TE DEUM*.

I. Vulgaris sententia tenet Hymnum, seu Canticum *Te Deum laudamus* a SS. Ambrosio et Augustino alternatim, et extempore divino Spiritu afflatis recitantibus, fuisse compositum, in gratiarum actionem, statim postquam Divus Augustinus Baptismi Sacramentum suscepit. Hanc sententiam tenent P. Eustachius a S. Ubaldo, in sua elaboratissima Disquisitione quam adornavit de Auctoribus hujus Hymni; Lorinus, *in Psalmum 27* v. 9; Henricus Spondanus, *in Epitome Annalium Baronii in additione ad numerum 9* anno 388; Casalius, *de veteribus sacrorum Christianorum ritibus* Cap. 46; Bellotte, *de Ritibus Ecclesiae Laudunensis; Observatione* 32 num. 3 pag. 193; Castaldus, *in Praxi Caeremoniarum* Lib. II Sect. 3 Cap. 2 n. 9; Benzonius, *in Magnificat* Lib. I Cap. 19. Omnes isti praefati Hymni *Te Deum laudamus* SS. Ambrosium et Augustinum nonnisi ex supposito S. Datii Chronico Lib. I Cap. 9 auctores fuisse cognoscunt. Gavantus praedi-

ctae vulgari et communiori sententiae aperte refragatur, quia, eruditioribus adhaerendo, non admittit chronicum S. Datii Antistitis Mediolanensis. Gavanto subscripsit etiam Hugo Menardus, *in notis ad Ritus Unctionis Regis Francorum* post *Sacramentarium S. Gregorii* pag. 399 et 400; Petrus Puricellus, *in Vita S. Laurentii* Cap. II n. 2 et Cap. 20 n. 17; fuse vero in *Dissertatione Nazariana* Cap. 39; Bosca, in *Martyrologio Ecclesiae Mediolanensis ad diem 14 Januarii*; Mabillon, Tom. I *Analectorum*; Cardinalis Bona, *in notitia Auctorum praefixa suo operi de Divina Psalmodia* Littera D. ubi ait: *Datio Episcopo Mediolanensi falso adscriptum Chronicum, ut censent viri eruditi.*

II. Auctores, qui praefatum Hymnum soli Ambrosio adjudicant, sunt Puricellus, in *Dissertatione Nazariana*. Cap. 39; Martene, *ad Caput II Regulae S. Benedicti*; Lohner, in *Instructione practica de Officio Divino part. 2 tit. 1.* Praeter supradictas opiniones circa Auctorem Hymni *Te Deum laudamus*, aliae etiam circumferuntur, quae aliis Auctoribus eumdem hymnum referunt. Ita Gavantus in Breviario manuscripto Collegii Aniciani de Urbe antiquissimo legit: *Te Deum laudamus*, hoc titulo praenotatum: *Hymnus S. Abundii*, cuius tamen Auctoris nullibi alias mentio habetur, unde prorsus ignoratur quis sit. Natalis Alexander in sua *Historia Ecclesiastica saeculo IV* Cap. 60 num. 12 Canticum *Te Deum laudamus* refert cuidam Monacho Ordinis Benedectini Sisebuto nomine, idque constare asserit ex antiquo Breviario Chori Monasterii Cassinensis descripto paulo post annum 1086, in quo hoc Canticum inscribitur: *Hymnus Sisebuti Monachi:* cui pariter idem Canticum tribuitur in altero Codice manuscripto Vaticanae Bibliothecae laudato a doctissimo Cardinale Bona in Libro *de Divina Psalmodia.* Non desunt etiam, qui eundem Hymnum Nicetae adscribant, ducti auctoritate Psalterii Latini-gallici, cuius mentionem fecit Iacobus Usserius Armacanus *in Tractatu de Symbolis Romanae Ecclesiae:* sed cum ignoretur quis fuerit iste Nicetas, qua aetate floruerit, hujus Hymni auctor judicari non potest. Sanctum Hilarium Pictaviensem hujus Hymni auctorem indigitant auctores Praefationis ad ejusdem

S. Hilarii opera. Haec sunt, quae hac de re video circumferri; et propter quae Antonius Pagius in Critica Annalium Baronii ad Annum 388 num. 11 sic habet: *Auctorum diversitas, quibus illud Canticum Te Deum laudamus adscribitur, ostendit hujus Cantici auctorem adhuc nos latere.* Incertum itaque prorsus est, cui debeat hic Hymnus vindicari, quamvis de ejus antiquitate dubitari non possit.

III. In hoc Hymno sunt sententiae quaedam e S. Cypriani Libro *de Mortalitate* excerptae, ubi de vita aeterna agens ait: *Illic Apostolorum gloriosus Chorus, illic Prophetarum exultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus, illic Virgines* etc. Certum tamen videtur hunc Hymnum fuisse conscriptum pro Matutinis Officiis, ut ex postremis ejusdem versibus facile colligi potest: *Per singulos dies benedicimus te; dignare, Domine, die isto sine peccato nos custodire.* Petrus Damianus in vita S. Odonis Abbatis Cluniacensis refert, Sanctum illum praescripsisse, ut Monachi humi se prosternerent ad illa verba: *Tu ad liberandum suscepturus hominem,* et ita a Monachis servatum est.Canticum istud a quibusdam Hymnus Dominicalis appellatur, quia olim Dominicis tantum dici solebat. Quod asserit Gavantus Gelasium decrevisse cantari *Te Deum*, id colligit ex Benzonio in *Magnificat*, cui tamen nulla fides adhiberi debet. Praefatus Hymnus juxta Ritum Romanum recitatur etiam in Officio feriali toto tempore Paschali. Iuxta Regulam tamen monasticam S. Benedicti nunquam dicitur *Te Deum*, nisi quando habetur Officium duodecim Lectionum. A Septuagesima ad Pascha non dicitur, neque in Adventu. Quando recitantur illa verba: *Te ergo quaesumus* etc. omnes in choro, detecto capite, genuflectunt, et quidem utroque genu. In publicis caeremoniis *Te Deum* cantatum fuisse comperimus ex Vita Ludovici Pii, ubi dicitur decantatum fuisse, cum Stephanus Papa Remos advenerat. Cantatum quoque fuit, cum Ebbo Remensi Sedi restitutus fuit, atque cum Carolo Calvo imperii diadema impositum est.

CAPUT XVII.

DE SYMBOLO S. ATHANASII.

I. Symbolum quod vulgo dicitur S. Athanasii, et quod incipit: *Quicumque vult salvus esse*, sancto Athanasio tribuit Augustodunensis in Gallia Synodus sub S. Leodegario Episcopo, habita anno Domini DCLXX. Idem Symbolum sub S. Athanasii nomine laudarunt Ratramnus Corbejensis Monachus Libro II contra Graecos, Æneas Parisiensis Episcopus Libro I Cap. 19 et Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis. Idem Symbolum sub Sancti Athanasii nomine laudavit Abbo Floriacensis Abbas. Athanasio quoque illud Symbolum tribuunt Rodulphus et Aymo ex Minorum, et Hugo et Petrus ex Praedicatorum Ordine: qui anno 1233 ad Graecos Latinis conciliandos a Gregorio IX Romano Pontifice Apocrisarii Constantinopolim missi sunt. Illud idem ut Athanasii genuinum opus laudant Guillelmus Durandus, in *Rationali Divinorum Officiorum*, pag. 40; Gennadius Scholarius, *in Defensione Concilii Florentini*, Cap. I. Auctores vero, qui S. Athanasio hoc Symbolum eripiunt, sunt Natalis Alexander, in *sua Historia Ecclesiastica* saeculo IV Cap. 6; Gotefridus Hermantius Bellovacensis Canonicus, in suis observationibus ad vitam S. Athanasii gallice a se compositam, Iosephus Anthelmus, in *sua disquisitione de Symbolo S. Athanasii;* et Clarissimus P. Montfauconius Athanasiorum operum diligentissimus editor et illustrator tom. 3 in fine; et alii plures ab iisdem citati.

II. Ac primo quidem nullus auctor Athanasio coevus aut suppar, ejus meminit. Non S. Gregorius Nazianzenus in Oratione *De Laudibus S Athanasii*, non ullus Historicorum Ecclesiasticorum, qui primis saeculis scripserunt, non Athanasius ipse in apologiis. Secunda ratio est, quod S. Athanasius, in Epistola ad Antiochenses, procul se fuisse a condenda nova Fidei formula testetur, et Nicaenae Synodi Symbolum suis omnibus numeris absolutissimum esse contendat. Neque illis temporibus novum componere Symbolum conveniens fuis-

set. Hoc enim Ariani et Semiariani in Pseudosynodis agebant: quamobrem pessime audiebant apud Nicaenae Fidei professores ac defensores. Tertia ratio petitur ex silentio S. Cyrilli Alexandrini, Ephesinae Synodi, S. Leonis, et Concilii Chalcedonensis, a quibus dubio procul contra Nestorianam et Entychianam Haeresim laudatum fuisset istud Symbolum, si S. Athanasii fuisset. Certe S. Cyrillus, Athanasii successorum unus, id non ignorasset; neque neglexisset illius auctoritatem ad refellendum Nestorium validissimam. Quarta ratio petitur ex stylo sermonisque contextu, qui nequaquam Graeci hominis est, sed Latini. Quinta ratio ex eo sumitur, quod in antiquis et probatae fidei Codicibus manuscriptis pene omnibus Operum S. Athanasii hoc Symbolum desideretur. Demum si hujus Symboli auctor fuisset Athanasius, ei inserusset *Consubstantialis* vocem, pro qua tuenda toto vitae curriculo certavit, tantisque periculis perfunctus est.

III. Qui illud S. Athanasio tribuunt, non conveniunt inter se quando et qua occasione illud ediderit. Quidam Treviris illud scripsisse dicunt. Nec auspicatius alii conjecerunt hoc Symbolum a S. Athanasio editum Romae, et Julio Pontifici Maximo oblatum. Procedimus tamen nunc ad aliorum sententias, nam cui auctori adscribendum sit idem Symbolum, variae sunt eruditorum sententiae. Iosephus Anthelmius, in sua *disquisitione de Symbolo S. Athanasii*, probare conatus est Vincentium Lirinensem auctorem esse Symboli, quod Athanasii nomine adornatur. Natalis Alexander in sua *Historia Ecclesiastica Saec. IV Diss. 6* demonstrare contendit a Vigilio Tapsensi, in Africa Episcopo, qui floruit sub finem V saeculi, Symbolum hoc prodiisse. Alii auctores, qui Symbolum istud non esse Athanasii, neque Vincentii Lirinensis, neque Vigilii Tapsensis asseruerunt, dividuntur in alias opiniones; alii enim Eusebio Vercellensi tribuerunt hanc lucubrationem, alii vero Anastasio Sinaitae, confundendo forsan Anastasii nomen cum Athanasio, ut suspicatur Montfauconius. Alii denique ab anonymo Gallo editum fuisse hoc Symbolum conjecerunt, Pipini, vel Caroli Magni temporibus, occasionem praebente controversia de Processione Spiritus

Sancti, de qua in Gallicis Synodis tunc actum est. In hanc sententiam descendit P. Pithoeus Libro de *Processione Spiritus Sancti*, et in eam se propendere profitetur Vossius in *Dissertatione de tribus Symbolis*. Quo tempore hoc Symbolum Romano Officio insertum fuerit, exploratum non habemus. Amalarius tamen, qui de hac re agit, testatur sua aetate recitatum fuisse. In Regula vero S. Benedicti nulla ejus fit mentio, neque etiam in novo Breviario Cluniacensi.

CAPUT XVIII.

DE MARTYROLOGIO.

I. Martyrologium est Catalogus Sanctorum. Plura porro collecta sunt Sanctorum Martyrologia. Primum illud est, quod appellatur vetustius Martyrologium Ecclesiae Occidentalis, quodque a Cassiodoro, Beda, Walfrido, Notkero, aliisque scriptoribus Divo Hieronymo tribuitur. Venerabilis Beda, qui mortuus est anno 735 Martyrologium edidit. Labente saeculo nono Rabanus Archiepiscopus Moguntinus, Wandelbertus Diaconus et Monachus Prumiensis in Dioecesi Trevirensi, et Ado Viennensis, seu potius ut alii malunt, Trevirensis Episcopus, Martyrologia itidem composuerunt. Martyrologium Rabani editum est a Canisio Tom. 6 *Antiquarum Lectionum*, illud autem Wandelberti insertum est Tom. 6 *Spicilegii* Lucae Dacherii. Praeter haec aliud est Martyrologium publici juris factum anno 1673 ab Heriberto Rosweydo. Usuardus Monachus S. Benedicti, et scriptor saeculi IX et X praecedentibus Martyrologiis Martyrologium composuit quod Carolo Calvo dicavit. Item elapsis circiter viginti annis ab editione Martyrologii Usuardi, Beatus Notkerus aliud edidit Martyrologium, publicatum quoque a Canisio Tom. 6 *Antiquarum Lectionum*, sed illud Usuardi praelatum est: legi etenim coepit et recitari in Monasteriis Benedictinorum in Choro ad *Primam* ante versiculum, *Pretiosa*, tum ab ipsis Benedectinis lectio ejus ad omnes fere alias Ecclesias propagata est, etiam ad Romanas, excepta tamen Vaticana Basilica, quae suum quoddam habebat

Martyrologium, quod hodie etiam in Archivo Capituli conservatur; ita ut in fine saeculi XV passim in Ecclesiis non aliud Martyrologium legeretur, quam Usuardi.

II. Multiplex Usuardini Martyrologii editio facta est: alia scilicet Venetiis anno 1498, alia a Ioanne Baptista Sollerio insigni continuatore Bollandiano: qui quidem vir doctus praedictum edidit Martyrologium additamentis expurgatum, et quotidianis observationibus illustratum, uti videri potest tom. 7 part. 2 Sanctorum Iunii. Multiplicatis idcirco Martyrologiis, quae omnino perfecta et erroribus vacua non erant, Summi Pontifices necessarium esse duxerunt curare, ut fieret, quantum fieri poterat, editio Martyrologii correcti in omnibus Ecclesiis legendi. Cura itaque haec a Gregorio XIII demandata fuit Silvio Antoniano tunc Canonico Sancti Petri, deinde in Sacrum Cardinalium Collegium cooptato, Roberto Bellarmino tunc Presbytero Societatis Iesu, Caesari Baronio tunc Presbytero Oratorii, deinde Cardinalitia dignitate insignitis a Clemente VIII, Ludovico de Torres tunc Archiepiscopo Montis Regalis in Sicilia, deinde Cardinali sub Paulo V, Ioanni Baptistae Bandino Canonico S. Petri, Michaeli Ghislerio Theatino, et Bartolomaeo Gavanto Barnabitae. Cum vero fere in omnibus Ecclesiis legeretur Martyrologium Usuardi, correctores eo uti sunt. In corrigendis autem erroribus, qui irrepserant, usi sunt Martyrologio, quod tunc Bedae credebatur, item Martyrologium antiquae Ecclesiae Sancti Cyriaci, in via Lata, item uno ex Menologiis Graecis latinitate donatis a Cardinale Sirleto. Denique hortante Baronio, additi sunt Sancti ex Menologio desumpti, qui ante schisma a Graecis colebantur, aliique nonnulli ex Latinis, quorum fiebat laudabilis a Patribus commemoratio, et signanter a S. Gregorio in *Dialogis*. Triplex facta est editio novi Martyrologii correcti; sed, cum prima et secunda mendis scaterent, purior et sincerior habita est illa, quae facta est anno 1584. Gregorius XIII in suis Litteris praefixis Martyrologio Romano correcto mandavit, ut in peragendo Divino in Choro Officio, omni alio amoto Martyrologio, eo tantum correcto uterentur, nulla re ad-

dita vel mutata, ita ut, si aliqui haberent alios Sanctos in suis Ecclesiis celebrari solitos, non possent eos inferre Martyrologio, sed eos deberent separatim habere descriptos. Facta insuper Martyrologii cum notationibus Cardinalis Baronii editione an. 1586 et ideo tempore Sixti V, nihilominus eadem prodiit sub eodem titulo Martyrologii Romani editi jussu Gregorii XIII. Sub Pontifice Urbano Papa VIII facta fuit recognitio Baronianae editionis et addita fuerunt nomina Sanctorum subsequenter canonizatorum, et textus fuit multis in locis emendatus ad fidem historiae. Nupera Martyrologii Romani editio accedente Summi Pontificis Benedicti XIV auctoritate completa est. Postremo animadvertendum, Apostolicam Sedem non judicare, inconcussae esse et certissimae veritatis quaecumque in Martyrologium Romanum inserta sunt, uti animadvertitur a Patre Honorato de Sancta Maria Tom. 2 Lib. 1 Dissert. 2 § 3 in fine. Quod et optime colligitur ex mutationibus et correctionibus a Sancta ipsa Sede demandatis. Enimvero Cardinalis Leander Colloredus multa paravit pro nova expurgatione Martyrologii Romani, sed morte praereptus opus absolvere et typis edere non potuit.

III. Postquam de Martyrologii auctoribus, et correctoribus satis, ut arbitror, locuti sumus, nunc procedimus ad examinandam circumstantiam tum temporis, tum etiam loci, in quo Martyrologium impraesentiarum legitur, et antiquitus legebatur. Itaque legitur Martyrologium in Choro post Orationem ad Primam, ut notant Rubricae cujuscumque Breviarii eidem Primae insertae. Sed antiquus Monachorum mos erat mane Capitulum vocare, seu Monachos congregare in suis Monasteriis ad Martyrologii, Necrologii, sacraeque Regulae lectionem, culparum emendationem, ac laboris injunctionem, distributionemque faciendam a Capitibus, seu Superioribus Coenobiorum, qui simul cum aliis conveniebant. Locus ipse ubi haec tractabantur, Capituli nuncupationem accepit. Primus itaque actus Capituli erat Lectio Martyrologii; circa hanc Martyrologii lectionem observandum est cum Martene, primo quod Lector in medio Capituli constitutus benedictionem postulabat

ad legendum. In antiquis Germaniae consuetudinibus manuscriptis ad solum Prioris Sacerdotis nutum legi debebat Martyrologium. Secundo idem Lector eos semper annuntiabat Sanctos, quorum Natalis dies in diem sequentem incideret. Finita Martyrologii lectione, surgere debebant omnes, et dici ab Hebdomadario *Pretiosa in conspectu Domini*, cui ceteri de Choro respondebant *Mors Sanctorum ejus*. Cui quidem orationi, religionis ac devotionis ergo in Beatissimam Dei Genitricem, juxta praesentis Rubricas praemittitur sacratissimum Beatissimae Mariae nomen hoc modo: *Sancta Maria et omnes Sancti*. Recitata praedicta Oratione a Sacerdote, ad Deum Trinum elevamur, ait Gavantus, repetito versu ter *Deus in adjutorium meum intende*. De hoc eodem versu Martene ait, quod erat secundus Capitularis actus, quod ter a Priore vel a Sacerdote ex integro talis versus dicebatur, terque item a Congregatione repetebatur. Tertius Capitularis actus erat Lectio Regulae, ad quam sedebant omnes. Huic Regulae lectioni substituta est juxta Ritum Romanum Brevis lectio, seu Capitulum, quod dicitur in fine Primae, petendo tamen benedictionem ab Hebdomadario: quo brevi Capitulo lecto, subjungitur a Lectore. *Tu autem Domine*.

IV. Circa modum legendi in Choro Martyrologium, Lector exacte servare debet dispositiones Rubricae Martyrologio praefixas; idem Lector accedere debet, detecto capite, ad legile, super quo ponendum est Martyrologium, et praemissa Cruci Altaris reverentia, vel genuflexione, praesertim si Sacramentum aderit. Quod si praecipuum aliquod Festum vel Patroni nomen pronunciatur, fieri debet ab omnibus reverentia capitis detectioni et inclinationi conjuncta. Speciali autem Solemnitate, et Ritu in omnibus Ecclesiis cantari solet, et debet Martyrologium in Vigilia Nativitatis Domini. Finis et scopus ob quem Ecclesia singulis diebus post Primam legi voluit Martyrologium, fuit profecto ut eorum facta imitemur, quorum exitus admiramur. Praeclare Augustinns Serm. 47 de Sanctis: *Solemnitates Martyrum exhortationes martyriorum sunt, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Illorum autem nomina*

anticipata lectione recitantur, quorum memoria sequenti die recolitur, quatenus venturae festivitatis celebrationem digniori apparatu praeveniamus.

CAPUT XIX.

DE ANTIPHONIS FINALIBUS BEATISSIMAE VIRGINIS.

I. Antiquissimis Ecclesiae temporibus constat sacras Horas consuevisse concludi Versiculo: *Benedicamus Domino*, cui responderetur a Choro : *Deo gratias :* quasi diceretur Deum laudemus, quod nobis concesserit eum laudare. Id discimus ex Amalario Lib. IV Cap. 4, qui monet etiam, nos ea ratione imitari Christum qui discedens a mundo, ut ad caelum ascenderet, salutavit discipulos, illisque benedixit. At quod ad Antiphonas, in quibus laudes Virginis dicimus attinet, in vetustissimis Ecclesiarum Codicibus divinum Officium continentibus absunt illae. Quamvis tamen haec vera sint, indubitatum est tamen, alios aliqua antiphona in laudem Virginis composita aut solemni prece illi porrecta, Ecclesiastico Officio finem imposuisse. Sane Martene de *antiquis Monachorum ritibus* Lib. I Cap. 12 num. 17 ex manuscriptis Statutis Capituli Floriacensis, haec allegat: *In fine Completorii loco Antiphonarum, quae dicuntur de Beata Maria, videlicet Completi sunt: etc. Ecce Completa sunt : debet dici alia antiphona, scilicet Alma Redemptoris : aut Salve Regina.* In Cluniacensi Coenobio, expleto Completorio, processionem fuisse factam, in qua *Salve Regina caneretur*, ex iis quae refert laudatus Martene de *antiquis Ecclesiae Ritibus* Tom. III Lib. IV Cap. 8 num. 11 pag. 60, assequimur. Iamdudum a Dominicanis *Salve Regina* post Completorium fuisse cantatam, ex his Thomae Cantipratensis Lib. 11 *de apibus* Cap. X num. 21 verbis assequimur : *Vere ergo*, inquit, *digne et juste a fratribus Praedicatorum Parisiis est sancitum, ut post Completorium omni die cum processione, et solemnitate cereorum Salve Regina, mater misericordiae, flexis initio genibus in gloriam, et laudem gloriosissimae Virginis decantaretur.* Bzovius ad annum 1239 docet, decrevisse Gregorium Nonum prae-

dictam Antiphonam *Salve Regina* recitandam certis divinae rei horis; quae horae fuisse videntur Matutinae et Vesperae. Aliquas Antiphonas in honorem Beatissimae Virginis fuisse post Completorium a Monachis cantatas, docet Martene de *antiquis Monachorum ritibus* Lib. I Cap. 12 num. 17. Allegat Meratus T. II Sect. V Cap. 22. num. 5 Breviarium Venetum, in quo dicuntur quatuor illae Antiphonae, statutas a Clemente VI anno 1350, earumque etiam meminisse ait Turrecremata in *Regula S. Benedicti ad Completorium*. Monet tamen idem Meratus, multo ante Cardinalem Turrecremata, atque adeo multo etiam ante Clementem VI mentionem harum antiphonarum fuisse factam: earum scilicet meminit Ioannes Parmensis in epistola data ad Fratres Minores anno 1249, quam epistolam exhibet Wadingus ad eumdem annum. Haec porro omnia, etsi facile excipiamus, non continuo fatemur ab Ecclesiis, et Clericis omnibus fuisse has Antiphonas Ecclesiastico Officio additas. Utcunque sit, multo antiquior fuit mos recitandi, saltem post Beatissimae Virginis Mariae Officium, antiphonam *Ave Regina Coelorum*. Cardinalis Quignonius in Breviario a se edito duas tantum exhibuit Antiphonas Virgini post Completorium recitandas; nimirum *Salve Regina* et *Regina Coeli laetare*. At S. Pius V quatuor antiphonas Romano Breviario restituit. En quae in Breviario ejus jussu Romae edito occurrunt: *Deinde dicitur una ex infrascriptis Antiphonis pro tempore. A Dominica prima adventus usque ad Purificationem antiphona Alma Redemptoris, A Purificatione usque ad feriam quintam in Coena Domini Ave Regina Coelorum. Tempore Paschali Antiphona: Regina Coeli: ab Octava Pentecostes usque ad Adventum Antiphona, Salve Regina.*

II. De auctore harum Antiphonarum sermonem instituamus. Ab ea exordiamur, quae primo loco posita est: scilicet ab *Alma Redemptoris*. Guillielmus Durandus in suo *Rationali divinorum Officiorum* Lib. IV Cap. 22 auctorem illius fuisse ait Hermannum Contractum. Eumdem Hermannum hujusce antiphonae auctorem affirmat etiam Wion Lib. V *Ligni Vitae* pag. 841 eamque opinionem approbare videtur Bellarminus de *Bonis Operi-*

bus in particulari Lib. I Cap. XV.—A quo composita fuerit antiphona, quae his verbis incipit: *Ave Regina Caelorum*, ignoramus: antiqua est tamen, et ab ipsis fere instituti Ordinis exordiis, a Franciscanis canebatur. In Officio Beatissimae Virginis Parisiis sub finem saeculi XV per Dionysium Messier edito, multo prolixior est antiphona ista. Antiphonam *Regina Caeli* a Gregorii Magni temporibus usque derivant: ajunt enim Gregorium Magnum, dum Romae lues dominabatur, ad eam avertendam, solemnem supplicationem, in qua praestantissima Mariae imago delata est, instituisse. Quae processio dum ageretur, ab eo loco, per quem Mariae Sanctisimae deferebatur imago, lues abigebatur. Id dum fieret, audivisse Gregorium Angelos eam, quam dicimus, antiphonam ad ea usque verba, *ora pro nobis* concinentes. Id affirmant Durandus, Lib. VI *Divinoram Officiorum* Cap. 89 num. 2; Canisius, *De Maria Virgine* Lib. V Cap. 22; Sigonius, Lib. II de Regno Italiae. At narratio haec in Criticorum offensionem incidit, neque illorum tantummodo Criticorum generi ea displicuit, qui *uti putentur sapere, caelum vituperant*, sed etiam illorum, quos prudentes et mites dicimus. Sic eam porro rejicit doctissimus ille S. Mauri Monachus, qui vitam S. Gregorii Papae conscripsit, adjecitque operibus ejusdem S. Patris a se editis T. IV Lib. I Cap. 7 pag. 217 edit. Venet. Ignotum itaque fateamur oportet hujusce antiphonae auctorem, quem tamen vetustum ac pium si dicas, a veritate non aberrabis.

III. Quoad antiphonam *Salve Regina*, non eadem omnium de hujusce antiphonae auctore opinio est. Ab Hermanno Contracto compositam plerique putant: alii S. Anselmo Cantuariensi laudem hanc tribuunt. A Petro Compostellano Episcopo fuisse compositam antiphonam, de qua agimus, affirmat Guillielmus Durandus in *Rationali Divinorum Officiorum* Lib. IV Cap. 22. In eadem sententia est Claudius a Rota *in Adnotationibus ad Pseudo-Luitprandum pag. 451*. Ab Haimero Podiensi Episcopo fuisse antiphonam, de qua agimus, compositam Albericus in *Chronico ad annum* 1130 affirmat. — At Ioannes Heremita Lib. II *vitae S. Bernardi* n.7 pag. 1419 V III Angelos videtur auctores hujusce antiphonae fa-

cere, propagatorem vero Bernardum Clarevallensem. Hactenus celebriores recensuimus de hujus Antiphonae auctore sententias. Praecipua ex illis Antiphonis, et cujus in Ecclesia usus antiquior videtur, est *Salve Regina*. Cardinalis Quignonius suo Breviario eam inseruit, ex quo S. Pius V transtulit in Romanum. Carthusiani non in fine Completorii, sed ad Vesperas dicunt hujusmodi Antiphonam; Carmelitae in fine cujuslibet horae; Cistercienses toto anni tempore. Guillelmus Einsegrenius in Chronico Spirensi refert S. Bernardum Apostolicae Sedis ad Germanos Legatum cum quadam die hujusmodi antiphona recitaretur in Ecclesia Spirensi, genua flexisse, et haec verba adjunxisse: *O Clemens, o pia o dulcis Virgo Maria*. Protestantes vitio nobis vertunt, quod in recitatione hujusmodi Antiphonarum, iis titulis Beatam Virginem decoremus, qui soli Deo debentur. Iniqua prorsus accusatio; nos enim Beatam Virginem non alia ratione Vitam nostram, Spem nostram appellamus, nisi quia Ipsa nobis genuit Christum Dominum, qui vere spes nostra est, ac vita, et a quo Ipsa suis precibus spem nobis ac vitam impetrare potest. Quia vero Beatissima Virgo semper mortales materno protegit affectu, ideo in fine cujusque officii salutatio quaedam, et deprecatio ad eamdem Deiparam Virginem effundi solet, ut, si quid in tremendo Dei cultu humana fragilitate erratum est, Matris interventu propitiatus Dominus nobis non imputet ad culpam. Ipsa cunctos qui confidunt in ea, depulsis vitae procellis, munifico fovet amplexu.

CAPUT XX.

DE OFFICIO PARVO BEATAE VIRGINIS MARIAE ET DE OFFICIO DEFUNCTORUM.

I. Quamvis Ecclesia primis temporibus tum publicis, tum privatis precationibus Sanctissimae Deiparae auxilium quotidie flagitare, eamque erectis templis festisque diebus ejus nomini attributis, venerari consueverit; usus tamen recitandi preces ejus horarias non tantam videtur praeseferre antiquitatem, sicut officium Defun-

ctorum. S. Petrus Damiani, Monasticorum Rituum propugnator acerrimus, primus est, qui Officium parvum Beatissimae Virginis instituisse narratur; verum ut proprie advertit Gavantus, laudatus clarissimus vir ejusdem Officii fuit potius restaurator quam institutor; quam quidem veritatem testantur etiam scriptores vitae ejus fide dignissimi, nimirum Ioannes Monachus, ejusdem Sancti Petri Damiani discipulus Cap. 15; Ioannes Antonius Flaminius Forocorneliensis, *post medium*; Augustinus Fortunatus Camaldulensis, Lib. V *Historiarum Camaldulensium;* et Hieronymus Rubeus, Lib. V *Historiae Ravennatensis*. Hi omnes uniformiter asserunt, Officium parvum Beatissimae Virginis a Beato Petro non institutum, sed restitutum fuisse. Altius a Petro Damiani praedictam institutionem repetendam esse ostendit etiam Cardinalis Bona Cap. XII de *Divina Psalmodia* in utraque enim Ecclesia Graeca et Latina vir eruditissimus horas B. Mariae Virginis institutas invenit trecentis et amplius annis ante Petrum Damianum. Institutionis hujus occasio ex Ecclesiasticis Annalibus haec est. Anno Domini 1095 Urbanus II Summus Pontifex aegre ferens Jesu Christi incunabula, ejusque Sepulchrum ab infidelibus Turcis omni genere contumeliarum affici, in Concilio apud Claramontem in Galliis celebrato bellum sacrum indixit. Ut autem res difficillima optatum consequeretur effectum, optimum duxit sacrosanctae Virginis precibus sibi Deum conciliare. In cujus rei gratiam sancivit, ut ejusdem Sanctissimae Virginis Officium jam a quibusdam Monachis frequentatum ab illis deduceretur ad Clericos, qui pie susceptum onus singulis diebus persolventes Dei Matrem exorarent, quo ejus aspirante gratia fidelis populus in tantis discriminibus subeundis divino praesidio muniretur. Quod officium ea occasione institutum tanto deinceps studio propagatum fuit, ut ipsi etiam laici cum magno gratiarum foenore illud soleant frequentare. Ex dictis error quorumdam convincitur, qui Urbanum Secundum primum harum precum faciunt auctorem, cum earum promotor, non institutor fuerat, quod natum in claustris Monachorum, in lucem gentium sapienter eduxerit. In Officii parvi Beatistimae Virginis recitatione idem fere

ritus observatur, quo solet majus Officium recitari. Nam et septem Canonicis Horis constat, et eodem Psalmorum, Antiphonarum ac orationum numero expletur. Hoc Officium, inquit Radulphus, intermittitur aliquando propter temporis incongruentiam, ut Hebdomada Paschali, et triduo praecedenti: aliquando ne bis diei videatur, ut quando servitium principale fit de Beatissima Virgine: itemque in quibusdam majoribus solemnitatibus.

II. Officium Defunctorum dictum est *Agenda* a Walafrido Cap. 25 et a Durando Lib. VIII Cap. 35. Sancto Augustino tanquam auctori tribuit Iacobus de Valentia in *Expositione Hymni Te Deum.* Auctor ligni Vitae Lib. V auctorem hujus Officii facit Amalarium. Hujus Officii Defunctorum, ut nunc est, institutio quamvis ignoretur, constat tamen, consuetudinem preces effundendi pro animabus Defunctorum ab ipsis Apostolis emanasse. Christianorum viventium preces suffragari posse, et prodesse fidelium Defunctorum animabus in Purgatorio detentis, est certissimum Fidei dogma, et idcirco Sancta Mater Ecclesia salubri consilio decrevit, ut Sacerdotes in suis Sacrificiis recolant semper eorumdem Defunctorum memoriam. Officium Mortuorum incipere a Vesperis docet in suo Rationali Durandus Lib. VII Cap. XXXV Num. XXXIII additque mox Num. XXXIV non habere ipsum Officium secundas Vesperas, imo nec alias Horas Canonicas praeter Matutinum et Laudes, ob minorem scilicet ejus Officii solemnitatem. Estque is hodie usus Ecclesiae, sicut etiam olim fuit, ut Mortuorum Officium solis primis Vesperis et Matutino et Laudibus celebretur. Recitatio Invitatorii non ita antiqua est in Officio Defunctorum. Antiphonae, Psalmi, iidem pene olim qui nunc usurpantur, uti testatur Martene. Porro quod Lectiones attinet, mira certe fuit Ecclesiarum varietas: *In quibusdam enim Ecclesiis*, teste Beletho Cap. CLXI *novem leguntur lectiones ex Iob; in aliis vero totidem, sed ex Libro Sapientiae.* Eadem quae docet laudatus Belethus saeculi XII scriptor, tradit Durandus qui floruit labente saeculo XIII Lib. VII sui Rationalis, Cap. XXXV, Num. XXXIII. Non habent Defuncti secundas Vesperas, ad significandum quod hoc officium finem habe-

bit, quando animae ab omni poena liberatae Deo fruentur. Incipit Officium istud absolute sine solemni divini adjutorii invocatione, sine Sanctissimae Trinitatis glorificatione, sine benedictionibus, aliisque ritibus laetitiam indicatibus, quia ut notat Amalarius Lib. III Cap. 43 ad imitationem agitur Officiorum, quae aguntur in morte Domini. Accedit quod in Lege Veteri praeceptum erat, ne in Sacrificio pro peccatis oleum laetitiae et thus suavitatis admiscerentur: ideo etiam in his precum oblationibus pro peccatis mortuorum suavia laetitiae Cantica reticemus. Nocturnae preces tribus Psalmis, totidemque lectionibus et Responsoriis constant, ut percepta venia peccatorum cordis oris et operis, Angelorum consortio aggregari mereantur.

III. Officium Defunctorum pro omnibus generatim dicitur die II Novembris, quo die inscripta habetur in Calendario, atque etiam in Martyrologio, *Commemoratio omnium fidelium defunctorum*. Dicitur item extra tempus Paschale prima cujusque mensis die, non impedita festo novem lectionum. In Adventu autem et Quadragesima, feria II cujuslibet hebdomadae, similiter non impedita, praeterquam in sanctiori hebdomada quae Pascha praecedit. Ita Rubrica huic Officio praeposita. Quatuor tempora assignantur a Rituali, in quibus recitari debet hoc officium in Choro. In die depositionis, in tertio, in septimo et in anniversario. Dies depositionis dicitur ille, in quo Cadaver depositum est in Ecclesia, vel sepulturae traditum, et quandoque vocatur dies obitus, quia parum distat a depositione, seu sepultura. Quandocumque Cadaver deferatur ad Ecclesiam, dici potest hoc officium. Unice advertendum est quod si mane dicatur, non erunt dicendae Vesperae, quia tempori non conveniunt ex ipsa nominis significatione. Superest, ut dicamus de die tertio, septimo, trigesimo et anniversario. Certum est itaque Ecclesiam antiquitus, diebus hujusmodi consuevisse particulare Officium peragere, ac Missas celebrare, ex Cap. *quia alii*, q. 2. Dies tertius introductus est ad imitationem sepulturae Christi, et in memoriam Resurrectionis ejusdem, quae tertia die evenit. Die septimo Officia et Missae pro mortuis peraguntur ad manifestandam eorum

requiem, cum septima die Deus requieverit ab omni opere quod patrarat. Trigesimus dies cum Officiis et Missis defunctorum celebratur ad significandum, quod sicuti mensis tot dierum numero perficitur, ita mediante Missae Sacrificio, opera detunctorum, pro quibus Sacrificium offertur et in Officio deprecamur, sint plena et perfecta in conspectu Dei. Hinc factum est, ut per triginta dies continuos, sine intermissione, quotidie olim Missae pro defunctis dicerentur. Anniversaria autem dicuntur, quae a die mortis post annum recurrente fiunt, et celebrantur cum Missa et Officio, ut defuncti de annuis calamitatibus ad annos aeternitatis perveniant, seu ad vitam aeternam, quae est sine fine. Alia tempora etiam habebant antiqui fideles pro celebratione Officii Defunctorum, nempe nonum, quadragesimum, quinquagesimum, sexagesimum, et centesimum a die obitus alicujus, quae tempora Sancta Mater Ecclesia ad haec quinque tantum reduxit, nempe depositionis, tertii, septimi, trigesimi, et anniversarii.

IV. Octo positae sunt Orationes in Officio Defunctorum, quod in fine Breviarii Romani legitur, sed longe plures in Rituali atque Missali, quorum nonnullae extant quidem in Sacramentario S. Gregorii Papae, aliquae vero sunt eo posteriores, uti observat Gavantus in notis ad Romani Breviarii Rubricas, sectione IX, Cap. II. Sed reperiuntur tamen in variis Missalibus Ritualibusque apud Martene et alios Rerum Liturgicarum scriptores. Quoad officium faciendum in Exequiis, absente corpore defuncti, recte observat Barrufaldus multipliciter posse istam corporis defuncti absentiam dari, nempe, vel quia cadaver jam humatum sit, vel quia in alia civitate vel loco sit mortuus ille pro quo celebratur Officium, vel quia pro omnibus Christifidelibus, qui in osculo Domini mortui sunt, celebrantur Exequiae, vel alias ob causas. Nunquam vero celebrari potest Officium solemne, seu fieri Exequiae, nisi prius cadaver delatum sit ad Ecclesiam, quia nimirum Ecclesia certa esse debet de obitu illius, cui celebrandae Exequiae sunt, et quod ecclesiastica sepultura est dignus. Ceterum ubi constet cadaver traditum jam sepulturae fuisse, rite quidem ex praescripto Ritualis in

die tertio, septimo, trigesimo, et anniversario solemne pro eo celebrari potest Officium, juxta ritum antiqua Ecclesiae praxi comprobatum.

CAPUT XXI.

DE PSALMIS GRADUALIBUS ET POENITENTIALIBUS ET DE LITANIIS SANCTORUM.

I. Quindecim in Psalterio Psalmi a Psalmo 119 usque ad 134 *Graduales* appellantur: in Textu Hebraeo, *Canticum ascensionum;* in Chaldaeo, *Canticum quod dictum est in ascensionibus abyssi.* Alii vertunt *Canticum excellentiarum.* Communem tamen interpretationem, *Canticum graduum,* vulgo plures sequuntur. Unde autem Psalmis hisce nomen? Ex 15 gradibus Templi, in quibus cantabantur, vulgo censent Interpretes. Sed ubi locorum siti essent gradus illi, inter omnes non constat; alii enim in exterioribus Templi, alii in vestibulo collocant. Radulphus Prop. 21 meminit et notat, primos quinque dici pro Defunctis: alios quinque pro nobis ipsis et amicis: postremos quinque pro omnibus fidelibus. Primi quinque Psalmi unicam habent conclusionem: *Requiem aeternam,* etc. alii habent quisque suam cum *Gloria Patri*: pro Defunctis enim orantes, abstinere solemus a glorificatione Trinitatis, unicam et aeternam eis requiem desiderando, ut eisdem post quinque sensuum in Purgatorio purificationem, in quibus deliquerunt, eadem aeterna requies tribuatur. Deo autem danda est gloria in ascensu nostro, sive declinemus a malo, sive faciamus bonum. Quindecim Psalmi Graduales quartis Quadragesimae feriis praescripto in Breviariis ritu recitari debent. Quia enim hisce diebus decet nos solito sanctiores esse, Psalmos istos ad consuetae servitutis pensum adjungimus, quibus etiam monemur ad vitae spiritualis perfectionem quibusdam veluti gradibus ascensum parari. Graeci Psalmos Graduales concinunt omnibus diebus Quadragesimae, praeterquam Sabbatis et Dominicis et die Annuntiationis Beatissimae Mariae Virginis. Ante Matutinum dicuntur de more antiquo, ex Radulpho Prop. 21, et ante Offi-

cium parvum Beatissimae Virginis. Extra Chorum tam Graduales quam Poenitentiales incipiunt et terminantur absolute.

II. Psalmi Poenitentiales numero septem ex centum quinquaginta Psalmis Davidicis desumpti, ac ita dicti quod ad poenitentiam pertinent, antiquissimi sunt in Ecclesia, atque in variis functionibus usitati. Cassiodorus, in suo celebri Commentario ad Psalmos, quem summopere laudat Sixtus Senensis in sua Bibliotheca Sancta, exponit septem esse Poenitentiales Psalmos, quia totidem modis remittuntur peccata nostra, Baptismo, passione martyrii, eleemosyna, dimittendo aliis, convertendo alios, abundantia charitatis, et poenitentia. Recte autem statutum est, ut flexis genibus dicantur, pertinent enim ad poenitentiam. Innocentius III jussit eos recitari in Quadragesima, ex Radulpho Prop. 21, quia tempus est opportunum ad poenitentiam. Feriae Sextae assignati fuerunt in Quadragesima a S. Pio V cum antea quotidie recitarentur in eadem. Quilibet Psalmus concluditur cum Trinitatis glorificatione solita, a qua speratur divina gratia per poenitentiam, gratia vero dicitur gloria Dei. Recitantur post Laudes diei, dicto Benedicamus Domino et Deo gratias, et ante Primam, quia justus in principio diei accusator est sui.

III. Litaniae nomen multipliciter sumitur: aliquando enim Processionem significat; et hac significatione Anastasius in Vita Sergii Papae pag. 154 inquit, *Constituit ut diebus Annuntiationis, Domini Nativitatis, et Dormitionis Sanctae Dei Genitricis Litania exeat a Sancto Hadriano, et ad Sanctam Mariam populus occurrat.* Aliquando significat quodcumque genus precum. Aliquando demum Litania significat quamdam seriem Sanctorum, qui in quibusdam precibus coluntur et invocantur. Difficile est Litaniarum proferre auctorem. Cardinalis Bellarminus Tom. II *Controversiarum* Lib. I *De Sanctorum Beatificatione* Cap. 19 affert Concilia celebrata ante annos fere mille, in quibus mentio fit Litaniarum, et contendit in eis non vocari Litanias solum *Kyrie eleison, et Christe eleison*, sed ipsas invocationes Dei et Sanctorum. Rursus in Antiphonario S. Gregorii Papae, in lucem edito a Venerabili Dei Servo Cardinali Thoma-

sio, ad Sabbatum Sanctum in Vigiliis Paschae, uti videre est pag. 92 et seqq., exhibentur Litaniae, in quibus Sancti invocantur et per seriem exorantur, uti etiam hodie fit. Quaedam autem extant Litaniae, in quibus nonnulli Sancti invocantur, qui in Litaniis, quibus hodie utitur Ecclesia, non invocantur. In Concilio quippe Cloveshoviensi habito an. 747 decretum est, ut S. Augustini Episcopi Cantuariensis nomen in Litaniae cantantione post S. Gregorii invocationem semper invocaretur, ut habetur apud Bollandum tom. 6 Maji pag. 374. Utque cetera praetereantur, in Bulla Leonis Papae X indulgetur Fratribus Minoribus, ut in Litaniis recitare possint nomina Danielis, Angeli, Samuelis, Domni, Nicolai, et Hugolini Fratrum Minorum, qui pro Fide Christiana a Saracenis fuerant interfecti. Insuper si antiquas Litanias attente inspicere velimus, nonnullae etiam invenientur, in quibus non invocantur aliqui Sancti, qui modo in nostris invocantur. Omitto exempla eorum, qui devotionis aestu privata auctoritate aliquando alicujus Beati nomen in Litaniis invocarunt.

IV. Haec quoad antiquas litanias, et quoad antiquam earum disciplinam. Nunc autem transitum faciendo ad recentiorem disciplinam, Sanctus Pius V in suis Apostolicis Litteris Romano Breviario praefixis quamcumque mutationem et additionem prohibuit. Quocirca, utcumque sit de jure antiquo, vetitum hodie dicendum est Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis alicujus Sancti nomen addere Litaniis in dicto Breviario impressis. Auctoritate Congregationis Sacrorum Rituum, uti observat Benedictus XIV, posse nomina Sanctorum addi in Litaniis, sive pro Ecclesia universali, sive pro aliqua Ecclesia particulari, sed eamdem ut plurimum a similibus concessionibus abstinuisse. De Domno Apostolico, idest Papa, omnes Litaniae meminerunt: Domnus enim idem est ac Dominus. Vacante Sede, petitio haec de Domno Apostolico omitti debet. Psalmus post Litanias antiquitus erat alius: orationes item longe plures, quam hodie, ex Radulpho, a quo indicatur esse ultima oratio, quae item apudnos est ultima.

CAPUT XXII.

DE OCTAVIS.

I. Postquam Festa instituta sunt, eorum celebritas subinde protracta fuit, atque Octavae illis assignatae, ut Festum idem pluribus diebus celebraretur. Et hae quidem Octavae antiquam habent originem; jusserat enim Deus Paschatis Festum per septem dies peragi; Salamon octiduum Dedicationis Templi Festivatem perdurare voluit, sicuti et Zorababel, cum Templum restitui curavit. Quocirca hoc imitata exemplum Ecclesia, Paschatis Festum ad integram hebdomadam protrahit, praecipue in Neophitorum gratiam; uti et celebritas Dedicationum Ecclesiarum Tyri, et Hierosolymae a Constantino constructarum octidua fuit, referentibus Eusebio, et Sozomeno. Hoc igitur pacto diei Christi Natalis, Epiphaniae, Pentecostes, atque Patroni Festa Octavas nacta sunt. Observandum est, quod licet antiquitus recolerentur dictae Octavae, nihilominus diebus intermediis de Sanctis non solum nullum recitabatur Officium, sed neque ulla de ipsis fiebat commemoratio.

II. Divino prorsus consilio Octavae adinventae sunt, neque solum ob eam causam, ut celebritas esset illustrior, sed quia mystica sunt ea, quae octonario notantur numero in Sacris Litteris, eaque multis mysteriis scatent; nempe quod in Arca Noe octo tantum animae salvae factae sunt per aquam, ut beati Petri verbis 1. Ep. V 3. 20 utar; quod item, qui primus erat Noe octavarum justitiae praeconem idem appellat 2. Ep. 2. 5 Petrus. Quid quod in Templo Ezechieli demonstrato octo cubitorum erat vestibulum Orientalis portae? Quid quod octo gradibus ad eamdem et Australem portam ascendebatur? Quid quod ibidem super octo mensas immolabatur? Magnitudo Festi, ait Radulphus Prop. 10, a nobis exigit, ut et prius illud incipiamus, et tardius terminemus: prius autem dicimur incipere, quando Vigiliae Officio festum praevenimus: tardiusque terminamus, cum ad Octavam diem festum

protendimus. Praeveniamus ergo et prorogemus, ut ardentius, quos debemus, recolamus; ita quidem, ut quae uno die minus efficere possumus, aut incaute negligimus, reliquis diebus compensemus.

III. Salvatori itaque constitutae sunt quinque Octavae, Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, et Corporis Christi: Spiritui Sancto, Pentecostes: Beatissimae Virgini tres, Nativitatis, Assumptionis, et Conceptionis ex Bulla Innocentii XII: Nativitati S. Ioannis Baptistae; Martyrio SS. Apostolorum Petri et Pauli, Festo Omnium Sanctorum; S. Stephano, Ioanni Evangelistae, Innocentibus et S. Laurentio; Dedicationi propriae Ecclesiae, Patrono principali Loci, et Titulari ex Decreto S. R. C. ad quam tamen Octavam non tenentur Regulares. Festa autem Sanctorum, quae cum Octavis consueverunt solemniter celebrari apud quasdam Ecclesias, Congregationes et Ordines non abrogantur, sed post editum a S. Pio V Breviarium nulla potest induci Octava ultra assignatas, sine Sedis Apostolicae auctoritate. Porro Octavae ad quatuor Classes, seu gradus possunt revocari; in primo sunt magis privilegiatae, nempe Octava Paschae et Pentecostes, in quibus de nullo Festo etiam primae Classis potest fieri Officium, neque alicuius Festi Octava, neque Commemoratio. Solum Festi Simplicis, si infra illas, post primum earum Triduum occurrat, conceditur Commemoratio in Vesperis, Laudibus et ad Missam. In secundo autem gradu privilegiatae sunt Octavae, Epiphaniae, in qua tantum Festa Patroni principalis, itemque Festum Titularis, et Dedicationis Ecclesiae, diebus infra ipsam occurrentia celebrari possunt, sed semper cum Commemoratione ipsius Octavae Epiphaniae tam in Officio, quam in Missa. Ipsa tamen dies Octava Epiphaniae omnia omnino etiam primae Classis Festa excludit. Tertium gradum tenent minus privilegiatae: Octava SS. Corporis Christi, infra quam juxta Decretum S. R. C. die 30 Maii 1699 transferri possunt Duplicia secundae Classis in Festo SS. Corporis Christi occurrentia; dies Octava excludit Duplicia secundae Classis occurrentia, non autem Duplicia primae Classis quae occurrunt. Quartam classem conflant Octavae non privi-

legiatae, Nativitatis Domini, Ascensionis, et aliorum Festorum, infra quas fit non tantum de Festo Duplici, et Semiduplici quocumque tunc occurrente, sed etiam de Duplici quocumque translato.

IV. Dierum infra Octavam Officium est semiduplex, exceptis primis duobus post Pascha, et Pentecosten, quorum Officium duplex est. Tria signantur tempora in quibus interdictae sunt Octavae. Primum est tempus Quadragesimae, hoc est a feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschae inclusive. Nam ut recte ratiocinatur Gavantus, si a Festis in Quadragesima convenienter abstinetur ex Concilii Laodicensis canone quinto relato Can. *Non oportet:* quanto magis ab Octavis, quae nihil aliud sunt quam festorum prorogationes? Secundum tempus est Adventus, non quidem omnino, sed a die 17 Decembris usque ad diem Epiphaniae, quia ab eo die incipiunt Antiphonae privilegiatae. Similiter inutile visum est eas permittere post Nativitatem usque ad Epiphaniam, eo quod dies omnes ac singuli proprium habent Officium nullo modo omittendum, uti observat Gavantus. Tertium tempus quo interdicitur Octavis, est a Vigilia Pentecostes usque ad Festum Trinitatis inclusive.

CAPUT XXIII.

DE DOMINICIS.

I. Optime observat Henricus Pisart in suo *Directorio Canonico* Ad tit. IV *de Dominicis*, quod sicut olim Deus completo opere in Creatione Mundi sex dierum spatio, benedixit diei septimo et sanctificavit illum; ita recreato et redempto per Iesum Christum mundo, sanctificatus fuit dies Resurrectionis ejus, Festumque Sabbati in hunc diem, qui Dominicus dictus est, a Christo et Apostolis fuit translatum. Primarium igitur objectum, quod translatione Sabbati in Dominicam diem spectatum est, in eo est repositum, ut Salvatoris Mundi resurrectio colerereture. Dominicae vero appellatio ejusdem est antiquitatis ac ipsa Ecclesia. Evangelistae autem illam *unam Sabbati* vocant, seu pri-

mam post Sabbatum diem. Meminit Sanctus Paulus I ad Corinthios Cap. XVI eleemosynae, quae singulis Dominicis colligebatur. Quocirca certum est Dominicae diei festivitatem ab Apostolis institutam fuisse ad Iesu Christi Resurrectionis Mysterium commemorandum. Vocatur Domini dies, quoniam eo prodiit Dominus victor e tumulo. Cum vero dies Dominica divino praecipue cultui esset sacra, in Deo laudando tota fere transigebatur, unde Officium eo die prolixius fuisse, perspectum habemus ex Vita S. Sabae, in cujus monasterio nox in precibus peragebatur. Apud S. Caesarium, et S. Benedictum atque ubique, Officium fusius erat. Praeterea id privilegii sibi vindicabat Dominica, et tam Deo sacra habebatur, ut ea die nullius Sancti Festum celebraretur. Concilium enim Laodicenum eorum tantum Commemorationem fieri permittit. Qui quidem mos Sanctorum officia Dominicis diebus non peragendi diu Romae retentus est; cum teste Micrologo Cap. 62 Romanus Ritus Dominicae Officium nunquam, nisi ob celebrius aliquod Festum, intermitteret: *Iuxta Romanam consuetudinem in omni Dominica Ecclesiastico Conventui cum officio Dominicae satisfaciemus, nisi aliqua multum celebrior occurrat Festivitas.* Testis alter est Radulphus Tungrensis, ajens Prop. 13 Romae aetate sua aliquot tantum Festorum officia Dominicis diebus fuisse celebrata, cum in Dominicam incidissent; nulla vero juxta Ritum Ambrosianum.

II. Proprium erat Dominicae diei, ut nullae publici officii preces flexis genibus fierent; qui mos vetustissimus est, cum apud Tertullianum, tanquam ab omnibus receptus legatur. Quinimo Concilium Nicaenum Can. 2 consuetudinem quarumdam Ecclesiarum abolevit, in quibus, Dominicis, et Paschali tempore preces flexis genibus recitabantur. Dominicae porro officium, referente Cassiano, tribus intervallis noctu peragebatur, nemine interim a choro discedente. Sanctus vero Benedictus jubet Dominica tres Nocturnos recitari cum duodecim Lectionibus, duodecim Psalmis, tribus Canticis, Te Deum, et Evangelio. Romae tres Nocturni recitantur, et novem Lectiones; primus Nocturnus duodecim Psalmos habet; ad Monachorum exemplum duo alii No-

cturni additi fuere: difficillimum tamen est hujus additamenti exordia demonstrare, cum Amalarius Lib. IV Cap. 2 decem, et octo Psalmorum meminerit, qui Dominicis, sicuti hodienum, recitabantur. Ad Laudes Romae Psalmi *Dominus Regnavit*, *Iubilate*, *Deus Deus meus*, et *Deus misereatur nostri*, unico *Gloria Patri* terminabantur. Psalmus *Benedicite* sine *Gloria Patri*, ceteri vero sub una Antiphona dicebantur cum *Alleluja*. Prima plures continebat Psalmos, qui in quinque hebdomadae dies sunt distributi; Psalmum *Confitemini* propter versiculum *Haec dies*, qui ad Dominicam refertur, festis diebus dicebatur.

III. Dominicae aliae majores, aliae minores. Majores habentur illae, in quibus praecipua Creationis, et Redemptionis Mysteria recoluntur; nimirum Dominicae Adventus, et quae occurrunt a Septuagesima usque ad Dominicam in Albis inclusive, Dominicae Pentecostes et Sanctissimae Trinitatis. Minores vero, sive per annum sunt reliquae, quae per totum anni decursum occurrunt. Rursus Dominicae majores in duas dividuntur Classes; quae autem primae Classis sunt, nulli Festo cedunt; ideoque nunquam omittuntur, uti prima Adventus, prima Quadragesimae, Passionis, Palmarum, Paschae, in Albis, Pentecostes, et Trinitatis. Dominicae quoque secundae Classis non omittuntur, nisi occurrente Patrono principali, vel Titulari Ecclesiae, et ejusdem Dedicatione; et tunc de iis semper fit Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus. Hujusmodi sunt Secunda, Tertia, et Quarta Adventus, Dominicae Septuagesimae, Sexagesimae, Quinquagesimae, Secunda, Tertia, et Quarta Quadragesimae. Ulterius bipartiuntur Dominicae in *Vacantes* et *non Vacantes*. De illis nihil omnino fit in officio currentis diei, uti contingit, quando Festum Nativitatis, aut Circumcisionis, aut Epiphaniae Domini, vel Festa, aut Octavae S. Stephani, vel S. Ioannis Apostoli, aut Innocentium, vel denique Vigilia Epiphaniae in Dominicam incidunt. *Non vacantes* dicuntur illae, quae vel totum Officium, vel saltem Commemorationem, et Lectionem Evangelii de suo officio habent. Insuper adnotandum Dominicas Majores, quarum superius mentionem fecimus, primae, vel secundae Clas-

sis non sequi Ritum duplicem primae, vel secundae Classis; cum earum Ritus non fit, nisi Semiduplex, exceptis Dominicis Paschae, in Albis, Pentecostes, et Trinitatis.

CAPUT XXIV.

DE FERIIS ET VIGILIIS ET DE OFFICIO BEATAE MARIAE IN SABBATO.

I. Feria a fando, inquit Rabanus Lib. II *de Institutione Clericorum* Cap. 46, Feriae vox ab Ethnicis ad Christianos translata est. Hinc Christiani primum, ut Dominicam, ceterosque dies Domino sacros significarent, eo vocabulo usi sunt; paulo autem post singulos hebdomadae dies ita appellarunt. Unde decepti sunt, qui appellationem hanc Feriis a S. Silvestro impositam existimant; cum Feriae denominatio longe ante S. Silvestrum fuerit inter Christianos recepta, uti liquet ex Tertulliano, qui *Quartae* et *Sextae Feriae* meminit stationi et jejunio destinatarum. Primus igitur hebdomadae dies Dominicus dicitur: qui post sequitur, secunda Feria, et sic deinceps. Feriam definimus: Diem in qua nullum Officium de Sancto, aut alicujus Festi Octava, nec de Dominica, Ritu duplici, aut semiduplici celebratur, nec denique de Vigilia, aut Beatissima Virgine in Sabbato recitandum occurrit. Hoc sensu accepta Feria dividitur in majorem, et minorem: de ea semper fit in Officio saltem commemoratio, uti de Feria qualibet Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, et secunda Rogationum. Majores Feriae subdividuntur in *privilegiatas*, et *non privilegiatas*. Privilegiatae sunt, quae nulli alteri Officio aut Festo cedunt, et sunt tres sequentes, nempe primo Feria IV Cinerum, secundo Feriae omnes Majoris Hebdomadae, tertio Feriae omnes infra Octavam Paschae et Pentecostes; nam et dies infra utramque hanc Octavam occurrentes ab ipso Breviario Romano, non tantum in proprio de Tempore, sed etiam in Rubrica Num. 4 Feriae appellantur. Hae igitur omnes Feriae privilegiatae excludunt quodcumque aliud Officium ac Festum in iis occurrens, etiam Primae

Classis. Ceterae Feriae Majores, quae Festis Duplicibus, aut etiam semiduplicibus in iis occurrentibus cedunt, dicuntur *non privilegiatae*, nimirum respectu Festorum novem Lectionum; nam Festis simplicibus, ac Vigiliis etiam, hae non cedunt, saltem quoad Officium. Denique Feriae minores per annum, qualis est etiam Feria III Rogationum, cedunt cuicumque Festo etiam trium Lectionum; ita ut in officio occurrentis in ea Festi simplicis, de praedicta Feria III Rogationum, et multo magis de aliis Feriis, ne commemoratio quidem fiat. Eaedem Feriae minores per annum cedunt etiam Officio Beatissimae Virgini Mariae in Sabbato, item Vigiliis, nec non diebus infra Octavam aliquam, ac a fortiori ipsis Octavis.

II. Vigiliae vox a vigilando derivatur, eo quod priscis Ecclesiae temporibus solerent fideles in praecipuis Festivitatibus noctem in Ecclesia divinis laudibus consecrare: quarum quidem Vigiliarum Mediolani fieri solitarum S. Augustinus in Psalmum 118 expresse meminit. S. Paulinus in Vita S. Martini Lib. III testatum facit morem hunc in universa Ecclesia fuisse receptum. Ac quidem Constantinopoli S. Ioannes Chrysostomus, ex Palladio: *Fideles Laicos exhortabatur Vigiliis nocturnis in Ecclesia insistere*, cum idem sanctus Doctor ait Homilia 26 in Act. Apostolorum, *Ecclesia Dei mediis surgat noctibus*. In Africa vero ex Victore Vitensi Lib. II *jam ob celebritatem, Festivitatis Hymni nocturni, per totam Ecclesiam canente populo, concrepabant*. Cum vero circa undecimum saeculum abolitae sunt Vigiliae, iis jejunium suffectum fuit die praecipue haec Festa praecedente, qui Vigilia proinde appellatur, quod eo die Missa celebretur, quae antea noctu dicebatur. Cum vero ante S. Pii V tempora Missa sola Vigiliis istis diceretur, addidit ille feriali Officio Homiliam in Evangelium, quod ad Missam legebatur, et Collectam; antea enim universum officium de Feria desumebatur. Quaedam Vigiliae sine jejunio celebrantur, videlicet Vigilia Epiphaniae, et Ascensionis Domini, de quarum jejunio lex nulla est. Vigilia occurens in Dominica transfertur in Sabbatum praecedens, exceptis Vigiliis Nativitatis Domini et Epiphaniae, de quibus fit Officium eo die,

quo occurrunt. Praeterea si Vigiliae dies, qua jejunandum est, in solemne Festum incidat, jejunium praemitti potest, atque die praecedenti institui, quemadmodum Leo X statuit; sic quando Festum Corporis Christi in S. Ioannis Baptistae Vigiliam cadit, jejunium et vigiliae officium Feria quarta praeponitur. Vigiliae dividuntur in majores et minores: illae sunt, quae sub Ritu semiduplici, uti Vigiliae Epiphaniae et Pentecostes, vel omnino sub Ritu duplici, qualis est vigilia Nativitatis Domini celebrantur. Minores eae dicuntur, quae nonnisi Ritum simplicem habent.

III. Sabbatum jamdiu Beatissimae Virginis Mariae honori sacrum est propter peculiarem commemorationem, quae de Illa hoc die fiebat, ut refert Micrologus Cap. 48 *Sabbato per totum annum venerationi Beatissimae Virgini Ecclesia solet obsecundare.* Officium itaque Beatissimae Virginis in Sabbato non est votivum, uti sunt opinati quidam sed praeceptivum. Atque hinc scilicet repetenda est ratio, quod ante S. Pium V teneretur Clerus ad recitationem quotidianam officii parvi Beatissimae Mariae: quam quidem obligationem abrogavit idem Summus Pontifex per Bullam Breviario praefixam, et subinde jussit, hoc Officium cum Lectionibus SS. Patrum singulis mensibus propriis componi et edi. Demum Clemens VIII illud recognovit, mutata tantum lectione pro mense Aprili, quae e S. Epiphanio erat desumpta, nunc vero e S. Hieronymo. Recitatur autem istud Officium in omnibus Sabbatis non impeditis officio quoad ritum digniori, quale est officium Feriae majoris; omnia Officia novem Lectionum, Duplicia nempe et Semiduplicia, dies infra Octavas. Festum Simplex cedit huic Officio Simplici de Beatissima Virgine ratione dignitatis, et de Festo simplici fit tantum commemoratio.

CAPUT XXV.

DE CANTU ECCLESIASTICO.

I. A primordiis Ecclesiae Psalmos et Hymnos in conventu fidelium decantatos fuisse, ex fide vetustissimorum scriptorum magnus Baronius illustravit, et post

eum Cardinalis Bona in libris de *divina Psalmodia*, aliique plures. *De hymnis et psalmis canendis*, inquit Augustinus *Epist.* 119 *ipsius Domini et Apostolorum habemus documenta et exempla et praecepta*. Sed et Plinius ethnicus scriptor de cantu primorum Christianorum testimonium perhibuit in Epistola ad Trajanum, qua eorum mores describens ait: *solitos fuisse stato die ante lucem convenire, et carmen Christo quasi Deo dicere secum invicem alterna videlicet modulatione*. S. Gregorius Magnus, ut omnes norunt, cantum planum in Ecclesia Romana instituit, quique in divinis ministeriis cantare deberent in Synodo Romana A. D. 595 constituit. Insignis est ea de re S. Gregorii Epistola XLIV Lib. IV. Ipse quoque S. Gregorius Collegium Cantorum in Ecclesia Romana instituit, quod *Schola Cantorum* vocatum est. Exinde Romanus cantus ab ejus restitutore Gregorianus appellatus, per omnem ferme Europam protendi coepit. Ipso Gregorio adhuc superstite, S. Augustinus Anglorum Apostolus, si Ioanni Diacono in Vita S. Gregorii Lib. II Cap. VII fides est habenda, in Britanniam Romanum cantum induxit. Insuper Pipino petente, cantus Romanus in Gallias derivatus est, annuente Paulo I Romano Pontifice, qui datis ad Pipinum litteris, *Antiphonale* et *Responsale* misit: ac Pipino rogante, monachos in cantu Romano per Simeonem Scholae Cantorum priorem edocendos curavit, ut ipse Paulus Pontifex tradit in epistola ad eumdem Pipinum II. Ad Scholam seu Collegium Cantorum Romanae Ecclesiae convertenda est oratio. Certas iis regulas dedit S. Gregorius A. D. 595, statuitque ut ex ordine Subdiaconorum essent. Primus hujus collegii *Primicerius, seu Prior Scholae* in antiquis monumentis appellatur. Primicerii munus erat, ordinem psallendi in choro pro solemnitate dierum praefigere, et Acolythis, Exorcistis, Psalmistis, atque Lectoribus praeesse. Primicerius Scholae Cantorum episcopali dignitate aliquando insignitus fuit. Nonnulli Primicerii ab Andrea Adamo recensentur, Episcopalibus infulis ornati. Longius quam par esset vagarer, si varia de cantu ecclesiastico, ac de iis qui media aetate de eo egerunt, in medium afferrem. Unus inter omnes excelluisse hac arte dicitur Guido Are-

tinus, monachus Pomposianus, qui sex illas syllabas, quibus in cantu utimur, invenisse fertur. Sane in Codicibus saeculi XI, Libri Liturgici, ut Antiphonaria, Missalia, et alii ejuscemodi libri, cum notis musicis reperiuntur, quarum notarum specimen edidere Hugo Menardus, *in notis ad Sacramentarium* pag. 78; et Mabillonius, in *Annal. Bened.* t. IV pag. 632, qui de notulis musicis caudatis, saeculo IX loco litterarum alphabeti substitutis, animadversiones nonnullas elaboravit. Idem non semel in magnis Annalibus Benedictionis de cantu ecclesiastico saeculi X et XI meminit.

III. Ad Scholam Cantorum quod rursus pertinet, aedes in quibus Cantores Romae degebant, olim *Orphanotrophium* appellabantur. Indumenta Cantorum usque ad saeculum IX fuere, ut observat Cardinalis Thomasius in *disquisitione de Antiphona ad introitum Missae* pag. XIII Lib. III Cap. IV *alba* nimirum *tunica linea talaris*, et *planeta,* seu *casula.* Amalarius in libris de Ecclesiasticis officiis Lib. III Cap. IV agit de vestimento Cantorum, ex quo colligitur, Cantores *lino vestitos fuisse,* idest tunica talari linea, et *casula.* Saeculo XII alius mos de indumentis Cantorum invaluerat. Planetas enim non amplius gestabant, sed ornamenta inferioris gradus Clericis communia induebant, ut liquet ex Honorio Augustodunensi *Gemmae Animae* Lib. II Cap. CCXXVI nimirum *superhumerale, albam tunicam, lineam talarem, et balteum ad tunicam praecingendam.* Mox vero idem Honorius tradit, propriam Cantorum vestem fuisse *cappam,* quae postmodum *pluviale* dicta est. Ex his igitur intelligis, quam immerito in cantus Ecclesiastici antiquitatem ac usum debacchati fuerint Wiclefistae, eosque secuti Calvinus ceterique novatores, quorum deliramenta alias a viris doctissimis ac pie catholicis explosa sunt.

EXPLICIT VOLUMEN PRIMUM.

INDEX

LIBER SECUNDUS

DE CONSECRATIONIBUS.

LIBER TERTIUS

DE BENEDICTIONIBUS.

LIBER QUARTUS

DE PROCESSIONIBUS.

LIBER QUINTUS

DE EXEQUIIS ET SEPULTURIS.

LIBER SEXTUS

DE JEJUNIIS ET EXORCISMIS.

LIBER SEPTIMUS.

DE ORDINE AD SYNODUM, DE ORDINE AD VISITANDAS PAROCHIAS, DE ORDINE EXCOMMUNICANDI ET ABSOLVENDI, DE ORDINE AD RECONCILIANDUM APOSTATAM, SCHISMATICUM ET HAERETICUM, DE ORDINE SUSPENSIONIS, RECONCILIATIONIS ET DEPOSITIONIS.

LIBER OCTAVUS.

DE SACRAMENTIS.

LIBER NONUS.

DE DIVINO OFFICIO.

COMMISSIONE ARCIVESCOVILE

PER LA REVISIONE DE' LIBRI

Nihil obstat
Ros. Can.[us] Frungillo
Censor Theologus

IMPRIMATUR
Leopoldus Ruggiero
A secretis.

